ECCLESIAE PISANAE HISTORIA

AUCTORE

P. M. ANTONIO FELICE MATTHAEJO

FRANCISCANO CONVENTUALI

In Academia Pisana Sacrae Theologiae

PUBLICO PROFESSORE.

TOMUS II.

LUCAE. MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA LEONARDI VENTURINI

CENSORIBUS APPROBANTIBUS.

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

F. ANTONIUS FELIX MATTHAEJUS.

QUam TIBI CLEMENS PAPA XIV. Eccleſiae Piſanae Hiſtoriam ex vetuſtis monumentis a me erutam, atque digeſtam offero, ampliſ-ſimoque Tuo nomini conſecratam publi-

ci juris facio, eam & Ipse Tu Tibi jure Tuo vindicas, & ego debeo cum filius PATRI SANCTISSIMO, tum alumnus Patrono, & Fautori nullo non tempore laboris mei amantissimo. Deliberanti equidem quamnam potissimum Sacrae disciplinae partem pro officii mei munere adolescens persequerer, hanc Tu antiquitatis investigandae provinciam mihi excolendam auctoritate Tua attribuisti. Cum enim in Urbe studiorum caussa agerem, quod suavissima animi delectatione recordor; Tu vero ibi, quarum nunc rerum sedes Judex Summus, de iis publice consulebare, tanta cum benevolentia suscepisti, tanto etiam fovisti cum patrocinio oblatam Tibi a me quam conscripseram Vitam Antonii Rhaudensis

prae-

praeclari Viri optime de Franciſcana Familia noſtra, deque univerſa litterarum Republica meriti, ut ex eo tempore facile intellexerim, non ſolum probari Tibi initum a me conſilium tabulas, & memorias antiquitatis acrius inquirendi, ſed illud mihi deinceps Te Auctore praeſcribi, ut operam ejuſmodi qualemcumque in rem Chriſtianam conferrem. Itaque adſcitus in Academiam Piſanam ſtatim de rebus a Nicolao IV. geſtis edendis, & illuſtrandis cogitavi, deinde Piſanae Eccleſiae Hiſtoriam adornandam mihi eſſe putavi. Qua fortuna, quove ſucceſſu id ſim exequutus, ex iis, quae oculis Tuis ſubiicio Ipſe judicabis, Qui cum ſapientiae univerſae, tum vel maxime ejus, quae ad religionem noſtram

per-

pertinet rationem totam, tam bene cognitam habes, & exploratam. Caeterum tibi offero Chriſtianae Hiſtoriae partem quidem exiguam, ſed quae Piſanam Eccleſiam tot ornamentis, ac titulis, tot Viris pietate, doctrina, aliiſque virtutibus clariſſimis inſignem Tibi exhibet inſpiciendam. Habes igitur a me Clemens Pontifex Maxime munuſculum, quod tuum eſt ab omni parte, quod utinam eſſet majus, ut obſervantiae, atque reverentiae erga Te meae, gratique animi teſtimonium exſtaret. Faxit DEUS, ut Pater Sanctissime, Ordiniſque mei ornamentum maximum quam diutiſſime vivas felix ad Populi Chriſtiani decus, & firmamentum ſempiternum, meique praeſidii, ac patrocinii diuturnitatem.

PRAEFATIO.

CUM de caussa, quae me ad Ecclesiae Pisanae Historiam scribendam excitavit, de consilio, vel methodo, qua ipsam scripsi, multa praefatus sim initio primi voluminis ejusdem Historiae, jam me nunc secundum vulgantem ab omni prorsus praefandi onere liberatum sentio. Itaque duo tantum eruditum Lectorem breviter monendum esse puto; alterum est, me retulisse in hoc secundum volumen trium Archiepiscoporum vitas, scilicet Alamanni Adimarii (1), Francisci Pannocchieschii (2), & Frosini (3), quarum primam (4) a me latine redditam eruditissimus Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus, alias (5) cl. Angelus Octavius Abrabamius Canonicus Pisanus contexuit; easque non paucis annotationibus illustrasse, tum quod scirem doctissimos viros in ea esse opinione, ut velint, neminem illorum, qui antea vixerunt, scripta praesertim Philologa nuda, puraque in communem usum dare; tum maxime, quod viderem, earumdem vitarum Auctores multa omisisse, & in nonnullis errasse: alterum est, me in hac Historia quaedam vetusta monumenta indicantem, ea modo ex Bibliotheca Florentina Monasterii Sanctae Crucis, modo ex Mediceo-Laurentiana eruta dixisse, quoniam cum primum volumen fere ad umbilicum perduxissem, etsi nondum in lucem emisissem, Petrus Leopoldus Magnus Etruriae Dux jussit, ut Codices MSS. ex priori Bibliotheca ad alteram transferrentur. Id porro Principem Augustissimum faciendum

(1) Pag. 121. & seq. (2) Pag. 237. & seq. (3) Pag. 243. & seq.

(4) Extat MS. Florentiae in tabulario Capituli Ecclesiae principis inter alias Canonicorum vitas.

(5) Sunt in Archivo Capituli Pisani T. III. operis MS., cui titulus: Pisanae Primatialis dignitatum, ac praebendarum omnium descriptio &c. cap. 17. pag. 195. cap. 22. pag. 300.

dum curasse, ut ipse summo, quo est in litteras studio litteratis omnibus majus pararet commodum luculenter ostendit epistola nobilissimi viri Francisci Comitis Rosembergensis summi eiusdem Regii Principis in imperio Administri ad virum doctrina insignem Paullum Parenti laudato Monasterio tunc Praefectum, nunc autem in Urbe, ditioneque Senensi adversus haereses Inquisitorem. *Memorata epistola est hujusmodi.* „ *In ordine alla memoria* „ *umiliata a Sua Altezza Reale nostro Signore sopra la* „ *comandata traslazione de' rari Codici manoscritti rac-* „ *colti con somma industria da varj dotti Religiosi di* „ *cotesto Instituto, e conservati fin' ora colla più dili-* „ *gente attenzione in cotesto Convento, vengo incaricato* „ *dall' Altezza Sua Reale di assicurare V. P. M. R.,* „ *che il solo oggetto di questa Sovrana risoluzione è stato* „ *quello di procurare colla riunione de' Codici suddetti a* „ *quelli dell' insigne Biblioteca Medicea Laurenziana un* „ *maggior comodo agli studiosi nazionali, ed esteri, i* „ *quali non è da dubitarsi, che dovranno essere più sod-* „ *disfatti di trovare riunito in un sol luogo tutto ciò,* „ *che diviso nelle accennate due Biblioteche può interes-* „ *sare la loro erudita curiosità, e che invitati ad appa-* „ *garla più frequentemente avranno ancora sempre più* „ *luogo di rilevare quanto benemeriti siano delle lettere* „ *i dotti Collettori, e quanto sia giusta la stima, che si* „ *è meritamente acquistata l'Ordine Conventuale per* „ *avere in un sì lungo corso di tempo, e fra tante vi-* „ *cende conservato fino al presente a pubblico vantaggio* „ *questo prezioso deposito di dottrina. Tanto devo signi-* „ *ficarle, mentre con perfetta stima passo a dirmi* „.

„ *Di V. P. M. R.*

Di Casa 8. Novembre 1766.

Devotissimo Servitore
C. Orsini Rosemberg.

Series Chronologica Pontificum Pisanorum, qui in Tomo II. continentur.

dum curasse, ut ipse summo, quo est in litteras studio litteratis omnibus majus pararet commodum luculenter ostendit epistola nobilissimi viri Francisci Comitis Rosembergensis summi eiusdem Regii Principis in imperio Administri ad virum doctrina insignem Paullum Parenti laudato Monasterio tunc Praefectum, nunc autem in Urbe, ditioneque Senensi adversus haereses Inquisitorem. *Memorata epistola est hujusmodi. „ In ordine alla memoria „ umiliata a Sua Altezza Reale nostro Signore sopra la „ comandata traslazione de' rari Codici manoscritti rac- „ colti con somma industria da varj dotti Religiosi di „ cotesto Instituto, e conservati fin' ora colla più dili- „ gente attenzione in cotesto Convento, vengo incaricato „ dall' Altezza Sua Reale di assicurare V. P. M. R., „ che il solo oggetto di questa Sovrana risoluzione è stato „ quello di procurare colla riunione de' Codici suddetti a „ quelli dell' insigne Biblioteca Medicea Laurenziana un „ maggior comodo agli studiosi nazionali, ed esteri, i „ quali non è da dubitarsi, che dovranno essere più sod- „ disfatti di trovare riunito in un sol luogo tutto ciò, „ che diviso nelle accennate due Biblioteche può interes- „ sare la loro erudita curiosità, e che invitati ad appa- „ garla più frequentemente avranno ancora sempre più „ luogo di rilevare quanto benemeriti siano delle lettere „ i dotti Collettori, e quanto sia giusta la stima, che si „ è meritamente acquistata l' Ordine Conventuale per „ avere in un sì lungo corso di tempo, e fra tante vi- „ cende conservato fino al presente a pubblico vantaggio „ questo prezioso deposito di dottrina. Tanto devo signi- „ ficarle, mentre con perfetta stima passo a dirmi „.*

„ Di V. P. M. R.

Di Casa 8. Novembre 1766.

Devotissimo Servitore
C. ORSINI ROSEMBERG.

Series Chronologica Pontificum Pisanorum, qui in Tomo II. continentur.

Se-

Series Alphabetica eorumdem Pontificum Pisanorum.



ECCLE-

ECCLESIAE PISANAE HISTORIA.

XXXVIII. FRIDERICUS VICECOMES.

SUmmo loco, ex familia scilicet *Vicecomitum* Pisis olim splendidissima natus est Fridericus. Munus *Cappellani* exercuit in aula Sinibaldi Flischi Genuensis, non solum cum hic Presbyter Cardinalis fuit (1), sed etiam posteaquam in Summum Pontificem, nomine Innocentii IV. electus est; quem item Lugdunum anno 1244. euntem comitavit (2). Lutetiam quoque Parisiorum concessit Fridericus, deinde in patriam reversus Cathedralis Ecclesiae Canonicus factus est (3).

Quo tempore in aula Innocentii fuit, gratiam, & necessitudinem sibi conciliavit Cardinalis Raynaldi, qui postea Summus Pontifex creatus est, nomine Alexandri

 IV.,

(1) Vide Sermones Friderici nostri, quorum catalogum postea dabimus *num.* 15.
(2) Lege *Sermonem* 6.
(3) *Sermone* 47. 80.

IV., ut patet ex ejus litteris (1), in quibus celebratur etiam affabilitas, benignitas, aliaeque animi dotes, quas tunc Fridericus noster praeferebat; sic enim scribit Alexander ,, Dudum antequam promotus esses ad Pontificalem dignitatem, ad quam Divina gratia, & favor Apostolicus te provexit, per plana, & humilia gradiens, sic videbaris affabilis, benevolus, & benignus, sic fere apud omnes prompta reddebaris devotione conspicuus, quod merito sperabatur a cunctis, qui te ex tua placida conversatione noscebant, quod in omni tuo statu quantumcumque magno, & arduo deberes dirigi semper in coelestium semitam mandatorum, dirigendo religiosas, & alias pauperes, inopesque personas, & alia continue faciendo, quae essent in oculis Divinae majestatis accepta. Nobis quoque dum adhuc essemus in minori officio constituti, tua grata familiaritatis obsequia, quibus nostram tibi benevolentiam specialiter vindicasti, te virum morum gravitate maturum, vigilem tuae famae custodem, & charitatis zelatorem fervidum promittebant; adeo quod ex paterno, quem ad te conceperamus affectu, prompti reddebamur, & faciles ad tuum honorem, & commodum procurandum ,,.

Anno 1254. Vitali successit Fridericus, idque accidisse ante diem 28. mensis Junii ex veteri *Protocollo* in hoc Pisano Archiepiscopii Tabulario (2) servato, erudimur.

(1) Harum apographum est in Archivo hujus Pisani Monasterii S. Francisci. Editae etiam sunt ab eruditissimo P. Sbaralea *T. II. Bullarii Franciscani n. 577. pag. 406.*

(2) *Num.* 3. *litt.* C. *fol.* 2. Paullo postquam renuntiatus est Archiepiscopus has scripsit litteras, quarum autographum est in tablino Asceterii Monasteriarum Cisterciensium S. Bernardi *num.* 44. ,, Viro venerabili, & amico in Christo reveritissimo domno B. Abbati Monasterii Sancti Galgani Cisterciensis Ordinis Wlterranensis Dioecesis Fredericus Dei, & ,, Apo-

mur. Anno sequenti mense Augusto, quo Alexander in Sanctarum numerum adscivit Claram Assisiensem, in Urbe Anagnia in Latio commorabatur, ubi Summum Pontificem coram S. R. E. Cardinalibus, & multis aliis Praelatis, sic alloquutus est: *Pater Sanctissime non solum consulo propter illa, quae scilicet per venerabilem Patrem Dominum Richardum Sancti Angeli dignissimum Cardinalem Diaconum, hic de ipsa* (Clara) *prudentissime recitata sunt, sed suppliciter supplico quatenus eam Sanctarum catalogo adscribatis, ut ipsius precibus, & meritis vitam aeternam consequi mereamur* (1).

Ex Alexandri IV. litteris (2), ex Pisani Archivii tabulis (3), aliisque monimentis (4), in quibus Fridericus Archiepiscopus *electus* dicitur, aperte colligitur, ejus consecrationem factam fuisse anno tantum 1257. eo temporis

„ Apostolicae Sedis gratia Pisanus electus in vero salutari salutem. Praeclara domus vestrae, nec non & totius Ordinis Cisterciensis Sacra Religio nos inducunt, ut eandem domum vestram, & Ordinem gratia, & favore benevolo prosequamur. Cum igitur dominus Papa suis vobis dederit litteris in mandatis, prout in eisdem litteris intelleximus contineri, occurrente super hoc nihilominus authoritate Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, sicut etiam in litteris Abbatis Cistercii evidenter apparet, ut Monasterium Sanctae Crucis de Fauce Arni nostrae Dioecesis eidem incorporare Ordini deberetis, nos ipsius domini Papae mandatis, & beneplacitis in hac parte benignius annuentes, & affectantes non modicum, ut praedicti Monasterii novella plantatio in Domino coalescat discretioni vestrae plenariam praebuimus licentiam, & consensum, ut ad honorem, & gloriam Summi Regis praefatum Sanctae Crucis Monasterium incorporare deberetis Ordini memorato juxta praedicti vestri Ordinis instituta, quod quidem fecistis, ut decuit, sicut & in vestris litteris continetur. Ne itaque de incorporeitate hujusmodi de nostra facta, ut dictum est, licentia, & consensu ab aliquibus possit imposterum dubitari, praesentes litteras vobis concessimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum Pisis mense Julii anno Domini MCCLIV. „

(1) *Sermone 6.*
(2) *T. cit. Bullarii Francisc. n.* 271. 281. 308. 315.
(3) *T. III. apographorum numeris* 830. 835. *& seqq.*
(4) *Ex Protocollo citato.*

IV., ut patet ex ejus litteris (1), in quibus celebratur etiam affabilitas, benignitas, aliaeque animi dotes, quas tunc Fridericus noster praeferebat; sic enim scribit Alexander „ Dudum antequam promotus esses ad Pontifica-„ lem dignitatem, ad quam Divina gratia, & favor Apo-„ stolicus te provexit, per plana, & humilia gradiens, sic „ videbaris affabilis, benevolus, & benignus, sic fere „ apud omnes prompta reddebaris devotione conspicuus, „ quod merito sperabatur a cunctis, qui te ex tua pla-„ cida conversatione noscebant, quod in omni tuo statu „ quantumcumque magno, & arduo deberes dirigi sem-„ per in coelestium semitam mandatorum, dirigendo re-„ ligiosas, & alias pauperes, inopesque personas, & a-„ lia continue faciendo, quae essent in oculis Divinae „ majestatis accepta. Nobis quoque dum adhuc essemus „ in minori officio constituti, tua grata familiaritatis ob-„ sequia, quibus nostram tibi benevolentiam specialiter „ vindicasti, te virum morum gravitate maturum, vigi-„ lem tuae famae custodem, & charitatis zelatorem fer-„ vidum promittebant; adeo quod ex paterno, quem „ ad te conceperamus affectu, prompti reddebamur, & „ faciles ad tuum honorem, & commodum procuran-„ dum „.

Anno 1254. Vitali successit Fridericus, idque accidisse ante diem 28. mensis Junii ex veteri *Protocollo* in hoc Pisano Archiepiscopii Tabulario (2) servato, erudimur.

(1) Harum apographum est in Archivo hujus Pisani Monasterii S. Francisci. Editae etiam sunt ab eruditissimo P. Sbaralea *T. II. Bullarii Franciscani n. 577. pag. 406.*

(2) *Num. 3. litt. C. fol.* 2. Paullo postquam renuntiatus est Archiepiscopus has scripsit litteras, quarum autographum est in tablino Asceterii Monasteriarum Cisterciensium S. Bernardi *num.* 44. „ Viro venerabili, & „ amico in Christo reveritissimo domno B. Abbati Monasterii Sancti Gal-„ gani Cisterciensis Ordinis Wlterranensis Dioecesis Fredericus Dei, &

„ Apo-

mur. Anno sequenti mense Augusto, quo Alexander in Sanctarum numerum adscivit Claram Assisiensem, in Urbe Anagnia in Latio commorabatur, ubi Summum Pontificem coram S. R. E. Cardinalibus, & multis aliis Praelatis, sic alloquutus est: *Pater Sanctissime non solum consulo propter illa, quae scilicet per venerabilem Patrem Dominum Richardum Sancti Angeli dignissimum Cardinalem Diaconum, hic de ipsa* (Clara) *prudentissime recitata sunt, sed suppliciter supplico quatenus eam Sanctarum catalogo adscribatis, ut ipsius precibus, & meritis vitam aeternam consequi mereamur* (1).

Ex Alexandri IV. litteris (2), ex Pisani Archivii tabulis (3), aliisque monimentis (4), in quibus Fridericus Archiepiscopus *electus* dicitur, aperte colligitur, ejus consecrationem factam fuisse anno tantum 1257. eo temporis

„ Apostolicae Sedis gratia Pisanus electus in vero salutari salutem. Praeclara domus vestrae, nec non & totius Ordinis Cisterciensis Sacra Religio nos inducunt, ut eandem domum vestram, & Ordinem gratia, & favore benevolo prosequamur. Cum igitur dominus Papa suis vobis dederit litteris in mandatis, prout in eisdem litteris intelleximus contineri, occurrente super hoc nihilominus authoritate Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, sicut etiam in litteris Abbatis Cistercii evidenter apparet, ut Monasterium Sanctae Crucis de Fauce Arni nostrae Dioecesis eidem incorporare Ordini deberetis, nos ipsius domini Papae mandatis, & beneplacitis in hac parte benignius annuentes, & affectantes non modicum, ut praedicti Monasterii novella plantatio in Domino coalescat discretioni vestrae plenariam praebuimus licentiam, & consensum, ut ad honorem, & gloriam Summi Regis praefatum Sanctae Crucis Monasterium incorporare deberetis Ordini memorato juxta praedicti vestri Ordinis instituta, quod quidem fecistis, ut decuit, sicut & in vestris litteris continetur. Ne itaque de incorporeitate hujusmodi de nostra facta, ut dictum est, licentia, & consensu ab aliquibus possit imposterum dubitari, praesentes litteras vobis concessimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum Pisis mense Julii anno Domini MCCLIV. „

(1) *Sermone 6.*

(2) *T. cit. Bullarii Francisc. n.* 271. 281. 308. 315.

(3) *T. III. apographorum numeris* 830. 835. *& seqq.*

(4) *Ex Protocollo citato.*

poris spatio, quod intercedit inter mensis Julii, & Augusti dimidium (1). Antequam Pontifex noster consecraretur, munera quae sunt Ordini Episcopali propria gessit Pisis Lombardus Antistes Aleriensis in Corsica. Tandiu vero Friderici consecratio dilata est *ob dissensionem Romanae Ecclesiae cum Pisanis*, ut existimat doctissimus Sbaralea (2), olim praeceptor meus. Etenim licet, ut antea narravimus, Vitalis Archiepiscopus anno 1245. potestatem ab Innocentio IV. accepisset absolvendi a Censuris Ecclesiasticis Pisanos, nihil tamen factum est, quod hi principem conditionem a Summo Pontifice exactam, quae erat ne Friderici II. Imperatoris partes amplius tenerent, exequi noluerint, quemadmodum animadvertit Flaminius *dal Borgo* (3); unde Pisana Civitas tribus lustris, & ultra poenis Ecclesiasticis affecta mansit: & anno solum 1257. Friderico Imperatore jam defuncto ad bo-

(1) In Instrumento enim confecto anno laudato idibus Julii, quod est *in Protocollo indic. fol.* 8. Fridericus dicitur Archiepiscopus *electus*; in altero vero confecto 17. calendas Septembris *to electus* reticetur, quod argumento est tunc consecratum jam fuisse. En integrum instrumentum *ex Protocollo n.* 4. *litt.* D. *fol.* 1. „ Dominus Fridericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus praesentibus Bujamonte, Joanne, & Jacobo filiis quondam domini Gatti, & pluribus aliis Nobilibus viris decrevit, „ quod vult, & sibi placet quod domino Chrysostomo Malcondine, qui „ heri in festivitate Assumptionis Beatae Mariae in Processione, quam „ praedictus dominus Archiepiscopus fecit cum Clero, & fidelibus ab Ecclesia S. Martini de Guatolongo usque ad Ecclesiam majorem, detulit „ *Manutergium* coram praedicto domino Archiepiscopo nullum jus acquiratur, nec honor, & quod filiis quondam praedicti domini Gatti, qui „ dicuntur per consuetudinem deferre debere *Manutergium* in Processione praedicta nullum sit praejudicium, nec honoris diminutio; imo placet sibi, quod de cetero debeant illud in Processionibus deferre, & „ quod habeant illud, quod cum ipso *Manutergio* patet, & antiqui eorum soliti sunt habere. Datum Pisis in Balatorio Curiae Archiepiscopalis Pisanae domino Raynerio, & Guidone da Saxetta, & Chrysostomo Nichio, & aliis testibus MCCLVIII. [*stylo Pisano*] Indict. XV. „ XVII. calend. Septembris „.

(2) *In notis ad litteras citatas pag.* 406.

(3) *Dissertatione* 4. *dell' Istoria Pisana pag.* 251. *e seg.*

bonam frugem ex animo rediit, quo cum Legatos, & Syndicos suos ad Alexandrum IV. misisset, spopondissetque Apostolicae Sedi in omnibus obtemperare, Alexander ipse calendis Aprilis jussit Fratri Mansueto Tanganellio (1) a Castelione Florentino Ordinis Minorum Poenitentiario suo, ut Cives Pisanos a Censuris absolveret, dum *Pisanum Commune in Civitate ipsa, vel circa eam in loco apto, quem ad hoc duxerit designandum, quoddam Hospitale construi faceret, in quo tam pro aedificiis, quam pro dotatione ipsius, usque ad quinquennium decem millia libras Pisanorum parvorum, videlicet duo millia quolibet anno* expenderet (2). Itaque F. Mansuetus anno laudato in die festo Pentecostes, non vero anno 1244. ut falso scribit Waddingus (3), Pontificis mandata fecit, & Pisanos Ecclesiae Romanae unitati restituit magna solemnitate, siquidem adfuerunt praeter ingentem populi frequentiam, sex Archiepiscopi, novem Episcopi, quinque Abbates, & S. Bonaventura Ordinis Minorum Minister Generalis (4).

Ea

(1) Raphael Roncionius *Hist. Pisana MS. lib.* 10. *ad annum* 1257. *pag.* 201. „ Fra Mansueto Tanganelli da Castiglione Aretino Cappellano di Pa„ pa Alessandro IV.

(2) Ex litteris Alexandri apud Lunig. *T. III. Codicis Italiae Diplomatici cap.* 3. *n.* 22. *col.* 497., apud Sbaraleam *T. cit. n.* 323. *pag.* 212.; apud Ughelium, Troncium, & dal Borgo.

(3) *T. III. Annal. Ordinis Minor. ad eum ann. num.* 22. *pag.* 146. *edit. Romanae.*

(4) Marangonius *Chron. Pis. ad ann.* 1258. *col.* 250. ait tantum Pisanos a Censuris absolutos fuisse; Michael de Vico *Breviario Hist. Pisanae col.* 192. solum subiungit, id accidisse *mediante Religioso viro F. Mansueto de Ordine Minorum Poenitentium* (Poenitentiario) *Cappellano domini Papae Alexandri IV., ejusque Legato, & Nuntio.* Sed tot Praesules sacrae functioni adfuisse manifestum est ex tabulis, quas anno communi 1305. quinto calendas Januarias scribere fecit F. Henricus Magister, & Rector Hospitalis superius laudati, cujus primus lapis positus est occasione Pisanae expiationis. In his porro tabulis apud clariss. Flaminium dal Borgo *Raccolta di Scelti &c. num.* 18. *pag.* 66. sic legitur „ Venit igitur „ suprascriptus Legatus [*F. Mansuetus*] Pisas, & septem Cardinalium, qui „ tunc

poris spatio, quod intercedit inter mensis Julii, & Augusti dimidium (1). Antequam Pontifex noster consecraretur, munera quae sunt Ordini Episcopali propria gessit Pisis Lombardus Antistes Aleriensis in Corsica. Tandiu vero Friderici consecratio dilata est *ob dissensionem Romanae Ecclesiae cum Pisanis*, ut existimat doctissimus Sbaralea (2), olim praeceptor meus. Etenim licet, ut antea narravimus, Vitalis Archiepiscopus anno 1245. potestatem ab Innocentio IV. accepisset absolvendi a Censuris Ecclesiasticis Pisanos, nihil tamen factum est, quod hi principem conditionem a Summo Pontifice exactam, quae erat ne Friderici II. Imperatoris partes amplius tenerent, exequi noluerint, quemadmodum animadvertit Flaminius *dal Borgo* (3); unde Pisana Civitas tribus lustris, & ultra poenis Ecclesiasticis affecta mansit: & anno solum 1257. Friderico Imperatore jam defuncto adbo-

(1) In Instrumento enim confecto anno laudato idibus Julii, quod est *in Protocollo indic. fol.* 8. Fridericus dicitur Archiepiscopus *electus*; in altero vero confecto 17. calendas Septembris *to electus* reticetur, quod argumento est tunc consecratum jam fuisse. En integrum instrumentum *ex Protocollo n.* 4. *litt. D. fol.* 1. „ Dominus Fridericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus praesentibus Bujamonte, Joanne, & Jacobo filiis quondam domini Gatti, & pluribus aliis Nobilibus viris decrevit, quod vult, & sibi placet quod domino Chrysostomo Malcondine, qui heri in festivitate Assumptionis Beatae Mariae in Processione, quam praedictus dominus Archiepiscopus fecit cum Clero, & fidelibus ab Ecclesia S. Martini de Guatolongo usque ad Ecclesiam majorem, detulit *Manutergium* coram praedicto domino Archiepiscopo nullum jus acquiratur, nec honor, & quod filiis quondam praedicti domini Gatti, qui dicuntur per consuetudinem deferre debere *Manutergium* in Processione praedicta nullum sit praejudicium, nec honoris diminutio; imo placet sibi, quod de cetero debeant illud in Processionibus deferre, & quod habeant illud, quod cum ipso *Manutergio* patet, & antiqui eorum soliti sunt habere. Datum Pisis in Balatorio Curiae Archiepiscopalis Pisanae domino Raynerio, & Guidone da Saxetta, & Chrysostomo Nichio, & aliis testibus MCCLVIII. [*stylo Pisano*] Indict. XV. XVII. calend. Septembris „.

(2) *In notis ad litteras citatas pag.* 406.

(3) *Dissertatione* 4. *dell' Istoria Pisana pag.* 251. *e seg.*

bonam frugem ex animo rediit, quo cum Legatos, & Syndicos suos ad Alexandrum IV. misisset, spopondissetque Apostolicae Sedi in omnibus obtemperare, Alexander ipse calendis Aprilis jussit Fratri Mansueto Tanganellio (1) a Castelione Florentino Ordinis Minorum Poenitentiario suo, ut Cives Pisanos a Censuris absolveret, dum *Pisanum Commune in Civitate ipsa, vel circa eam in loco apto, quem ad hoc duxerit designandum, quoddam Hospitale construi faceret, in quo tam pro aedificiis, quam pro dotatione ipsius, usque ad quinquennium decem millia libras Pisanorum parvorum, videlicet duo millia quolibet anno* expenderet (2). Itaque F. Mansuetus anno laudato in die festo Pentecostes, non vero anno 1244. ut falso scribit Waddingus (3), Pontificis mandata fecit, & Pisanos Ecclesiae Romanae unitati restituit magna solemnitate, siquidem adfuerunt praeter ingentem populi frequentiam, sex Archiepiscopi, novem Episcopi, quinque Abbates, & S. Bonaventura Ordinis Minorum Minister Generalis (4).

Ea

(1) Raphael Roncionius *Hist. Pisana MS. lib.* 10. *ad annum* 1257. *pag.* 201. „ Fra Mansueto Tanganelli da Castiglione Aretino Cappellano di Pa- „ pa Alessandro IV.

(2) Ex litteris Alexandri apud Lunig. *T. III. Codicis Italiae Diplomatici cap.* 3. *n.* 22. *col.* 497. , apud Sbaraleam *T. cit. n.* 323. *pag.* 212. ; apud Ughelium, Troncium, & dal Borgo.

(3) *T. III. Annal. Ordinis Minor. ad eum ann. num.* 21. *pag.* 146. *edit. Romanae.*

(4) Marangonius *Chron. Pis. ad ann.* 1258. *col.* 250. ait tantum Pisanos a Censuris absolutos fuisse; Michael de Vico *Breviario Hist. Pisanae col.* 192. solum subiungit, id accidisse *mediante Religioso viro F. Mansueto de Ordine Minorum Poenitentium* (Poenitentiario) *Cappellano domini Papae Alexandri IV., ejusque Legato, & Nuntio.* Sed tot Praesules sacrae functioni adfuisse manifestum est ex tabulis, quas anno communi 1306. quinto calendas Januarias scribere fecit F. Henricus Magister, & Rector Hospitalis superius laudati, cujus primus lapis positus est occasione Pisanae expiationis. In his porro tabulis apud clariss. Flaminium dal Borgo *Raccolta di Scelti &c. num.* 18. *pag.* 66. sic legitur „ Venit igitur „ suprascriptus Legatus [*F. Mansuetus*] Pisas, & septem Cardinalium, qui

„ tunc

Ea occasione Fridericus Archiepiscopus in nostra S. Francisci Ecclesia, in qua etiam, ut opinor, Pisanorum absolutio facta est, Orationem (2) habuit; ex hac porro constat, Mansuetum, quem summis laudibus extollit Fridericus, omne studium adhibuisse, ut Pontifex Maximus in Ecclesiae gratiam Pisanos reciperet: eosdem Pisanos stare promissis Alexandro factis, postmodum recusantes hortationibus suis ad ei obediendum coegisse; ac tandem ut Pisani voti compotes fierent, ne expensis quidem

„ tunc in Romana Curia aderant secum venias deferens, videlicet a quolibet „ illorum septem Cardinalium, annum unum, & centum dies, de mandato „ Summi Pontificis memorati [*Alexandri IV.*] una cum Reverendis Patribus „ Archiepiscopo Pisano, Archiepiscopo Callaritano, Archiepiscopo Turritano, Archiepiscopo Januense, Archiepiscopo Massarum, qui tunc Missarum solemnia celebravit, Archiepiscopo Panormitano, Episcopo Lunisano, Episcopo Lucense, Episcopo Florentino, & Episcopo Fesulano, Episcopo Arretino, Episc. Vulterrano, Episc. Senense, Episc. Grossetano, „ & Episc. Massetano, & cum Abbate Monasterii S. Pauli, Abbate S. Sabini, Abbate SS. Gorgonii, & Viti, & Abbate S. Michaelis de Burgo, „ Abbate S. Zenonis, de quibus veridice recordamur die Sancto Pentecosten concurrentibus anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo „ octavo, Indictione 15. tam sanctum locum cum hymnis, & canticis „ quoque Angelicis fundaverunt, quilibet illorum praefatorum Legati, „ Cardinalium, Archiepiscoporum, & Abbatum praelibatorum unum annum, & centum dies de mandato Summi Pontificis ab ipso die Pentecosten, & singulis diebus usque ad octavam ipsius perpetuo, & per cuncta „ annorum curricula futurorum in tam sancta domo misericorditer concesserunt. Sane Frater Bonaventura Generalis Minister totius Ordinis „ Fratrum Minorum de mandato dicti bonae memoriae Alexandri Papae „ jam dicti in praedicta fundatione interfuit, & de mandato ejusdem „ Summi Pontificis omnium bonorum, & orationum, quae in dicto suo „ Ordine fierent ubique per eorum domos fecit universos benefactores & „ singulos Hospitalis participes, & consortes „.

(2) Friderici Oratio MS. servatur Florentiae in Bibliotheca Laurentiana in Codice, de quo postea verba faciemus. Ejusdem exemplar manu exaratum P. M. Ludovici Nuti Franciscani Conventualis olim in hac Pisana Academia S. T. publici Professoris extat in Monasterii Pisani S. Francisci Tabulario. Sub illius vero initium sic auditores suos alloquitur Fridericus: *Nuntiate ergo pro me, idest orate Dominum nostrum Jesum Christum, & si placet, quod oret pro omnibus unus rogemus B. Franciscum, in cujus Ecclesia sumus, ut ipse hanc gratiam benedicendi nobis impetrare dignetur, & quilibet vestrum dicat nobiscum:* Ora pro nobis B. Francisce, ut digni efficiamur promissionibus Christi.

dem pepercisse: *Iste autem* (verba sunt Friderici) *noster Legatus per gratiam Domini nostri Jesu Christi quocunque fuit missus, & maxime ad nos fidelis multipliciter est inventus; fidelis enim fuit tripliciter scilicet corde, ore, & opere. Corde quia nimio zelo zelatus in reconciliatione Civitatis Pisanae, sicut patuit tam in Romana Curia, quam hic inter nos, quia cum non esset natione, vel conversatione, vel beneficii collatione, seu receptione Pisanus, tamen cor suum erat ardens in eo pro reconciliatione praedicta . . . . . . item fidelis fuit ore, quia populum Pisanum existentem in invio, & sibi contradicentem, & dicentem: Domine Legate alter Legatus veniet, & nos absolvet, vos ite cum Deo si non vultis, quod dicimus, adimplere, per verba sua sancta direxit in viam rectam . . . . . . item fidelis fuit in opere, quia cum propter expensas, quas mercatores petebant, non posset reconciliationis negotium consumari, ipse Calices, & thesaurum S. Francisci pro expensis C. librar. obtulit mercatoribus liberaliter, & libenter.* His verbis Fridericus Orationi suae finem imponit, quae mihi digna visa sunt, ut hic exhibeantur „ & vero per istum Raphaelem, qui interpre„ tatur medicina Dei satis congrue intelligere possumus, „ dominum istum Legatum F. Mansuetum, per quem „ animarum, & corporum recepimus sanitatem, quia „ per ejus adventum, & nostram absolutionem pestilen„ tia infirmitatum (1) cessavit, & magnam partem quie„ tis, & pacis habuimus in recuperatione Castelli de

„ Ca-

(1) Tunc enim Pisana Civitas febribus tertianis vexabatur, ut ex Friderici verbis erudimur: *noster Legatus fidelis sanitas, quia non solum nobis contulit sanitatem animarum, sed & corporum; unde in me ipso expertus sum, quia ad imperium suum febris tertiana me non invasit.* Factum hoc, & fortassis etiam alia, quae ignorantur, quantum conjicio, in causa fuerunt, quamobrem *Clerici, & laici, masculi, & foeminae, senes, & juvenes* Mansuetum vocarent Sanctum *per vicos, & plateas*, ut inquit Fridericus.

„ Castro; sed certe ut video nihil dignum sibi retribue-
„ re possumus pro omnibus, quae retribuit nobis, nisi
„ calicem salutaris accipiamus pro ipso, & nomen Do-
„ mini invocemus, ut scilicet ipse in gratia Dei, & do-
„ mini Papae, & dominorum Cardinalium confirmetur,
„ & eorum Collegio adiungatur, ut sic ipsum apud De-
„ um, & homines honoratum, nos, & Pisanis Cives ta-
„ lem protectorem, & defensorem, & promotorem ha-
„ bere in Romana Curia mereamur, & ipse per hoc
„ verbo, & exemplo proficiens in Ecclesia Sancta Dei
„ cum multiplicatis talentis mereatur ad Dominum per-
„ venire „.

Quantum ex veteribus monumentis hujus Pisani *Archivii* a me lectis apparet, Fridericus ante consecrationem ad Ecclesiae suae reditus augendos praesertim incubuit; mense tamen Decembri anni 1256. sciens *Ptochotrophium*, quod Alexander III. dum esset Pisanus Canonicus *prope in via, quae dicitur Sanctae Mariae aedificaverat* (1) tenues habere proventus, huic aliud *Hospitale* coniunxit positum in Paroecia Sanctae Ceciliae, quod ejus jurisdictioni subiectum erat; cum hac conditione, ut *Hospitali* S. Mariae Praefectus solveret Archiepiscopo Pisano *unum Bizantium massamutinum annuatim in festo S. Mariae mensis Augusti* (2). Alia etiam *Hospitalia* anno 1257. copulavit Nosocomio, quod hoc ipso anno Pisani, jussu Alexandri IV. construere coeperant; sed etsi Fridericus id fecerit hortante Mansueto A. S. L., accedente Canonicorum consensu, & Summi Pontificis approbatione, reclamantibus tamen Patribus Camaldulensibus, & aliis, ad quos ipsa *Hospitalia* spectabant, idem Pontifex statuit, ut iterum eadem disiungerentur (3).

An-

(1) Vide quae diximus *in Balduino*.
(2) Consule *tabulas T. III. apograph. n.* 849.
(3) Confer quae narrabimus, ubi de laudato Nosocomio ex instituto loquemur.

Anno suae consecrationis primo, idest anno 1258. mense Februario in Quadragesima Synodum (1) celebravit pro reformandis gregis sui moribus, ac disciplina maxime de Clericorum coelibatu, quae in Dioecesi Pisana non secus perinde, ac in multis aliis locis jam tum fere defecerat, quemadmodum testatur Fridericus ipse in Sermone, quem in Synodo ad Clerum habuit, dicens: *Pauci etiam sunt Sacerdotes, ut intelleximus, in nostra Dioecesi, qui non teneant Concubinam, & qui diutius etiam eas publice tenent exceptis senibus, qui quasi non peccata reliquerunt, sed eos potius tamquam impotentes peccata dimittunt; & sunt quidam miseri, qui dicunt, solutum cum soluta non committere mortale peccatum, dicentes cum apostata Juliano, pro eo quod naturale est, peccatum non esse &c.* Huic Synodo adfuisse duos ex Episcopis, qui Ecclesiae Pisanae parebant, Rogerium nempe de Ugurgeriis Massanum, & Lombardum Aleriensem in Corsica Antistitem; caeteros vero, qui Pisas accedere nequiverant, Archipresbyteros suos misisse, erudimur tum ex ejusdem Synodi Actis in Appendice monumentorum legendis, tum ex Friderici verbis mox adducendis. Ac Massanum Episcopum ad eam vocatum fuisse, constat etiam ex instrumento (2), quo is anno 1258. septimo calendas Februarias dedit in emphyteusim Albizo, & Alberto *curtem Tricasi oppidi* potestate ad id sibi facta ab Archiepiscopo Pisano: in eo enim Rogerius sic ait „ confitemur habuisse, & recepisse a vobis Albizo, & Alber-
„ to praedictis dantibus, & solventibus pro vobis, & Il-
„ debrandino fratre vestro lib. C. den. Pis. minutorum,
„ & dictos denarios recepisse, & habuisse a vobis pro
„ expensis nostris, & nostrae societatis, pro eundo ad

(1) Vid. *Sermonem* 1.
(2) Apud Ughellium *T. III. in Episc. Mass. n. 29. col. 717.*

„ Synodum, ad quam citati sumus ire a domino Frede„ rico Ven. Patre Pisano Archiepiscopo Metropolitano „ nostro, ut de citatione apparebat per litteras destina„ tas, sigillatas quodam sigillo de cera viridi, in quo „ erat imago Episcopalis, & in circulo litterae tales, „ *sigillum Federici Dei gratia Pisani Archiepiscopi* „; hinc manifestissime apparet, laudatam Synodum Provincialem fuisse.

Ob eandem caussam anno 1260. in die festo Pentecosten, qui cum die 23. mensis Maji concurrebat, initium dedit celebrationi alterius Synodi (1). Haec tres dies duravit, & quantum colligitur ex Sermone (2), quem Fridericus tertia die, quando Synodo finis impositus est, recitavit non Dioecesana solum, sed Provincialis fuit; nam ex illo liquet, eidem adfuisse Massanum, & Aleriensem Antistites antea laudatos, qui Pisano Archiepiscopo parebant: *Attente, & devote*, ita legitur in laudato Sermone, *verba Domini audivistis, & merito audire benigne debuistis, quia tam sapienter, tam prudenter, & tam efficaciter per istos venerabiles Fratres Episcopos Suffraganeos nostros dominos Massanum, & Aleriensem, & etiam per Archipresbyteros nostros, & per Magistrum Theologiae scilicet Fratrem Mansuetum Minorem, & Fratrem Primum Praedicatorem, & per alios Praedicatores, & Cappellanos* exposita sunt. Tertiam quoque Synodum congregavit anno suae consecrationis, quarto, idest anno 1262., quae non secus perinde ac aliae duae Provincialis fuit, ut perspicue, distincteque ostendunt sequentia Friderici nostri verba: *Istud nostrum Concilium est Provinciale, quia sunt hic duo, ut videtis, de Provincialibus Episcopis nostris, scilicet dominus Massanus, & dominus Aleriensis; alii vero Episcopi quia impediti erant miserunt* Archi-

(1) *Sermone* 2.
(2) *Numero* 3.

Archipresbyteros suos (1). Tametsi Archiepiscopus noster intentus multum esset tollendis e propria Dioecesi abusibus, non praetermisit tamen alia opera, quae vero Pastori conveniunt; ac praecipue curavit, ut perficeretur Nosocomium, quod mandante Alexandro IV. Pisani construere anno 1257. incoeperant, ut antea narravimus; hinc anno 1260. nono calendas Octobris scripsit ad populum sibi commissum litteras (2), quibus eum hortatus est ad copiosas pro illo perficiendo eleemosynas erogandas.

Per haec eadem tempora Fridericus, nescio quo spiritu ductus, insectari coepit Fratres Minores, Moniales, aliasque personas tum Civitatis, tum Dioecesis Pisanae, quae Deo sese religiosam in servitutem dicaverant; quocirca in maximam apud Alexandrum IV. reprehensionem incurrit, ut liquet ex hujus litteris (3) ad eum missis anno 1260. quarto calendas Septembris, quae etsi prolixae nihilominus recitandae hoc in loco sunt: postquam Archiepiscopatus *dignitatis speculam conscendisti, teque Apostolica Sedes, impenso tibi consecrationis munere, ad gerendam debitam commissi tibi Dominici gregis curam, & sollicitudinem destinavit; tantam mentis elationem, quod dolentes referimus, concepisse, sicque in acerbitatem inhumanitatis obriguisse diceris, quod de humilitatis substantia, cujus in minori statu te forsitan simulabas amicum; & de benignitatis mansuetudine, quam blando prius praetendebas aspectu, nihil omnino retinens Deum in suis Ministris offendere non vereris. Dolemus igitur multorum in te errasse judicium; testamur nostram circa personam tuam puram, & sinceram intentionem fuisse,*

(1) *Sermone 4.*
(2) Apud Flaminium dal Borgo *loco citato.*
(3) MSS. sunt in Tabulario Monasterii Pisani S. Francisci; editae vero T. II. *Bullarii Franciscani pag.* 406. *& seq.*

se, quod non speravimus, circumventam, si talis es, qualis esse describeris coram nobis. Intelleximus etiam, quod tu erga dilectos filios Fratres Ordinis Minorum, & dilectas in Christo filias Moniales Ordinis S. Dominici, aliasque religiosas personas tuae Civitatis, & Dioecesis debita charitatis viscera repagulo tenacis avaritiae, & avarae tenuitatis obfirmans, non solum eis pia eleemosynarum subsidia denegas erogare, sed quod deterius est, consuetae discretionis limites exiens, & Pontificalis temperantiae confinia non observans, factus es durus Personarum hujusmodi persecutor, easque multiplicibus molestiis, gravaminibus, & pressuris affligis; nequaquam considerans, quantum ex hoc aeterno Patri displiceas, & quantum Romana Ecclesia, quae illarum tutrix, & defensatrix existit, in earum offendatur offensis, & molestiis molestetur; neque recogitans qualem, & quantum habuerimus semper ad dictos Ordines, & habeamus dilectionis affectum; & qualiter in illorum oppressoribus nostra viscera quatiuntur. Est ne hic fructus amabilis, & perdulcis, quam de te sua utique planta praedicta colligere sperabat Ecclesia? Sunt ne haec devotionis exempla, quae ad Praelatos alios de piis tuis actibus, gestisque transmittis? Sunt ne ista humilitatis opera, quae in tua blanda, & amica facie praetendebas? Certe nunquam speravimus, quod pauperes, & humiles servos Christi cornibus elatis opprimeres, & irreverenti animo conculcares; quinimo quod eorum Pater, & Patronus existeres tuae promotionis tempore certa spes Nobis, & fiducia praebebatur. Licet igitur ex his non indigne noster contra te graviter scandalizatus sit animus, & turbatus, quia tamen illius antiquae dilectionis, quam ad te ante promotionem tuam habuisse dignoscimur, non sumus immemores; providimus hujusmodi super iis increpationis fore tibi a Nobis litteras destinandas; & praemissis per te ipsum

sum

sum celeriter emendatis, nequaquam oporteat, Nos super his medelam correctionis Apostolicae adhibere. Ideoque Fraternitatem tuam monemus, & hortamur attente per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus considerans, quod in offensa talium personarum ipse Christus offenditur, memorata Sedes graviter provocatur, tuaeque famae multipliciter deperit, ac decrescit; ab ipsarum gravaminibus, & offensis, sicut Divinam, & nostram, ac dictae Sedis caram habes gratiam, omnino desistas; immo potius more pii Patris ad eas dexteram tuae charitatis, & protectionis extendas; & nihilominus in iis, & quibuscunque aliis concessae tibi dignitatis culmini factis eximiis te studeas coaptare; ut sicut illa nobilitatis titulis praelucet insignibus, sic & tu claris probitatis actibus enitescas; ita quod in te tanquam virtutum limpido speculo creditus tibi grex Dominicus salubriter dirigatur; Nosque tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde in Domino perfusi laetitia, dulcia praedictae Sedis ubera, quae copiose hactenus in multorum beneficiorum perceptione suxisti, tibi tuis exigentibus meritis affectuosius porrigamus.

Cum anno circiter 1262. totam Dioecesim visitasset, ac statuisset Provinciam etiam Ecclesiae Pisanae subjectam visitare mentem suam Rogerio *de Ugurgeriis* Episcopo Massano significavit, qui primo quidem respondit, se paratum esse eum honorifice recipere, at postea a Canonicis inductus animum mutavit, ac praeterea contra Pisanum Antistitem Sedem Apostolicam appellavit, idcirco Fridericus Rogerium ipsum & Massanos Canonicos excommunicationis poena affecit, postmodum vero, *ait* „ *ipse Fridericus*, volentes Pisanam Provinciam visitare „ Episcopum Massanum Suffraganeum nostrum per no„ stras literas duximus inquirendum, ut praepararet se

„ ad

„ ad nos recipiendum, & ordinaret per quam viam de-
„ beremus illuc ire, & per quam aliam redire, ut non
„ essemus Ecclesiis onerosi; qui per benignam respon-
„ sionem per suas litteras (*nobis significavit*) quod pa-
„ ratus erat quantum in se nos in omnibus, & per om-
„ nia honorare; tandem de consilio sui Capituli seducti
„ laicorum consilio, ne iremus visitare cum consuetudo
„ non fuerit, quod per Pisanum Archiepiscopum visita-
„ retur, per Procuratorem ad Sedem Apostolicam ap-
„ pellavit, sed nos ipsam appellationem frivolam repu-
„ tantes, eundem Episcopum, & quemlibet de suo Ca-
„ pitulo excommunicationis vinculo in scriptis duximus
„ innodandos, & excommunicatos per totam Civitatem
„ nostram fecimus publice nuntiari, & ibi districte
„ praecepimus, ut eosdem tanquam excommunicatos us-
„ que ad satisfactionem condignam strictius evitetis (1).
Verum Episcopus, & Canonici Massani *quia apud Sedem Apostolicam litteras, vel auditorem impetrare nequiverunt coacti sunt redire ad mandatum* Friderici Archiepiscopi, qui cum eo tempore in Sardiniam jam concessisset *Procurator Episcopi, & Capituli Massani*, inquit idem Fridericus, *juravit in manibus Archipresbyteri nostri, & Galli Pisani delegatorum nostrorum ad hoc specialiter deputatorum super praedictam visitationem parere mandatis nostris, & recipere nos, & demum plurimum honorare* (2).

Quandoquidem vero de profectione Friderici nostri in Sardiniae Insulam mentionem superius feci, quae in ea is operatus est, quaeque illi acciderunt ipsius verbis potius, quam meis narrare operae pretium puto „ In
„ eterni, & Summi Dei nomine, amen. Ad perpetuam
„ rei gestae memoriam. Cum nos Fridericus Divina, &
„ Apostolica gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepisco-
„ pus

(1) Vide *Sermonem* 95.
(2) Confer *Sermonem* 99. *juxta indicem a nobis exhibendum*.

„ pus totius Sardiniae Primas, & Apostolicae Sedis Le-
„ gatus anno Dominicae Incarnationis millesimo ducente-
„ simo sexagesimo quarto (1), nostrae vero consecratio-
„ nis sexto, ad Curiam ivissemus, & impetravissemus om-
„ nium privilegiorum nostrorum confirmationem gene-
„ ralem a domino nostro Urbano Papa IV. Pontifica-
„ tus ejus secundo, & etiam litteras, quibus in Sardi-
„ nea possemus uti libere jure nostro; primo Civitate,
„ & Dioecesi nostra Pisana solemniter, & feliciter visi-
„ tata ad preces Potestatis, Antianorum, & Communis
„ Pisani praeparavimus nos magnifice ad transfretan-
„ dum in Sardineam caussa Primatiae, Legationis, &
„ visitationis officium exercendi. Et cum Commune Pi-
„ sanum Galeam optimam, & depictam de rubeo cum
„ Mitra, & Pastorali in puppi medio, & praeparata,
„ & cooperta in puppi de una petia, & tertia optimae
„ gamurrae rubeae nostris tamen denariis empta, & ar-
„ mata cum centum hominibus, quorum 60. Plumbi-
„ nenses, 20. Vadenses, & 20. Liburnenses extiterunt
„ (Liburnenses vero ex quia venire non poterant dede-
„ runt libras 40., de quibus libris 40. tam apud Va-
„ dam, quam apud Plumbinum alios loco eorum feci-
„ mus conduci) Gomito existente discreto, & prudenti
„ viro Alberto Follario nobis assignari fecissent, tamen
ad

(1) Hinc patet errare Vivianum, qui *Praxi Jurispatronatus par. 1. lib. 3. cap. 2.* scribit, Fridericum Sardiniam visitasse anno 1265. Ideo autem Vivianus ad eum annum refert iter Sardiniense Archiepiscopi nostri, quoniam legerat in quodam instrumento (*Protocollo litt. B. num. 2.*) scripto eo ipso anno 1265., dominum Fridericum memoratum concessisse quaedam bona *jure feudi Paloni filio Jacobi Pantaleonis, qui cum ipso domino ivit in Sardiniam, cum ipse dominus illuc ivit pro suae Legationis, & Primatiae officio exercendo.* Anni in his Actis numerantur juxta Pisanorum morem; nam Fridericus paullo post ait, se discessisse Pisis *die Veneris Palmarum, qui fuit decimo calendas Aprilis;* At feria sexta ante Dominicam Palmarum concurrebat cum die 23. Martii anno tantum 1263., quo Pascha calendis Aprilis celebratum est.

„ ad nostras expensas in victualibus tantum nostris etiam
„ expensis duximus Sagettinam armatam ad 12. remos.
„ Nos vero habuimus societatem 15. Clericorum, quo-
„ rum duo fuerunt Canonici, dominus scilicet Orlan-
„ dinus de Porcari Presbyter, Guelfus de Verano Dia-
„ conus, & Archidiaconus Lunensis, Prior Gerardus
„ Sancti Martini in Guassalungo, Magister Bellonus Ple-
„ banus de Cascina Presbyter, Ingerranus Canonicus
„ S. Petri ad Vincula, Petrus de Ceperano Canonicus,
„ & Scriptor, sive Notarius noster, Guido Malpilli,
„ Raynerius quondam Bildovini Scinacati, Orlandus de
„ Bandis Crucifer, Bonensegna Clerici nostri, Presby-
„ ter Jacobus Medicus Cappellanus Sancti Bartholomaei
„ de Lanfranchis, & Paganellus Clericus de Vico, &
„ tres Cantores, scilicet Presbyter Ugo S. Justi de Par-
„ lascio cum Morandino, & Uguiccione Clericis juve-
„ nibus Camptoribus optimis, & 35. Laicorum, inter
„ quos fuerunt duo Ambasciatores Communis Pisani,
„ scilicet dominus Raynerius Manzola Vicarius germa-
„ nus noster, & Leopardus gener ejus, item Herrigus
„ Ricoverantiae Vicarius, & Herrigus de Caprona mi-
„ lites, & nepotes nostri, & Marcus de Barba, reliqui
„ vero fuerunt domicelli, & officiales, & servitores,
„ ac familiares nostri.

„ In primis processimus autem sic. Die Veneris Pal-
„ marum, qui fuit 10. calend. Aprilis exeuntes circa
„ matutinum de Ecclesia Beati Petri ad Vincula, ubi
„ tunc (1) morabamur, intravimus cum quibusdam Cle-
„ ricis, & Laicis Barcam, & pervenientes apud S. Ru-
„ xorium (2) ibidem Missam audivimus pro naviganti-
bus

(1) Fridericum toto tempore, quo Pisanam Ecclesiam gubernavit, domo habitasse Templo Sancti Petri *ad Vincula* contigua, compertum est ex monumentis in Tabulario Archiepiscopii Pisani.

(2) Ubi saltem usque ad Seculum XII. Monasterium Ordinis S. Benedicti exsta-

„ bus Chriſtianis, & in Galeam, quae ibi erat, intravi-
„ mus pluribus Canonicis, Presbyteris, & Clericis, &
„ Judice, ac Milite Poteſtatis Piſanae, & pluribus aliis
„ Laicis, per terram Equis uſque ad litus maris Galeam
„ proſequentibus cum lacrymis, & ſingultu. Et ipſa
„ die apud Vadam, ſequenti vero apud Plumbinum per-
„ venimus Dei gratia proſpero vento flante, & die Do-
„ minica Palmarum celebrata Miſſa ibidem in Plebe,
„ ac poſt Nonam apud Sanctam Mariam Sororum Mi-
„ norum criſmata multitudine puerorum, Galeam intra-
„ vimus, & pervenientes in Portum Ilbae, qui dicitur
„ *Longone*, poſtea Divina favente gratia tranſeuntes per
„ Ilbam, & Corſicam, de Portu in Portum ventis proſ-
„ peris die Veneris Sancto pervenimus in Sardineam in
„ Judicatu Gallurienſi in Epiſcopatu Civitatenſi (1), ibi-
„ que celebravimus Dominicae Reſurrectionis Sanctum
„ Paſcha, recipiendo maximum honorem ab Epiſcopo
„ Civitatenſi, & Judice Gallurenſi, & ejus Judice defa-
„ cto nobili viro domino Giuffredo. Et ſequenti die
„ pervenimus ad Portum S. Luciae Epiſcopatus Gallu-
„ renſis (2), ubi occurrerunt nobis cum exeniis multis
„ praedictus Judex, & Epiſcopus Gaitellienſis; quo Ju-
„ dicatu viſitato Galeam intravimus, & in octava Reſur-
„ rectionis pervenimus proſpere ad Caſtellum de Ca-
„ ſtro (3), & quia circa Veſperas erat, quod non in-
 „ tra-

exſtabat, quod tamen ante Friderici aetatem Monachos deſerviſſe puto; ipſe enim Monaſterium laudatum conceſſit Patribus Humiliatis, ut *in Joanne VI. de Polo* narrabimus. Nunc ne veſtigia quidem Eccleſiae, aut Monaſterii apparent.

(1) De quo vide *Sardiniam Sacram pag.* 275.

(2) Nunquam in Sardinia fuit Epiſcopatus Gallurenſis; hinc reſcribendum eſt hoc in loco Gaitellienſis, ſeu Galtellinenſis, cujus Epiſcopatus memini *pag.* 280. *Sard. Sacrae*.

(3) Ideſt ad Urbem Calarim; haec enim Urbs duabus veluti partibus conſtat; eminentior, in qua ſunt Eccleſia Metropolitana, Epiſcopium, ac Pro-

„ traremus in Castrum, sed hospitaremus apud Fratres
„ Minores illa nocte: placuit Castellanis, ad hoc maxi-
„ me, ut die Lunae in mane solemniter deberemus in-
„ trare; quod sic factum est, quia cum magna proces-
„ sione Clericorum, Fratrum Minorum, Laicorum, &
„ Feminarum, & omnium tam Castelli de Castro, quam
„ de Stampace, & etiam cum Pallio serico super caput
„ nostrum receperunt nos equitantes in Equo sellato, &
„ sella cooperta de scherleto rubeo, & freno, & pectorali
„ de argentato, Castellanus cum quibusdam Nobilibus,
„ & Mercatoribus nos addextrando. Nos vero eramus
„ induti de camisea superna, & cocta alba, & pellibus
„ agnellinis coopertis de optima scherleta, cujus canna
„ constitit libr. 10. sol. 8. Pisan., & cum birreto, sive
„ giaffarda, sive elmusa, sicut utitur dominus Papa de
„ eodem scherleto forrata de grisio, alia erat forrata
„ de agnis, tertia de sendado rubeo; cappa etiam per
„ aquam erat de praedicto scherleto, & calige, & cap-
„ pellum per aquam, quod erat de pennis Pavonum
„ coopertum erat interius, & exterius de ipso scherleto
„ cum cordone de serico vermilio; ocreae vero, & sub-
„ tellares quasi feminiles, & planellae erant de optimo
„ corio rubeo Ispanico, calcaria etiam erant de argen-
„ tata cum serico sanguineo cooperta, & sic intravi-
„ mus solemniter in Castellum de Castro usque in Ec-
„ clesiam S. Mariae, ubi fecimus sermonem ad popu-
„ lum incipientes: *vade, & vide si cuncta sunt prospera*
„ *erga Fratres, & pecora quoque require* (Genesis cap. 37.)
„ & sic descendimus in quoddam Hospitium, juxta ipsam
„ Ecclesiam quia domus Archiepiscopi non erat capax;

„ & ibi

Pro-Regis Palatium dicitur Castellum de Castro a Pisanis anno 1217. aedificatum. Vide *Breviarium Historiae Pisanae T. VI. Script. R. Ital. col.* 191.; pars vero inferior, quae olim suburbium erat, nunc autem moenibus cincta est, vocatur *Stampace*.

„ & ibi congregatis Suffraganeis Episcopi Callaritani, „ quia tunc Archiepiscopus (1) erat Romae, magnum „ honorem, & plura exenia in pane, vino, carnibus, „ & caseis nobis contulerunt; & etiam pro nostris ex- „ pensis dedit Suellensis (2), qui erat Vicarius Archie- „ piscopatus libras 12., & Sulciensis (3) libras 15., & „ Doliensis (4) libras 15. Januenses, accomodantes nobis „ Equos. Sulciensis vero nos associavit per totam Sar- „ dineam, sed dum a Praelatis, Judicibus, & dominis „ Sardineae expectaremus Equos, ibidem occurrit festum „ B. Marci, in quo Litanias personaliter fecimus, & no- „ biscum Episcopus Sulciensis incipientes ab ipsa Eccle- „ sia Beatae Mariae ivimus ad S. Luciam, & ibidem „ cantato responsorio, & oratione ipsius dicta proces- „ simus ad S. Leonardum, ubi similiter fecimus; deinde „ ad S. Margaritam, ubi cantatum est Evangelium ip- „ sius, & confessione facta, ac Indulgentia tam pro no- „ bis, quam pro illis Suffraganeis 40. dierum pro quo- „ libet nostrorum exhibita, & postea ivimus per San- „ ctum Ephyseum, & Sanctam Restitutam, & Sanctam „ Annam, quae erant in supradicta Villa de Stampace, „ quousque pervenimus ad Sanctum Bracasium, ubi re- „ quievimus, & responsorium ipsius, & Evangelium ip- „ sius cantavimus, ac confessionem fecimus, & sic per „ medium Castrum reversi sumus ad Ecclesiam supradi-

(1) Scilicet Hugo, qui hoc anno 1263. die 2. mensis Augusti Pisis commorans concessit Indulgentias eleemosinas elargientibus pro restaurando Monasterio S. Paulli de Pugnano prope Pisas. Vide tabulas *in Append. monument. in notis.*

(2) Hic Episcopus idem sine dubio est ac ille, qui hoc anno interfuit Concilio Bonarcadensi in Sardinia; cujus tamen nomen ignoratur. Confer *Sardiniam Sac. pag.* 123.

(3) Gregorius, qui una cum Hugone Indulgentias, de quibus superius, concessit. *Ex tabulis citatis.*

(4) Hujus Antistitis Anonymi meminimus in *Sardinia Sacra pag.* 111.

„ ctam Beatae Mariae, ubi Miſſam ſolemniter celebravimus cum magno gaudio, & honore praedicantes populo; quare hujuſmodi Letaniae inventae fuerunt, & debent annis ſingulis celebrari, & ſtatuimus quod decreto fierent, quae non fiebant. Archiepiſcopus verò ſtultus Turitanus, nomine Frater Proſper (1), Monachus Ciſtercienſis natione Lombardus de Regio tunc erat Romae, ſive in Curia, quia Legatus fuerat Sardineae, & Corſicae invidens nobis, & Piſano Communi impetravit litteras tacita veritate ad nos, quod non uteremur Legatione, & ad Praelatos Sardineae, quod non obedirent, cum non fuerit intentionis domini Papae revocare Legationem ipſius, ſed vera occaſio fuit, quia Piſani excommunicati erant pro eo quod contra mandatum domini Papae equitaverant contra Lucanos (2), qui tenebant cum Eccleſia contra dominum Manfredum Principem, & Regem Siciliae. Praedictae tamen litterae non pervenerunt ad nos in Sardinea, licet pervenerint ad Praelatos; Nuntii enim fuerunt capti in Caſtello de Caſtro a Caſtellanis, & „ fue-

(1) Franciſcus Vicus *Hiſtoria General de la Iſla, y Reyno de Sardegna T. II. par. 4. cap. 31. fol. 72.* Proſperum hunc inter Archiepiſcopos Turritanos refert, quem praeterea, ait, fuiſſe Legatum Apoſtolicae Sedis in Sardinia, & Corſica, Conciliumque nationale celebraſſe anno circiter 1263. Bonarcadae, quod eſt oppidum in Dioeceſi Arborenſi, ſeu Oriſtanenſi. Quandoquidem Vicus Proſperum in Antiſtitem Turritanum electum ſcribit anno 1252, quo Archiepiſcopus erat Stephanus ab eodem Vico omiſſus; & Auguſtinus Juſtinianus, nec non Bartholomaeus Scriba narrant quidem, Pontificem Saſſaritanum per haec tempora Legatum fuiſſe Papae ad Genuenſes, ſed nihil dicunt de eodem munere ab illo geſto in Sardinia, & Corſica; ego Hiſtoriam Epiſcoporum Sardiniae perſcribens ex catalogo Antiſtitum Turritanorum Proſperum expunxi, Legatum Apoſtolicae Sedis in memoratis Inſulis extitiſſe negavi; & in dubium vocavi laudatum Concilium. Verum ex hoc praeclaro monumento conſtat, Proſperum Eccleſiam Turritanam gubernaſſe, & Legati officio in Sardinia, & Corſica functum eſſe.

(2) Id accidiſſe anno 1261. colligitur ex Richordano Malaſpina *Iſtoria Fiorent. cap. 173. T. VIII. S. R. Ital. col. 995.*

„ fuerunt miſſi ad preces Judicis, & Archiepiſcopi Arboreae. Nos vero diximus, quod ſi non tanquam Legatus, eſto quod litterae eſſent verae, tamen tanquam Primas, & Patriarcha totius Sardineae debebamus admitti, quod factum eſt. Habitis ergo Equis cum perſonis ſupradictis, & inſuper etiam per Sardineam duximus nobiſcum 18. homines, qui fuerunt dominus Tancredus Cappellanus de Calcinaria, & Plebanus de Aquis, ac Canonicus Callaritanus, & Magiſter Cortingus, & Dominus Bavera Juriſperitus, cum 12. militibus in Equis, qui venerunt cauſſa cuſtodiendi Equos dominorum ſuorum, ſcilicet 19. praedicti illuſtris viri domini Joannis Vicarii Judicis (1) Gallurenſis, quos nobis miſit prudens, & diſcretus vir Faſiolus Judex de facto pro Judice ipſo in Callari; & 25. Comitis Ugolini, & 12. Procuratoris Comitis Gerardi, & etiam ſuos, quos ipſius terrales equitabant, qui erant ſeptem. Judex autem Arboreae, & ejus Archiepiſcopus (2), & Epiſcopi Suffraganei ejus quia in obſidione erant contra arcem de Gutiano in Judicatu Turritano cum magno exercitu, ſcilicet mille equitum, & cum millium peditum non potuit commodare nobis Equos, excuſando ſe nobis per eorum litteras curialiter, & valde bene. Sulcienſem quoque Epiſcopum cum quatuor equitantibus in ſocietate noſtra per Sardineam duximus, & Piſas etiam in Galea, qui nos plurimum honoravit. Suellenſis, & Dolienſis Epiſcopi Suffraganei Callaritani Archiepiſcopi in equitationibus, & aliis nos multipliciter honorarunt. Quia ut praedictum eſt Archiepiſcopus (3) erat Romae, ejus Frater, & Procurator nomine Jacopellus in „ exe-

(1) Guilielmi Comitis Caprariae. Vide *Sard. Sacram pag.* 32.
(2) Fortaſſis Homodeus hujus nominis II. *Sardinia Sac. pag.* 241.
(3) Hugo nimirum Calaritanus antea laudatus.

„ exeniis, & procuratione apud Sanctum Petrum de
„ Noramine, cum armentario suo nos plurimum hono-
„ ravit. Pridie nonas Maii arripuimus iter nostrum pri-
„ ma die apud eundem Sanctum Petrum de Noramine,
„ secunda apud Sullurim, tertia apud Terralbam, &
„ fecimus Letanias Ascensionis apud ipsam Terralbam,
„ ubi occurrit nobis Archiepiscopus Arborensis, & sum-
„ pto prandio nobiscum praecessit nos, & expectavit
„ nos in mane in die Ascensionis, & processionaliter
„ cum Clero, & populo nos recepit; Mercatores etiam
„ Pisani nos addextrando pannum deauratum ab introi-
„ tu terrae Aristani usque ad Ecclesiam majorem super
„ caput nostrum deferendo, & ibidem a nobis Missa
„ solemniter celebrata, & proposito populo verbo Dei
„ assistentibus nobis in Altari eodem Archiepiscopo, &
„ Episcopo Sulciensi praedicto, declinavimus in Palatium
„ Judicis Arboreae, & quia idem Judex erat in obsi-
„ dione jam dicti Gutiani in Judicatu Turritano, expe-
„ ctavimus eum per octo dies, & die octava equitavi-
„ mus ad Monasterium Monarcanti (1). Die Veneris se-
„ quentis equitavimus apud Olmetum, die vero Sabati
„ pervenimus ad Episcopatum Ozanensem (2), qui est
„ Suffraganeus Archiepiscopi Turritani, & tunc misit ad
„ nos idem Judex Senescalcum suum cum cugnia, idest
„ coquina, & fecit ibi optime parari pro crastino die,
„ qui erat Pentecosten, tam pro nobis, quam pro Judi-
„ ce, & sua societate; & summo mane venit Judex de
„ exercitu ad nos cum CC. equitibus armatis, cui nos
„ obviam equitavimus, ut revertentes simul equitando
„ latius

(1) Monasterium hoc ad Patres Camaldulenses spectabat, ut videre est in eorum Annalibus. In oppido Monarcadae, seu Bonarcadae celebratum est Concilium illud Nationale, de quo in superiori adnotatione mentio facta est.

(2) De Episcopatu Ozanensi, seu Othanensi, legatur *Sardin. Sacr. pag.* 219.

„ latius conferre ad invicem valeremus; qui cum vide-
„ ret nos descendit de Equo cum armatis militibus, &
„ venit pedibus ad manum nostram, & osculata manu,
„ dataque pace reascendit Equum, & Missa ibidem a
„ nobis solemniter celebrata praesentibus dicto Judice,
„ & quatuor Episcopis scilicet Sulciensi praedicto, Ter-
„ ralbensi, & Sanctae Justae (1) Arborensis Provinciae,
„ & de Bosa (2) Provinciae Turritanae, ac multis aliis
„ Comitibus, Baronibus, & militibus terramagnensibus,
„ & Sardis, & proposito populo verbo Dei comedimus
„ omnes simul & sumpta commestione cum maximo gau-
„ dio, reversus est Judex cum sua militia ad exercitum su-
„ um, qui distabat a nobis per 12. milliaria, & quia roga-
„ vit nos Judex quod staremus in Terra sua Arborensi
„ adhuc per decem dies, quia sperabat interim praedi-
„ ctam arcem capere, postea ad nos venire, & per se
„ ipsum nos admodum honorare, mansimus ibidem tri-
„ bus diebus; erat enim dedicatio illius Episcopatus
„ de Ossano, ad quem tunc concurrit tota illa patria.
„ Et quia Episcopatus vacabat tunc congregavimus to-
„ tum Clerum, & visitavimus eum, & plures causas
„ commisimus ibidem matrimoniales; & quia propter
„ guerram durissimam, quae erat inter praedictum Ju-
„ dicem Arboreae, & Saxarensem, quoniam dicebat i-
„ dem Judex ad se Judicatum Turritanum pertinere, &
„ jam equitaverat potentissime contra eos, & multae
„ depredationes fiebant ad invicem inter eos; nos in
„ Saxari procedere nequivimus, propter quod reversi
„ fuimus in Aristanum, ubi idem Judex Arboreae prae-
„ ter expensas, quas fecerat fieri nobis honorabiles, fe-
„ cit

(1) Horum duorum Antistitum nomina ignorantur, sed de illorum Episcopatibus egi *in Sard. Sacr. pag.* 253. *& seq.*

(2) Bosanensis hic Episcopus erat probabiliter Jacobus. Consule *Opus citat. pag.* 194.

„ cit nobis reprehesentari per Archiepiscopum Arbo-
„ reae pulchrum Pallafridum album, cum nobilissima
„ sella Sardica multarum corrigearum valetae lib. 15.,
„ quem Judex consueverat equitare ad Coronam; &
„ omnibus de familia nostra fecit dari pecuniae quanti-
„ tatem, & credimus, quod occasione nostri expende-
„ rit libras . . . . quem Pallafridum cum sella misimus
„ ad Romanam Curiam Venerabili Patri domino Octo-
„ bono (1) Sancti Hadriani Diacono dignissimo Cardi-
„ nali. Et ibidem facta inquisitione tam in capite,
„ quam in membris de Episcopo, & Capitulo S. Justae,
„ quia convenerat ante nos ibi in Palatio Judicis, e-
„ quitavimus apud Terralbam, postea sequenti die equi-
„ tavimus ad Episcopatum Alcensem (2), & ibidem ce-
„ lebratis Missis, & proposito verbo Dei, & crismatis
„ pluribus, & visitatione facta tam in capite, quam in
„ membris, per duos dies moram fecimus; deinde equi-
„ tavimus apud Fructeam, postea apud Episcopatum Suel-
„ lensem, ubi similiter Missa celebrata, & proposito
„ verbo Dei, & crismatis pluribus juvenibus masculis,
„ feminis, duobus diebus equitavimus apud Episcopatum
„ Doliensem, ubi praedicta omnia similiter fecimus. Et
„ quia nuntium ibidem recepimus, quod Galea praedi-
„ cta pro nobis reversa erat, non stetimus ibidem nisi
„ una die, & sequenti venimus apud Castellum de Ca-
„ stro; & ibidem nos praeparavimus Galeam, & Missa
„ in Ecclesia Beatae Mariae solemniter celebrata, & ser-
„ mone facto ad populum referendo multiplices honores,
„ quos recepimus tam a Clericis, quam a Laicis per Insu-
„ lam Sardineae, & regratiando omnes de multo honore,
„ & gra-

(1) Qui ex nobilissima familia Flisca Genuensi natus, factus est Summus Ponti-fex nomine Hadriani V. an. 1376. die 10. Julii, & post dies 40. decessit.
(2) De hoc Episcopatu, qui in antiquis monumentis Usellensis dicitur plura differui *Sard. Sacra pag.* 163. *& seq.*

„ & gratia, quam nobis, & familiae nostrae fecerunt ibi-
„ dem; & sic in die Beati Raynerii post Nonam, quae fuit
„ 14. calendas Julii intravimus Galeam, & prospere
„ favente Divina gratia navigantes pervenimus ad Por-
„ tum Sanctae Luciae in Episcopatu Gaitellensi, ubi e-
„ lectum ipsius Episcopum confirmavimus, nam praede-
„ cessor suus illis diebus fuerat de hac luce subtractus,
„ & consecrationem ipsius electi postquam nos reversi
„ fuimus Pisas tribus Episcopis Sardiniae, scilicet Civi-
„ tatensi, & duobus Suffraganeis Archiepiscopi Turritani
„ duximus committendam: & inde galeantes ex Insu-
„ la pervenimus in Portum Ferrariae, & sequenti die
„ in Populoniam, deinde apud Vadam: die Mercurii
„ post festum S. Joannis Baptistae intravimus Civitatem
„ Pisanam conducentes tubatores, & marinarios apud
„ Sanctum Ruxorium de Galeis Regnicolis, quae ibi
„ tunc erant pro solidis 40., ut cum Galea plene ar-
„ mata, & ornata intraremus pro eo maxime, quod
„ Civitas nostra cum societate tota contra Lucanos erat
„ in obsidione apud Cappianum, quod tunc coeperunt,
„ & etiam Montem-Falconem, & sic pervenimus apud
„ ricagnum Sancti Petri ad Vincula, & ibidem Galea
„ addurata est quasi diceret descendendum est hic, &
„ descendimus in nomine Jesu Christi, amen. Et facta
„ ratione cum Camerario nostro invenimus nos expen-
„ disse ultra donaria, quae fuerunt lib. D., libras DCCC.
„ de propria Camera (1)„.

E Sardinia reversus primum lapidem collocavit in fundamentis Ecclesiae, & Monasterii, quod in valle Calcisana aedificare coepit sub his temporibus Beatus Hugo Pisanus Archiepiscopus Nicosiensis. Die vero mensis Decembris 21. concessit *quadraginta dierum crimi-*

D *na-*

(1) Monumentum hoc est in Codice Florentino, de quo postea agam diligenter, *num.* 104.

„ cit nobis reprehesentari per Archiepiscopum Arbo-
„ reae pulchrum Pallafridum album, cum nobilissima
„ sella Sardica multarum corrigearum valetae lib. 15.,
„ quem Judex consueverat equitare ad Coronam; &
„ omnibus de familia nostra fecit dari pecuniae quanti-
„ tatem, & credimus, quod occasione nostri expende-
„ rit libras . . . . quem Pallafridum cum sella misimus
„ ad Romanam Curiam Venerabili Patri domino Octo-
„ bono (1) Sancti Hadriani Diacono dignissimo Cardi-
„ nali. Et ibidem facta inquisitione tam in capite,
„ quam in membris de Episcopo, & Capitulo S. Justae,
„ quia convenerat ante nos ibi in Palatio Judicis, e-
„ quitavimus apud Terralbam, postea sequenti die equi-
„ tavimus ad Episcopatum Alcensem (2), & ibidem ce-
„ lebratis Missis, & proposito verbo Dei, & crismatis
„ pluribus, & visitatione facta tam in capite, quam in
„ membris, per duos dies moram fecimus; deinde equi-
„ tavimus apud Fructeam, postea apud Episcopatum Suel-
„ lensem, ubi similiter Missa celebrata, & proposito
„ verbo Dei, & crismatis pluribus juvenibus masculis,
„ feminis, duobus diebus equitavimus apud Episcopatum
„ Doliensem, ubi praedicta omnia similiter fecimus. Et
„ quia nuntium ibidem recepimus, quod Galea praedi-
„ cta pro nobis reversa erat, non stetimus ibidem nisi
„ una die, & sequenti venimus apud Castellum de Ca-
„ stro; & ibidem nos praeparavimus Galeam, & Missa
„ in Ecclesia Beatae Mariae solemniter celebrata, & ser-
„ mone facto ad populum referendo multiplices honores,
„ quos recepimus tam a Clericis, quam a Laicis per Insu-
„ lam Sardineae, & regratiando omnes de multo honore,
„ & gra-

(1) Qui ex nobilissima familia Flisca Genuensi natus, factus est Summus Ponti-fex nomine Hadriani V. an. 1376. die 10. Julii, & post dies 40. decessit.

(2) De hoc Episcopatu, qui in antiquis monumentis Usellensis dicitur plura disserui *Sard. Sacra pag.* 263. *& seq.*

„ & gratia, quam nobis, & familiae nostrae fecerunt ibi-
„ dem; & sic in die Beati Raynerii post Nonam, quae fuit
„ 14. calendas Julii intravimus Galeam, & prospere
„ favente Divina gratia navigantes pervenimus ad Por-
„ tum Sanctae Luciae in Episcopatu Gaitellensi, ubi e-
„ lectum ipsius Episcopum confirmavimus, nam praede-
„ cessor suus illis diebus fuerat de hac luce subtractus,
„ & consecrationem ipsius electi postquam nos reversi
„ fuimus Pisas tribus Episcopis Sardiniae, scilicet Civi-
„ tatensi, & duobus Suffraganeis Archiepiscopi Turritani
„ duximus committendam: & inde galeantes ex Insu-
„ la pervenimus in Portum Ferrariae, & sequenti die
„ in Populoniam, deinde apud Vadam: die Mercurii
„ post festum S. Joannis Baptistae intravimus Civitatem
„ Pisanam conducentes tubatores, & marinarios apud
„ Sanctum Ruxorium de Galeis Regnicolis, quae ibi
„ tunc erant pro solidis 40., ut cum Galea plene ar-
„ mata, & ornata intraremus pro eo maxime, quod
„ Civitas nostra cum societate tota contra Lucanos erat
„ in obsidione apud Cappianum, quod tunc coeperunt,
„ & etiam Montem-Falconem, & sic pervenimus apud
„ ricagnum Sancti Petri ad Vincula, & ibidem Galea
„ addurata est quasi diceret descendendum est hic, &
„ descendimus in nomine Jesu Christi, amen. Et facta
„ ratione cum Camerario nostro invenimus nos expen-
„ disse ultra donaria, quae fuerunt lib. D., libras DCCC.
„ de propria Camera (1)„.

E Sardinia reversus primum lapidem collocavit in fundamentis Ecclesiae, & Monasterii, quod in valle Calcisana aedificare coepit sub his temporibus Beatus Hugo Pisanus Archiepiscopus Nicosiensis. Die vero mensis Decembris 21. concessit *quadraginta dierum crimi-*

D *na-*

(1) Monumentum hoc est in Codice Florentino, de quo postea agam diligenter, *num.* 104.

nalium, & *tertiae partis venialium Indulgentiam* iis, qui auxilium praebebant pro ejusdem Ecclesiae, & Monasterii complemento. Archiepiscopum nostrum imitati sunt idem ipse Hugo, Lombardus, & Gottifredus Roncionius Pisanus de Ordine Minorum Agrigentinus hic, ille Aleriensis Antistes (1).

Summopere cordi erat Clementi IV. Romano Pontifici, ut Pisani removerent se ab Friderici II. Imperatoris Nepotum amicitia, & a partibus starent Caroli Andegavensis Siciliae Regis, quèm etiam Tusciae Vicarium constituerat. Quamobrem Pontifex per Heliam Canonicum Bellovacensem jussit Friderico nostro, ut Cives suos hortaretur ad pacem sacramento firmandam cum eodem Carolo in oppido Podii-Bonitii, quod imperio suo paullo ante ipse adseruerat: in Codice enim Florentino (2) extat Sermo a Friderico compositus, quando *monuit Potestatem*, & *Consilium majus Pisanum ex parte domini Papae Clementis, ut mitteret Syndicos ad Regem Carolum pro pace Tusciae juranda apud Podium-Bonitii anno Domini* 1268., in quo Sermone sic loquitur Archiepiscopus „ Magistrum Heliam Canonicum Belva-
„ censem suum Cappellanum, & Nuntium super ejus
„ formis subsequenter idem dominus Papa [*Clemens*
„ *IV.*] in Tuscia destinavit, qui nobis suis litteris de-
„ mandavit, ut vos domini Potestas, Capitanee. An-
„ tiani, Consilium, & totum Commune Pisanum in prae-
„ sentiis vestris moneremus, & monemus, ut praedicti
„ domini Regis pareatis beneplacitis, & mandatis, ac
„ Syndicos sufficientes instructos transmittatis ad pa-
„ cem Tusciae in praesentia suprascritti domini Regis
„ jurandam, & opportuna securitate vallandam, salva

„ ta-

(1) Confer Friderici litteras apud Flaminium dall' Borgo *Raccolta di scelti Diplomi Pisani num.* 29. *pag.* 244.

(2) *Num.* 14.

„ tamen guerra, & discordia, quae inter vos, & Lu„ canos, & Guelfos vertitur, de qua suprascriptus „ dominus Papa cognoscit, ut quam ipse per se deter„ minare, ac pacificare intendit. „ At Pisani non modo non obtemperarunt Pontifici, sed insuper sequuti sunt partes Corradini, quem etiam Pisas anno 1268. die septima Aprilis accedentem non secus ac Imperatorem receperunt (1). Narrat Ptolomaeus Lucensis (2) Clementem ob id *processum durum* fecisse contra Pisanos; Auctor Anonymus a Muratorio primum editus tradit (3) Civitatem Pisanam Interdicti poena affectam fuisse; quam una cum poena excommunicationis Pisanis denuntiavit Fridericus; in Codice namque Florentino superius laudato habebatur (4): *Sermo, quem idem dominus* (Fridericus) *fecit quando denuntiavit sententias excommunicationis, & interdicti contra Civitatem Pisanam a domino nostro Clemente Papa IV. latas*. Ex hoc vero Sermone apparet, Pisanos statim ac Summus Pontifex Ecclesiasticarum Censurarum fulmen in ipsorum Civitatem jecit obtemperare ejusdem Summi Pontificis mandatis decrevisse; nam, inquit in eo Fridericus: *cum tota Tuscia praeter Senas sit jurata, & confederata contra Pisanum populum multum verendum, & timendum est. Veruntamen quia nostri Antiani jam Ambasciatores elegerunt destinandos ad parendum mandatis Sanctissimi domini Papae, habemus fiduciam in Domino Jesu Christo, & in gloriosa Virgine Matre ejus, quod talia operabuntur, per quae nobis cito Divina officia restituentur, ubi tamen consulimus, atque praecipimus, ut sententiam domini Papae excommunicationis in fautores Conradini, & nolentes jurare pacem Tusciae, & interdicti in Civitatem Pisa-*

(1) Vide Muratorium *Annali d' Italia ad tum annum*.
(2) *Annalib. Brevibus ad annum* 1268. *T. XI. S. R. I. col.* 1286.
(3) *T. XV. op. indic. col.* 978.
(4) *Num.* 93.

„ su, & voluntate discreti, & religiosi viri domini Ge„ rardi Prioris Sancti Martini de Guatolungo Pisarum
„ patroni Ecclesiae noviter constructae ab ipso Priore
„ ad honorem SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi,
„ & B. Blasii Martyris, auctoritate ordinaria statuit quod
„ electio ipsius Ecclesiae noviter constructae in Castro
„ Pontis-haere libera sit; & esse debeat Regularis, &
„ Praelatus ipsius teneatur, & debeat vivere secundum
„ regulam Sancti Augustini, & Constitutiones Ecclesiae
„ Sancti Martini, & quod Praelatus ipsius Ecclesiae,
„ qui Praepositus nominetur eligendus a dicto Priore
„ Sancti Martini teneatur, & debeat pro temporalibus
„ bonis ipsius Ecclesiae ab ipso Priore investituram ac„ cipere post confirmationem receptam a Plebano de
„ Calcinaria, de cujus Plebatu existit, si eam gratis da„ re voluerit requisitus; alioquin a seipso domino Ar„ chiepiscopo, vel ab eo mandante, & debitam subie„ ctionem promittere teneatur eidem Priori, sub qua
„ promittat bona ipsius Ecclesiae bona fide tractare,
„ augere, & non diminuere juxta posse, & honores
„ ipsius Ecclesiae Sancti Martini conservare, defendere
„ & distrigare ab omni persona, & loco (1). Mense
Julio exeunte anno superius laudato Archiepiscopus hanc ipsam Ecclesiam sacram fecit (2).

Eodem anno 1272. die 27. Maji licentiam concessit Patribus Carmelitis, ut construerent extra portam Legatiam Pisarum *Ecclesiam, seu Oratorium cum Campanili, & Campana, sive Campanis sub nomine principali Sanctae Trinitatis, & inibi Divina Officia celebrarent, & juxta Ecclesiam, vel Oratorium ipsum Cimiterium, & liberam sepulturam* haberent (3). Die vero 9. Augusti primum

(1) Extant tum in Archivo citato, tum in Archivo secreto Archiepiscopii *Protocollo num. 3. litt. C.*
(2) Ex monumento in Archivo laudato Sancti Martini.
(3) *Protocollo indic.*

mum lapidem benedixit, quem ipsius jussu in ejusdem Ecclesiae fundamentis collocavit Petrus *Plebanus* Rasignani (1). Anno vero sequenti *die veneris 16. Junii exivit Civitatem Pisarum quo eundo Florentiam ad Summum Pontificem, & ad dominum Regem Karulum* teste Guidone de Corvaria (2); qua in Urbe dum maneret Fridericus noster a Gregorio X. Pontifice Maximo 12. calendas Julias Ecclesia Pisana antiquis honoribus decorata est, ut ex ejus literis (3) erudimur. Nonnullis elapsis diebus Archiepiscopus Florentia discessit Pisas versus, quo pervenit quinto calendas mensis laudati: *die Mercurii*, ait Guido memoratus, *vigesima septima Junii suprascriptus Archiepiscopus fuit reversus ad Civitatem Pisarum de suprascripto viadio* (4).

Gregorius etiam postea Florentia discessit Lugdunum profecturus, cumque ea in Urbe esset in mandatis dedit Friderico anno superius citato die 22. Decembris, ut per universam Etruriam mentem suam publicam faceret circa Praesules inferioris ordinis, qui ad Concilium Lugduni celebrandum petere debebant (5). Anno 1274. unde-

(1) *Eodem Protocollo*. „ Dominus Fridericus Dei gratia Pisarum Archiepiscopus „ volens, quod Divinus cultus augmentetur in loco Fratrum de Monte „ Carmeli constructo in Parochia S. Soffiae de Templo, ad preces ve„ nerabilis Fratris domini Octoboni S. Adriani Diaconi Cardinalis, „ cui Ordo dictorum Fratrum est commendatus, & sub ejus protectio„ ne existit, benedixit primarium lapidem ponendum in hoc dicto lo„ co sub principali vocabulo, & nomine Sanctae Trinitatis, dans Ma„ gistro Petro Plebano Plebis de Rassignano Camerario suo licentiam, „ quod loco, & vice ipsius domini Archiepiscopi ponat dictum lapi„ dem primarium in dicto loco pro Ecclesia fundanda, & aedificanda „ ad invocationem, & sub principali vocabulo, & nomine Sanctae Tri„ nitatis. Datum Pisis in camera suprascripti domini Archiepiscopi, „ quae est apud Ecclesiam S. Petri ad vincula, praesentibus domino „ Ugone Priore S. Petri ad vincula, & Presbytero Ugone, & Pres„ bytero Thomaso Cappellanis ipsius domini Archiepiscopi anno M„ CCLXXIII. Indict. XV. V. idus Augusti „.

(2) *Op. cit. col.* 681.

(3) *Append. ad T. I. num.* 39. *col.* 117.

(4) *Ibidem*.

(5) Vid. ejus litterae *in Append. monum.*

undecima mensis Martii die Archiepiscopus solemni ritu, & coram magna populi frequentia benedixit plateam positam ante Templum Sanctae Catharinae Virginis, & Martyris, quod ad Patres Dominicanos spectat; eandemque in Coemeterium mortuorum consecravit, ut narrat Orlendius. Integro mensae elapso, & ipse Lugdunum petiit ad Concilium generale, habuitque comites itineris nonnullos Canonicos, & Legatos Reipublicae Pisanae. Testis hac de re est Guido de Corvaria illorum temporum auctor ita scribens: *die Jovis 11. Aprilis exiverunt Civitatem Pisanam Ambasciatores Communis Pisarum pro eundo apud Leonem sur Rhodano ad Concilium faciendum a suprascripto Summo Pontifice in futuro proximo mense Madii. Ambasciatores vero fuerunt hi, scilicet domini Herrigus de Statera, Jacobus Adalasiae, Mensis de vico Judex, Gallus Judex Agnelli, & Saladinus Notarius de Acqui. Ivit etiam ad dictum Concilium tunc temporis dominus Frederigus Archiepiscopus cum quibusdam Canonicis Pisanis* (1). In Codice Florentino (2) alias laudato extat *responsio, & consilium, quod dedit dominus Fridericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus domino Papae Gregorio X. in praesentia dominorum Cardinalium, & totius Concilii generalis apud Lugdunum pro succursu Terrae-Sanctae, & decima persolvenda*. Ex hoc aperte liquet, Fridericum in magna existimatione apud Gregorium, ceterosque Concilii Patres fuisse, quandoquidem illius consilium de re gravissima petitum est.

Quatuor circiter menses Lugduni fuit Archiepiscopus noster; Pisas enim reversus est *die Sabbati* 18. *Augusti*, ut litteris consignavit Guido de Corvaria (3) auctor synchronus; cum antea, scilicet *die Martis ultima die mensis Julii* rediissent Legati Reipublicae Pisanae

(1) *Op. cit. col.* 682.
(2) Num. 106.
(3) *Col.* 683.

ſanae *excepto domino Menſe*, *qui* Lugduni *deceſſit* (1).

Moniales, quae nunc Aſceterium Piſanum Sanctae Annae habitant, olim manebant in Monaſterio Sancti Pauli *de Pugnano* Piſas inter, & Lucam. Sed quoniam propter bella Monaſterium hoc relinquere ſaepe cogebantur, nec locum habebant in Urbe, nec prope ipſam, ad quem vexatae confugere poſſent, Fridericus anno 1275. die 14. Junii eis conceſſit Monaſterium Sanctae Annae *de Renario*, quod in ſuburbiis Piſanis ad meridiem erat, aſſentientibus Joanne Marignano, Leopoldo, & Philippo *de Cantone* ejuſdem Monaſterii patronis; cum hac conditione, ut ſaltem ſex Moniales quatuor, vel ſex menſibus cujuſcunque anni in Sancti Pauli Aſceterio commorarentur (2).

Cum Eccleſiae Calaritanae Canonici, poſt obitum Hugonis Archiepiſcopi anno 1276. in eligendo ſucceſſore mirifice inter ſe diſcordes eſſent, Fridericus auctoritate ſua eos ad concordiam revocavit, effecitque ſua prudentia, ac dexteritate, ut Gallus Civis, & Canonicus Piſanus unanimi conſenſione in Calaritanum Praeſulem eligeretur (3). E vita migraſſe anno 1278. cenſent Ughellius, Martinius, & Orlendius, quibus praeivit Guido ſuperius memoratus, qui (4) ad eum annum illius obitum refert. Sed hic annos ſupputat Piſanorum more, quemadmodum celeberrimus Muratorius in Praefatione ad fragmenta Hiſtoriae Piſanae ab eo ſcripta, animadvertit. Igitur cum Guido Friderici deceſſum inter ea narret, quae poſt menſem Majum evenerunt, manifeſtum eſt ejus mortem juxta Guidonis ſententiam in anno communi 1277. collocandam eſſe. Quod ad diem attinet emortualem nihil definire auſim, etſi mihi com-

(1) Idem Guido *ibidem*.
(2) Tabulae *in Appendice Monumentorum*.
(3) Videatur Ughellius *in Friderico*.
(4) *Col. 686*.

pertum est, obiisse post calendas mensis Octobris (1).

In Sacra praesertim doctrina multum versatus fuit Fridericus, ut Sermones, quos ipse habuit, satis ostendunt. Hos complectitur Codex membranaceus *in folio*, ut ajunt, qui servatur Florentiae olim in Bibliotheca PP. Franciscanorum Conventualium Sanctae Crucis *Pluteo* 32. *Claustrum versus num.* 750., nunc autem in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana *Pluteo* 33. *num.* 1. Sed cum adhuc MSS. sint illorum catalogus exhibendus est.

„ 1. Incipiunt Sermones, quos dominus Fridericus „ Pisanus Archiepiscopus fecit diversis temporibus, & „ primo post suam promotionem in Quadragesima ad „ Clerum in Synodo . . . . anno primo suae conse„ crationis „.

„ 2. Hunc Sermonem fecit in Pentecosten in Synodo „ anno 3 suae consecrationis, & duravit Synodus per „ tres dies „.

„ 3. Brevis Sermo recapitulationis in tertia die, quan„ do licentiavimus Synodum „.

„ 4. Sermo, quem fecit supradictus dominus Archie„ piscopus in Concilio Provinciali, consecrationis suae „ anno tertio „.

„ 5. Brevis Sermo recapitulationis, quem fecit idem „ dominus quando licentiavit Synodum „.

„ 6. Dominica IV. in Adventu hunc Sermonem fecit „ praedictus dominus in Cappella domini Papae Inno„ centii IV. apud Lugdunum dum esset Cappella „.

„ 7. Sermo, quem praedictus dominus fecit in Frater„ nitate Cappellanorum apud Sanctum Sistum, Missa ab „ eo ibi cantata „.

„ 8. Sermo ejusdem domini ad Clerum, vel popu„ lum, vel in Natali Domini, seu pro defuncto Cle„ rico „.

„ 9. Ser-

(1) Confer *Protocollum num.* 3. *litt.* C.

„ 9. Sermo ad Fratres Minores, vel Praedicatores,
„ seu alios Religiosos „.

„ 10. Sic respondit praedictus dominus Magistro
„ Theologiae Fratri Praedicatori, volenti Regem illo an-
„ no apud Pisas, sermocinanti in Curia sua, coram eo,
„ & toto Clero Pisano „.

„ 11. Sermo, quem idem dominus fecit in morte
„ Archipresbyteri Massani; potest etiam esse ad Cle-
„ rum, & ad Confessores quibusdam obmissis, vel mu-
„ tatis „.

„ 12. Sermo in Dominica X. post Pentecosten; item
„ ad Clerum, item in Visitatione, item in Consecra-
„ tione Ecclesiae „.

„ 13. Sermo ejusdem domini, quem fecit Cappel-
„ lanis Fraternitatis Civitatis apud S. Petrum ad Vin-
„ cula, consecrationis suae anno octavo „.

„ 14. Sermo quando idem dominus monuit Potesta-
„ tem, & Consilium majus Pisanum ex parte domini
„ Papae Clementis, ut mitteret Syndicos ad Regem
„ Karolum pro pace Tusciae juranda apud Podium Bo-
„ nitii anno Domini 1268. „.

„ 15. Sermo, quem idem dominus fecit in Natali
„ Domini (potest etiam esse in Adventu mutato the-
„ mate) dum esset Cappellanus Venerabilis Patris do-
„ mini Sinibaldi, tituli Sancti Laurentii in Lucina Pres-
„ byteri Cardinalis, qui postea fuit Innocentius Papa IV.

„ 16. Sermo, quem idem dominus fecit in vulgari
„ ad populum in Ecclesia Sancti Stephani (1) „.

„ 17. In Sancto Joanne Evangelista „.

(1) Clarissimus Fontaninius *lib.* 3. *della Eloquenza Italiana cap.* 1. *&* 2. *pag.* 247. *edit. Ven.* 1737. scribit, seculo decimo tertio in usu non fuisse Sacras Conciones in Ecclesia lingua vernacula recitare. Hanc opinionem pluribus oppugnat immortalis Apostolus Zeno *Note alla Biblioteca della Eloq. Ital. Classe* 8. *cap.* 1. *pag.* 425., quam falsam esse colligitur etiam cum ex hoc Sermone, tum ex multis aliis inferius a nobis indicandis.

„ 18. In Epiphania Domini, quem idem dominus „ fecit in Ecclesia majori in vulgari „.

„ 19. In Conversione S. Pauli, quem idem dominus „ fecit in vulgari in Monasterio Sancti Pauli de Pu„ gnano „.

„ 20. Item in eadem, quem ipse dominus fecit apud „ Sanctum Paulum de Orto „.

„ 21. In Purificatione Beatae Mariae, quem idem do„ minus fecit in vulgari in Ecclesia majori „.

„ 22. In Ecclesia majori in Purificatione Beatae Ma„ riae, quem fecit idem dominus „. Non est silentio praetereundum, quod hoc in Sermone scribit Fridericus noster de caussa institutionis hujus Festivitatis : *Secundo videndum est, cur istud Festum dicitur* Candelaria ; *& est sciendum, quod cum Mater Proserpinae quaereret eam raptam a Plutone cum faculis, & candelis per montes Siciliae crevit consuetudo Gentilium, ut etiam Romae in calendis Februarii lustrarent Urbem circum, & dicebatur amburbiale ; unde cum Sancti Patres hanc consuetudinem non possent de facili removere statuerunt, ut fieret altera post calendas Februarii ad honorem Beatae Mariae, quod fiebat ad honorem Proserpinae ; & ideo tali die vadit dominus Papa pedibus cum omnibus Cardinalibus, & Praelatis portando candelos, & candelas accensas in manibus in Processione a Sancta Martina usque ad Sanctam Mariam majorem, & sunt distantes illae Ecclesiae ultra duo milliaria.*

„ 23. In Ramis Palmarum, quem fecit idem domi„ nus in vulgari „.

„ 24. In die Veneris Sancto, quem idem dominus „ fecit in vulgari in Sancto Petro ad Vincula „.

„ 25. Eodem die, quem fecit idem dominus in vulgari „ in Ecclesia supradicta S. Petri ad Vincula „.

„ 26. Cum idem dominus praedicavit Crucem litte-

„ rali-

„ raliter Clero Pisano de mandato domini Papae „.

„ 27. Quando idem dominus praedicavit Crucem, „ respondendo Nuntiis Tartarorum in Clero Pisano „.

„ 28. Sermo, quem idem dominus fecit die Lunae „ post Pascha, post reversionem Processionis in platea „ Sancti Petri ad Vincula „. Hujusmodi *Processio* incipiebat ab Ecclesia majori. Fridericus his verbis Sermonem suum terminat: *Et quia multi, & cum devotione maxima ad hanc Processionem venistis, & humiliter cum silentio praedicationem nostram audivistis, volumus quod remunerationem maximam reportetis, & ideo nos, & isti Venerabiles Fratres, & Suffraganei nostri Episcopus Massanus, & Episcopus Aleriensis, omnibus vere poenitentibus, qui ad hanc Processionem venerunt, tres quadragesimas peccatorum criminalium, & tertiam partem venialium auctoritate Dei omnipotentis, & Beatae Mariae Dominae nostrae, ac Beati Petri Apostoli duximus misericorditer indulgendum, post illas magnas Indulgentias, quas dominus Papa, qui hanc Ecclesiam consecravit, & etiam domini Cardinales Apostolicae Sedis Legati, qui pro tempore istas Processiones fecerunt, venientibus ad istam Processionem, & Ecclesiam concesserunt.* Quis fuerit Papa, qui Ecclesiam S. Petri *ad Vincula* consecravit, mihi non constat; compertum tamen habeo ex hoc Sermone, eam non consecrasse Petrum Moriconium Archiepiscopum Pisanum, ut scribit Paullus Troncius (1).

„ 29. Sermo in Annuntiatione Beatae Mariae, quem „ idem dominus fecit in vulgari in Ecclesia majori „.

„ 30. Eodem die, quem idem dominus fecit in vulgari in Ecclesia majori „.

„ 31. In Sancto Petro Martyre de Ordine Praedicatorum, quem idem dominus fecit in vulgari in Ecclesia Sanctae Katharinae „.

„ 32. In

(1) *Annali Pisani ad ann.* 1107. *pag.* 42.

„ 32. In Sancto Torpete Martyre, quem idem domi„ nus fecit in vulgari apud Humiliatos „.

„ 33. In Letaniis ante Ascensionem, quem idem do„ minus fecit in vulgari „.

„ 34. Secunda die Rogationum in Ecclesia Sancti Pe„ tri ad Gradus.

„ 35. Tertia die Stationis in Ecclesia Sancti Sixti.

„ 36. In Ascensione Domini, quem idem dominus „ fecit in vulgari apud Sanctum Petrum ad Gradus „. Plura hoc in Sermone tradit Fridericus de Templo S. Petri *ad Gradus*. Principio narrat seculo decimo tertio maximum fuisse populi concursum ad illud : *non solum*, inquit, *tota Civitas nostra, & Comitatus, sed etiam de Janua, de Parma, de Bononia, de Aritio, & de Senis, & de tota Thuscia concurrunt cum devotione maxima ad Ecclesiam istam Beati Petri Apostoli*. Deinde ait illud aedificasse Apostolorum Principem una cum Dionysio, Eleuterio, aliisque Sociis, ac ibi caput abscissum fuisse Sancto Torpeti Martyri : *Pisarum vero Civitatem nostram tunc tenebat Nero Imperator. Hujus mirabile Palatium apud Parlascium, quod modo detinent nobiles viri Capronenses; & ideo quia Imperatori in Palatio successerunt viri quoque nobiliores de Civitate nostra existunt : quod erat plenum Idolis, sicut legitur in Legenda Beati Torpetis, qui in illo Palatio fuit martirizatus, & hic ad gradus Arnenses decollatus, cujus caput requiescit in Ecclesia Sancti Ruxorii, sed modo, per Dei gratiam, circa domum illorum de Caprona, ubi ipse fuit martirizatus, aedificata est Ecclesia ad honorem Beati Torpetis*. Tandem scribit brevi illo Templo destructo, quod S. Petrus aedificaverat, & S. Clemens Romanus Pontifex hujus nominis primus, in die festo Ascensionis consecraverat, Cives Pisanos aliud magis amplum construxisse : *Pisani vero volentes, ut creditur, ex hoc Ecclesiam istam Beati Petri Apo-*

Apostoli decorare, illa parvula destructa propter pressuram hominum, qui ibidem fere suffocabantur, istam magnam Ecclesiam aedificaverunt, & sic oportuit, eam reconsecrari, cujus consecratio celebratur in octava Beati Petri.

„ 37. Sermo in die Pentecosten, quem fecit ad po„ pulum in Ecclesia majori „.

„ 38. Sermo de Trinitate „.

„ 39. Sermo de Corpore Christi „.

„ 40. Sermo in vulgari in Nativitate Beati Joannis „ Baptistae „.

„ 41. Eodem die Sermo in vulgari Monialibus de „ Fossa-bandi „.

„ 42. Sermo ejusdem domini in vulgari in Sancto „ Petro ad Vincula „.

„ 43. Sermo in Sancto Dominico Magistro Praedica„ torum, quem idem dominus fecit in vulgari apud „ Sanctam Katharinam „.

„ 44. Sermo ejusdem diei, quem idem fecit in eo„ dem loco ad populum.

„ 45. Sermo, quem idem dominus fecit in Assum„ ptione Beatae Mariae in Ecclesia majori ad populum. „

„ 46. Sermo quem idem dominus fecit litteraliter in „ Sancto Augustino apud Episcopiam praesente Archie„ piscopo Nicosiensi „.

„ 47. Sermo, quem idem dominus fecit in Nativi„ tate Beatae Mariae in Ecclesia majori, quando primo „ rediit de Parisio praesente Archiepiscopo, & Clero „ Pisano, dum esset Canonicus „.

„ 48. Sermo quem idem dominus fecit in exaltatio„ ne Sanctae Crucis in vulgari apud Fossambandi.

„ 49. Sermo eodem die, & loco, quem idem domi„ nus fecit anno revoluto „.

„ 50. In Sancto Laurentio „.

„ 51. In festo Sancti Matthaei Apostoli, & Evange„ listae „.

„ 52. Ser-

„ 52. Sermo, quem idem dominus fecit in Capitulo
„ Sancti Michaelis Discalceatorum „.

„ 53. Sermo, quem idem dominus fecit ad populum
„ in Ecclesia supradicta „. Archiepiscopus hoc Sermone monet populum ad eandem Ecclesiam exemplo Pisanorum antiquorum visitandam, ob varias rationes, *maxime cum sint hic multi boni, & Sancti viri Monachi*.

„ 54. Sermo, quem idem dominus fecit in Sancto
„ Francisco praesente Lunensi Episcopo „.

„ 55. Sermo ejusdem domini in praedicto Festo, anno
„ consecrationis suae „.

„ 56. Sermo quem fecimus apud Sanctum Franciscum
„ in vulgari, anno 4. consecrationis nostrae „.

„ 57. Sermo, quem idem dominus fecit in vulgari in
„ eodem Festo, anno 8. consecrationis suae „.

„ 58. Sermo, quem idem dominus fecit in Clero,
„ Judicibus, Notariis, & Medicis Pisanis in Ecclesia
„ Beati Petri *ad Vincula* ..... proposuit Magister Jaco-
„ bus Medicus Cappellanus Sancti Simonis de Parlascio
„ quando reversus est primo de Bononia „.

„ 59. Sermo responsionis, quem praedictus dominus
„ fecit in commendatione Legati Fratris Mansueti de
„ Ordine Minorum, quando Civitatem Pisanam absolvit,
„ & cum Clericis dispensavit „.

„ 60. In Festo omnium Sanctorum, & plurimorum
„ Martyrum „.

„ 61. Sermo quem idem dominus fecit ad populum
„ in vulgari in Festo omnium Sanctorum „.

„ 62. In sequenti die post Festum omnium Sanctorum
„ pro mortuis „.

„ 63. Item in eodem die „.

„ 64. Sermo, quem idem dominus fecit in anniversario domini Hugonis Archiepiscopi Nicosiensis, praesente Clero Pisano apud Sanctum Petrum ad Vincula.

Fri-

Fridericus ita de Nicosiensi Antistite loquitur : *cum ergo reveritissimi Venerabilis Pater dominus Hugo quondam Nicosiensis Archiepiscopus, cujus hodie depositionis suae diem anniversarium celebramus a primordio suae aetatis Ordini Clericali deditus in paupertate Bononiae studuerit, & in utroque jure, Canonico scilicet, & Civili sic profecerit, sicut nos ipsi vidimus, quod ex sua repetitione semper necessaria acquirebat; sed deinde in Pisanum Canonicum promotus fuit, postea in Romana Curia Advocatus, & inde in Franciam ductus Rothomagensis Archidiaconus est effectus, & studens Parisiis in Sacra Pagina consequutus est, sicut nostris scientiae margaritam; qui postmodum in passadio Regis Franciae ivit ultra mare in subsidium Terrae-Sanctae..... & tunc cupiens perfectus esse vendidit omnia, & dedit pauperibus, ut nudus Christum nudum sequeretur; intravit in Religionem Ordinis Beati Augustini, quae vocatur Episcopia, in Insula Cypri, & sic de via mandatorum intravit in semitam consiliorum... Per Dei gratiam promotus est in Archiepiscopum Nicosiensem.... & inde Romam, & Pisas reversus quam Ecclesiam scilicet Beati Augustini de Calci aedificaverit, & quantas eleemosynas dederit omnibus notum est.... Cum ergo reveritissimi iste noster defunctus in charitate decesserit, sicut vehementer praesumimus propter ejus laudabilem vitam, Terram-Sanctam, & testimonium Confessoris sui.*

„ *65*. Sermo, quem fecit idem dominus ad Clerum „ in septima Leonardi Archipresbyteri Pisani „.

„ *66*. Sermo, quem idem dominus fecit litteraliter „ ad Clerum in obitu Presbyteri Matthaei Cappellani „ Sancti Andreae de Forisporta in Ecclesia Sancti Pe„ tri ad Vincula „.

„ *67*. Sermo, quem idem dominus fecit in obitu Prio„ ris Praedicatorum, & potest adaptari pro quolibet „ Clerico „.

„ 68. Sermo, quem idem dominus fecit pro defun„ cto „.
„ 69. Sermo pro defuncta ydropica Monaca S. Mat„ thaei „.
„ 70. Sermo pro defuncto Presbytero „.
„ 71. Sermo pro quolibet defuncto „.
„ 72. Item pro defuncto „.
„ 73. Item pro mortuis „.
„ 74. Item ad mortuos „.
„ 75. Sermo in Sancto Dionysio, vel in Beato Au„ gustino, & etiam potest adaptari in conversione Beati „ Pauli „.
„ 76. Sermo, quem idem dominus fecit in Sancto „ Martino in Guassalungo, & potest adaptari in Sancto „ Niccolao mutatis nominibus, & quibusdam aliis „.
„ 77. Sermo, quem idem dominus fecit dum esset „ electus in Festo Sanctorum Ephysii, & Potiti „.
„ 78. Sermo, quem fecit idem dominus in vulgari „ apud Sanctam Catharinam „. Haec leguntur in fine Sermonis: *videtis, reveritissimi, quam sit utile benefacere huic operi, & operi Sancti Francisci, & etiam Fratribus istis, & illis, quod de omnibus Missis, & praedicationibus, quae in ista Ecclesia, vel illa fiunt tantam mercedem habebitis*. His temporibus PP. Dominicanorum, & Franciscanorum Monasteria, & Ecclesiae Pisis aedificabantur, vel saltem perficiebantur.
„ 79. Sermo, quem idem dominus fecit in Festo „ Sancti Andreae ad populum „.
„ 80. Sermo, quem idem dominus fecit in vulgari „ apud Sanctam Vivianam dum esset Canonicus Pisanus „.
„ 81. Sermones tres in Festo Beati Niccolai „.
„ 82. Sermo in Sancta Lucia „.
„ 83. Sermo, quem idem dominus fecit in Sancta „ Agnete apud Sanctum Sepulcrum pro domina Ubaldesca.

„ desca „. Mentionem facit in hoc Sermone Fridericus de Beato Dominico Monasterii S. Michaelis *de Burgo*, de Beata Ubaldesca, & aliis Beatis Pisanis, ac populum hortatur, ut exemplo aliarum Civitatum oret Romanum Pontificem, ut eos in Sanctorum numerum referat.

„ 84. Consilium, quod idem dominus dedit domino „ Alexandro Papae IV. coram Cardinalibus, & multis „ aliis Praelatis in Canonizatione Sanctae Clarae „.

„ 85. Sermo quem idem dominus fecit in vulgari ad „ Moniales de Fossabandi, & ad populum „.

„ 86. Sermo, quem idem dominus fecit pro defuncta „ Abbatissa S. Matthaei in Nativitate Beatae Mariae. „

„ 87. Sermo, quem idem dominus fecit pro electio- „ ne Abbatissae Sancti Matthaei „.

„ 88. Sermo, quem idem dominus fecit in Capitulo „ Pisano pro morte Magistri Leonardi pro futuro Ar- „ chipresbytero eligendo „.

„ 89. Sermo, quem idem dominus fecit ad Clerum „ Pisanum in reconciliatione cujusdam Haeretici „.

„ 90. Sermo, quem idem dominus fecit quando de- „ nuntiavit sententias excommunicationis, & interdicti „ contra Civitatem Pisanam a D. N. Clemente Papa IV. „ latas „.

„ 91. Sermo, quem idem dominus fecit in majori „ Consilio Pisano, ut revocarent Statutum, quod fece- „ runt de auferenda jurisdictione Terrarum Pisani Ar- „ chiepiscopatus „.

„ 92. Sermo ad Clericos Ordinandos „.

„ 93. Sermo, quem idem dominus fecit ad Clerum „ quando dominus Alexander Papa IV. misit contra Pre- „ sbyteros concubinarios visitandos „.

„ 94. Sermo, in quo continetur omnis ordo, & mo- „ dus visitandi „.

„ 95. Sermo, quem fecit idem dominus quando com„pleta visitatione Civitatis, & Dioecesis recommendavi„mus nos Clero volentes visitationis causa in Sardineam „transfretare anno Domini 1264. undecimo calendas „Aprilis „.

„ 96. Sermo, quem idem dominus primo fecit in „Capitulo Pisano quando coepit visitare.

„ 97. Apud S. Sixtum, apud S. Petrum ad Vincula, „apud S. Jacobum de Orticaria sermones de visitatio„ne „.

„ 98. Sermo, quem idem dominus fecit apud S. Ste„phanum, & apud S. Matthaeum „.

„ 99. Sermo, quem idem dominus fecit in reversione „de Sardinea ad Clerum in Ecclesia S. Petri ad Vincu„la. „ Fridericus in hoc Sermone plura habet contra Prosperum Turritanum Antistitem; primo enim inquit: *significatur Civitas nostra Pisana per Betuliam, & per Olofernem Sardinea, sive Prosper Archiepiscopus Turritanus, qui honorem Civitatis Pisanae scilicet Primatiae, & Legationis in Sardinea inita conspiratione, & consilio cum quibusdam auferre, vel impedire multipliciter nitebatur*; deinde subiungit: *Olofernis infirmitas significat ipsam Sardiniam, vel supradictum Archiepiscopum Turritanum, qui infirmus, & inconstans mente discedit ab Ordine suo Cisterciensi ipsum Ordinem non servando, quemadmodum in Civitate ista visum est manifeste quando apud Sanctum Vitum in praeterito carnes publice comedebat, secum non habens Monachum, vel Conversum, sicut nos eidem coram domino Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali apud Curiam diximus viva voce.*

„ 100. Themata, de quibus idem dominus aliquando „proponebat antequam visitaret „.

„ 101. Sermo, quem idem dominus fecit ad Clerum „quando dominus Papa Gregorius X. praecepit „. Ex

hoc

hoc Sermone constat electionem Gregorii Pisanis gratam fuisse, siquidem ibidem legitur: *cujus electionem non solum nobis, sed etiam omni alii Clero, Potestati, Capitaneo, Ansianis, populo, masculis, & feminis Civitatis Pisanae apud Ecclesiam majorem in prima Dominica Septembris solemniter, & cum magno tripudio curavimus intimare currentibus annis Domini ab Incarnatione ejus 1272. consecrationis vero nostrae anno 14.*

„ 102. Responsio, & consilium, quod dedit dominus
„ Fridericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus domino
„ Papae Gregorio X. in praesentia dominorum Cardina-
„ lium, & totius Concilii generalis apud Lugdunum,
„ pro succursu Terrae sanctae, & decima persolvenda „.

XXXIX. ROGERIUS II. UBALDINIUS.

In sententias adeo ancipites distracti sunt Auctores e qua familia Rogerius Pisanus Archiepiscopus satus esset, ut Historiae veritati summam caliginem offundant, inquit Ughellius; nec sane immeritò. Etenim Volaterranus (1) eum *ex Ubaldorum* gente natum existimat. Ughellius ipse dubitat ortum esse ex familia *Duralda*, ejusque dubitationis caussa est sequens Rogerii epitaphium, quod legitur Viterbii in Ecclesia PP. Dominicanorum Sanctae Mariae *ad gradus*:

Hic requiescit Venerabilis Pater dominus Ruggerius Duraldus Archiepiscopus Pisanus.

Idem asseveranter scribit Martinius (2); alii prognatum illum faciunt *ex Lanfranchiorum* sanguine (3). Troncius (4) vero natum dicit *ex Ubaldiniorum* genere; quod veritati consonum esse censet imprimis Flaminius dal Bor-

(1) *Geographia lib.* 5. *fol.* 43. *edit.* 1526.
(2) *Theatro Basilica Pis. pag.* 158. *edit.* 1705.
(3) Vid. Ughellium in *Rogerio*.
(4) *Annali Pisani pag.* 237. 276.

Borgo (1) auctoritate innixus Ptolomaei Lucensis, qui *Baldinum de Ubaldiniis* vocat nepotem Archiepiscopi nostri, & hunc appellat nepotem domini Octaviani Cardinalis (2) *ex Ubaldiniorum* familia sine controversia orti. His monimentis addam ego testimonia Villani (3), Benvenuti Imolensis (4), & Auctorum Chronicorum Pisanorum (5), a quibus Rogerius aperte dicitur *de Ubaldiniis*. Archiepiscopi nostri gens licet ab Florentia oriunda esset, eo tamen tempore Pisana dici poterat; nam ob Guelphorum, Gibellinorumque dissidia *Campilliam*, quod est Pisanae ditionis locus, profecta in hac Urbe praecipuos potiebatur honores (6).

In locum Friderici defuncti suffectum Rogerium omnes ad unum fatentur, qui de Pontificibus Pisanis tractarunt; sed inter se differunt de anno, & mense, quo renuntiatus est. Guido de Corvaria scribit (7), Rogerium, quem perperam Octavianum vocat, electum fuisse a Clero Pisano anno communi 1277. die 15. Novembris, & ad Ecclesiam suam primo accessisse anno sequenti 12. mensis Junii die: *die Lunae*, inquit, 15. *Novembris dominus Octavianus de Mugello Archidiaconus Bononiensis fuit a Capitulo electus in Archiepiscopum Pisanum ..... die Dominica* 12. *Junii suprascrittus Archiepiscopus introivit primo Civitatem Pisanam pro ipso Archiepiscopatu*. Ughellius e contrario creatum illum existimat anno communi 1278. die 8. Augusti; idque constare affirmat ex certis, sincerisque monumentis Vaticanis: Rogerius *ex Archidiacono Bononiensi a Nicolao III. eligitur 6. idus Augusti*

(1) *Dissertazione* 3. *dell' Istoria Pisana pag.* 142.
(2) *Annalibus Ecclesiast. ad ann.* 1287. *& seq. T. XI. S. R. I.*
(3) *Hist. Fiorentine lib.* 7. *cap.* 120. *col.* 319. *T. XIII. Script. Rer. Ital.*
(4) *Comment. in Dantis Commediam* apud Muratorium *Tom. I. Antiq. Ital. medii aevi col.* 1140.
(5) *Tom. XV. Script. Rer. Ital. col.* 979. *& Tom. XXIV. col.* 653.
(6) Consule Ughellium, & Flaminium dal Borgo *pag.* 143.
(7) *Fragment. Historiae Pis. col.* 686. *& seq. Tom. XXIV. Script. Rer. Ital.*

gusti anno 1278., *ita habetur in regesto Vaticano epistola* 57. *fol.* 13. *anno primo*. Tametsi libenter patior, die 15. Novembris Fridericum naturae debitum jam persolvisse, vix tamen persuadere mihi possum, Clerum Pisanum, qui recenter proprium Pastorem amiserat, successorem elegisse eo tempore, quo ob Joannis XXI. mortem Ecclesia universa Rectore carebat. Accedit, quod in Pisanis monumentis (1) Stephanus Senensis, & Orlandinus *de Porchari* pluries dicuntur Vicarii Pisani Archiepiscopatus *pro Pisano Capitulo Sede vacante usque ad mensem Aprilem*; ex quo dubitare fas est, novum Archiepiscopum nondum electum tunc fuisse. Quod vero Rogerius Pisas venerit die 12. mensis Junii non inficior; nam ex veteribus tabulis (2) ante mensem Julium illum Pisis extitisse erudimur. Hinc liquet, Ughellium scribentem ex monumentis Vaticanis constare, Rogerium ipsum renuntiatum fuisse Archiepiscopum 8. die mensis Augusti, eadem monumenta minus diligenter, quemadmodum opus longum conficientibus non semel accidere solet, examinasse.

Patria monumenta nihil fere de Antistite nostro tradunt dignum, quod hoc in loco narretur. Anno 1288. mense Julio is princeps auctor fuit conspirationis populi Pisani adversus Comitem Hugolinum ex nobilissima *Gherardesca* gente, qui una cum duobus filiis, totidemque nepotibus in carcerem coniectus, ibidem miserrime fame periit. Tragicam Hugolini, & aliorum scenam describit immortalis Dantes Aligherius (3), qui praeterea Rogerium nostrum sempiternis Inferni poenis addictum asserit, sic Hugolinum ipsum loquentem inducens:

„ Tu

(1) Vide *Protocollum num.* 6. *litt.* F.

(2) Addi *Protocollum citat.*, & *Protocollum num.* 3. *litt.* C., nec non *Tom.* IV. *apographorum num.* 955., ubi sunt Rogerii Archiepiscopi tabulae scriptae anno communi 1278. die 21. Junii, & 2. Julii.

(3) *Inferno Canto* 33. *verf.* 13.

„ *Tu de' saper, ch' i' fu 'l Conte Ugolino*
„ *E questi l' Arcivescovo Ruggieri:*
„ *Or ti dirò perch' i' son tal vicino.*
„ *Che per l' effetto de' suo' ma' pensieri*
„ *Fidandomi di lui io fossi preso,*
„ *E poscia morto, dir non è mestieri.*

Celeberrimi Poetae, & Ughellii eum sequentis assertionem carpit, vellicatque Eques *dal Borgo* paullo ante memoratus; nam, inquit, Rogerius contra Hugolinum iram populi Pisani commovit nullo privatae ultionis aestu, aut dominandi cupidine excitatus, sed amore tantum patriae libertatis permotus, quam Hugolinus ipse eripere Pisanis tentabat ut qui pacem facere cum Florentinis avebat, cum Genuensibus autem illam inire maximo Civium detrimento recusabat; vel si vindicta ductus infelicem Comitem prodidit, potuit poenitentia veniam a Deo de patrato crimine obtinere.

Ego quidem viro in patria praesertim Historia versatissimo libenter in omnibus adstipulor, sed vereor ne sint qui contendant, quod Archiepiscopus noster contra Hugolinum etsi in patriam insidiarum reum fecit *cetera ejus praeclara gesta mirum in modum obscurasse* (1); velint nihilominus cum Ughellio, Rogerium ipsum fuisse hominem *efferati, & inexorabilis animi*; sentiant, leve nimis argumentum nobis exhibere ad probandum Archiepiscopum probitate, bonis moribus, paterno amore erga gregem sibi creditum, pastorali mansuetudine, & aequitate ornatum tum litteras illas, quas anno communi 1288. die mensis Augusti undecima pro valetudinario nunc S. Clarae dicto; & anno 1294. die 27. Julii pro Brephotropio Sancti Spiritus olim appellato ad populum sibi commissum scripsit (2); tum alias, quas initio

(1) Ughellius *in Rogerio*.
(2) Apud Flaminium citatum *Raccolta di scelti diplomi Pisani n. 5. 6. pag. 16. 18.*

tio anni 1282. vexatus a Republica Pisana *super temporali jurisdictione Nebulae, Montanini, Belorae, Filectuli, Lorenzanae, Filectuli de Valle Serchi, Usiliani Castrorum, & villarum, terris, & possessionibus, & rebus aliis ad Archiepiscopalem Sedem Pisanam spectantibus* dedit ad Martinum IV. Summum Pontificem (1).

In carcerem detruso Hugolino, ejusque filiis, & nepotibus, Rogerius a Civibus Pisanis in Potestatem, Rectorem, & Gubernatorem (2) Reipublicae electus est; quod munus per Bonaccursum Gubettam *de Ripafratta* Vicarium suum (3) gessit usque ad mensem Decembris, nimirum per quinque circiter menses (4).

Extremum diem morte confecit anno 1295. post decimam quintam (5) Septembris diem, ut ego quidem arbitror. Id accidisse Pisis narrat Roncionius (6), qui etiam ait obiisse animi moerore; cum enim *Ninus Vicecomes* Judex Gallurensis Summo Pontifici eum accusasset, quod auctor extitisset mortis illatae Comiti Hugolino, ejusque posteris; cumque Jacobus Columna S. R. E. Cardinalis, cui Archiepiscopi caussae discussio demandata fuerat ipsum perpetuo carceri damnasset, hujusmodi audita sententia angore confectus est. Sed Roncionii

(1) *Raccolta cit. num. 7. pag. 19.*

(2) In libro, qui est in publico Archivo Pisano, ac inscribitur, *Breve vetus Antianorum n. 1. fol. 1.* haec leguntur: *Tempore venerabilis patris domini Roggerii miseratione Divina Pisani Archiepiscopi, Potestatis, Rectoris, & Gubernatoris Communis, & Populi Pisani MCCLXXXVIIII.* more Pisano.

(3) In eodem libro paulo infra sic habetur: *Tempore Bonaccursi Gubbectae Vicarii suprascripti domini Archiepiscopi.*

(4) Vide *fragmenta cit. col. 655.*

(5) In Tabulario secreto Archiepiscopii servatur instrumentum *T. IV. num.* 1067. confectum anno 1295. die mensis Septembris 15., quo *dominus Benventus Camerarius venerabilis patris domini Rogerii Pisani Archiepiscopi dedit, locavit, & concessit ad affictum hinc ad octo annos proxime venturos Baroni quondam Jacobi de Casadio* quasdam possessiones *in Casadio vallis Auseris* positas. Itaque Rogerius ea die adhuc vivebat, vel saltem ejus mors nondum Pisis innotuerat.

(6) Apud Flaminium dal Borgo *Dissertazione &c. pag. 141.*

narrationi de loco ubi Rogerius decessit, obstat inscriptio paullo ante recitata, quae cum Viterbii sit, ac de Rogerio II., non vero de Rogerio I. intelligi debeat, ut ab Ughellio est animadversum, satis ostendit, ea in Urbe magnum Gibellinorum patronum extremum halitum efflasse. Deinde Rogerium peregre, & prope Romam obiisse aperte colligitur ex intervallo temporis, quod inter ejus mortem, & successoris electionem intercessit. Superius assertum est, post diem decimam quintam Septembris e vita migrasse Rogerium; illius vero successorem die ejusdem mensis vigesima electum fuisse paullo post demonstrabitur. At quatuor, vel summum quinque dierum spatio Rogerii decessus nuntium Pisis Romam vix pervenire quibat: igitur non decessit in patria, sed Viterbii potius, quod cum ab Urbe distet itinere unius diei, & dimidii circiter, a Romano Pontifice Archiepiscopi nostri obitus cito sciri poterat. Quod si quis contendat die 15. Septembris mortuum jam fuisse Rogerium, sed Pisis ejus mortem haud innotuisse, praefidenter id non negaverim, sed inde necessario sequitur, mortem in patria non oppetiisse.

XL. THEODERICUS II. RAYNERIUS.

Rogerio proxime successisse Theodericum patet ex litteris (1) Bonifacii VIII., quae sic incipiunt „ Pisana „ Ecclesia per promotionem dilecti Filii nostri Theode- „ rici tituli S. Crucis in Jerusalem Presbyteri Cardina- „ lis ad apicem Cardinalatus assumpti, quem olim ei- „ dem Ecclesiae tunc per obitum bonae memoriae R. „ Pisani Archiepiscopi Pastoris solatio destitutae praefeceramus in Archiepiscopum, & pastorem, vacante „. Na-

(1) Apud Odoricum Raynaldum *ad ann.* 1299. *num.* 29., & apud Bremondum *T. II. Bullarii Ordinis Praedicatorum num.* 23. *pag.* 56.

Natus est in Urbe-veteri patre Joanne e Rayneria gente. Varia munera gesserat priusquam Pisanus Pontifex designaretur; fuerat enim *Prior Secularis* patriae Ecclesiae S. Andreae, Sacelli Pontificii Sacerdos, in Germania Collector, & S. R. E. Camerarius. Electus est in hujus Ecclesiae Praesulem anno 1295. duodecimo calendas Octobris, quemadmodum apparet ex litteris Bonifacii VIII. in Italia Sacra memoratis.

Ughellius in Pisanorum Antistitum serie existimat, Theodericum *suam distulisse aliquandiu inaugurationem*. Sed ego asserere non dubitaverim, nunquam Pisanum Archiepiscopum consecratum fuisse. Etenim in duabus (1) tabulis, altera anno 1296. sexto calendas Martias, altera anno sequenti 6. calendas Novembris scripta vocatur Archiepiscopus *electus*; & in iis memorantur Bernardus Sinibaldi Perusinus, & Petrus *Plebanus de Rosignano* Camerarii, & negotiorum illius gestores: cuidam epistolae (2) datae anno 1298. die 17. Martii Abbati S. Salvatoris *de Monte Amato* subscribit his verbis: Theodericus *Papae Camerarius, & Pisarum electus*: dicitur etiam *electus* in instrumento (3) anno paullo ante citato quinto idus Septembris exarato, ex quo item apparet ipsius Vicarium Generalem fuisse *Gabrielem Plebanum de Vallaneto*; & in alio (4) scripto eodem anno, sed decimo quinto calendas Octobris; quod in hoc Pisano Tabulario postremum est, in quo de Theoderico nostro mentio fiat. Accedit, quod Bonifacius VIII. in suis litteris anno 1299. quarto idus Februarii datis, quarum verba superius exhibuimus, Theodericum jam S. R. E. Cardinalem *Filium* appellat; sed Romani Pontifices E-

(1) In Tabulario Archiepiscopii *Tom. IV. num.* 1081. 1082.
(2) Quas laudant Ughellius, & Oldoinus *Additionibus ad vitas PP., & Cardinal. Ciaconii T. II. col.* 328.
(3) *Tom. cit. num.* 1090.
(4) *Num.* 1091.

piscopos consecratos *Fratres*, non Filios vocare semper consueverunt.

Theodericus factus Cardinalis tituli *S. Crucis in Jerusalem* Archiepiscopatui Pisano nuncium remisit, ut manifestum est ex literis antea citatis; id vero accidit anno 1298. pridie nonas Decembris. Anno veniente idibus Junii creatus est Episcopus Praenestinus; sed ipse, quousque vixit Bonifacius VIII., Antistes *Civitatis Papalis* vocatus est; horribili namque excidio ab eodem Pontifice solo aequata Urbe Praenestina, incolae, Bonifacio ipso jubente, Urbem rursus excitarunt nomine Civitatis Papalis. Quae ipse fecit, ac munera, quae gessit postquam Pisanam Ecclesiam dimisit, narrant Ughellius (1), Oldoinus (2), & Suaresius (3). Corporis ergastulo solutus est anno 1306. die septima mensis Decembris.

XLI. JOANNES VI. DE POLO.

Diversae sunt Historicorum sententiae de familia, ex qua originem traxit Joannes. Nam Puccinellius (4) ex familia *Rosellia* natum, scriptum reliquit: at Razzius (5), Fontana (6), & Bremondius (7) e domo *de Polo*: Ughellius autem, Troncius, Cardosius, Martinius, & Abrahamius e *Provincialium* domo. Hanc olim extitisse Pisis, ubi Joannem ortum volunt Troncius, & Cardosius laudati, ex veteribus monumentis (8), quae ipse

(1) *T. I. Ital. Sac. in Episcop. Praenest. num. 47. col. 214.*
(2) *Loco ante cit.*
(3) *Praeneste antiq. Tom. VIII. par. 4. Thes. Burmanniani.*
(4) *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag. 24.*
(5) *Istoria degli Uomini illustri dell' Ord. de' Predic. pag. 70.*
(6) *Theatro Dominicano par. 1. pag. 93.*
(7) *T. cit. in Appendice ad Pontif. Bonifacii VIII. pag. 72.*
(8) Tabulae enim scriptae anno 1296. sexto calendas Martias *T. VI. num.* 1081. sic incipiunt „ In Dei nomine amen. Andreas quondam Gerar„ di Provincialis de Civitate Pisana pro seipso, & Cione germano „ suo.

ipse vidi, exploratum est. Sed hi Auctores, Joannem origine Pisanum non fuisse colligere ex eo poterant, quod in Annalibus MSS., quos ipsi legerunt, Monasterii Sanctae Catharinae Ordinis Praedicatorum, in quibus recensentur omnes Pisani, qui eidem inclyto Ordini nomen dederunt, nulla fit de Archiepiscopo nostro mentio; hinc dubitare etiam debebant, quin ille ex familia Provincialium editus fuerit, etsi haec Pisis antiquitus esset. Ex veteribus memoriis collectis a Fratre Zenobio de Guasconibus Florentino defuncto anno 1365. clare, aperteque constat, Joannem fuisse patria Romanum, & ex familia *de Polo* natum (1).

Ad Archiepiscopatum Pisanum evectus est, non quidem sub anno 1294., uti censet Razzius memoratus, cui Plodius, & Sovegius (2) consentiunt, utqui scribunt, Joannem nostrum a Coelestino V. renuntiatum fuisse; sed anno 1299. die decima Februarii, quemadmodum constat ex litteris (3) Bonifacii VIII., in quibus Joannes dici-

„ suo „. Et in codice MS. in Publico Archiepiscopii tablino servato, post catalogum omnium Ecclesiarum in hac Dioecesi exstantium anno 1371., memoratur Presbyter Franciscus Provinciale.

(1) In laudatis memoriis servatis in Archivo Monasterii Florentini S. Mariae *Novellae* ad annum 1332. haec leguntur de Archiepiscopo nostro, qui postea factus est Pontifex Nicosiensis: *Dominus Frater Johannes de Polo Romanus Ordinis Fratrum Praedicatorum, & Archiepiscopus Nicosiensis, de Insula Cypri migravit ad Dominum in calendis Augusti MCCCXXXII. in dicta Insula cum magno honore, & gratia totius populi, propter quod de 25. milia Florenis auri, quos habebat in redditibus nihil sibi reservabat, sed omnia pauperibus, & Religiosis mendicantibus erogabat, nolens de crastino cogitare, sed inter alia in dicto anno propter continuam sollicitudinem Fratris Johannis de Infangatis, qui cum dicto domino morabatur illo tempore misit Fratribus nostris de Minerva duo millia Florenorum auri*. Exstant in eodem Archivo quaedam instrumenta, in quibus mentio fit *de pecunia Fratris Johannis de Roma Archiepiscopi Nicosiensis*. Monumenta haec accepta refero erudito P. Fineschio eidem Archivo praefecto.

(2) Apud Cavalierium *Galleria de' Sommi Pontefici &c. dell' Ordine de' Predicatori T. I. pag. 76. num. 2*[illegible].

(3) Apud Raynaldum, & Bremondium *locis laud.*

dicitur *generis nobilitate* conspicuus, *litterarum scientia, munditia vitae, religionis observantia, ac honestate morum, & aliis virtutibus ornatus*. Ex iisdem litteris apparet, consecratum fuisse a Matthaeo *de Aqua sparta* Ordinis Minorum Episcopo Portuensi, & *Pallium* accepisse a Matthaeo Rubeo Ursinio Sanctae Mariae *in Portico* Diacono Cardinali. Non multo post die nimirum octava mensis Martii amplam *Indulgentiam* concessit Ecclesiae Sanctae Mariae *de Campo Regio* Ordinis Praedicatorum, Ughellio, & Orlendio testibus.

Suscepto Ecclesiae Pisanae regimine cum videret, quasdam possessiones, quas Archiepiscopatus habebat in Dioecesibus Pisana, Lucensi, Volaterrana, & Massana nulli utilitati eidem esse, facultatem petiit a Bonifacio VIII., ut eas in alias propriae Ecclesiae utiliores permutare posset. Bonifacius anno sui Pontificatus 7., idest anno 1301., quarto calendas Februarias praecepit Bartholomaeo S. Paulli *de Ripa Arni*, Joanni S. Savini Monasteriorum Abbatibus, & Guidoni Priori Regulari S. Augustini *de Ressano*, ut si vera esse deprehendissent, quae Joannes noster exposuerat, licentiam huic concederent laudatas possessiones commutandi; quas revera per Magistrum Minum *Plebanum de Vico* Syndicum suum permutavit cum Monasteriis *S. Hermetis de Orticaria prope Pisas Ordinis Cisterciensium, & S. Michaelis de Verrucca* (1). Anno sequenti prima Februarii die Tancredus *de Monte Rynaldi* Joannis Antistitis Vicarius excommunicavit Galtellinensem Episcopum, qui cum quandam pecuniae summam cuidam Clerico *familiari bonae memoriae domini Rogerii olim Pisani Archiepiscopi* deberet, & ideo in jus ab ipso Tancredo vocatus esset, non respondit (2).

Sub

(1) *Append. Monument.*

(2) Monumentum est apud Ughellium, Troncium, *& in Sardinia Sac. in Episc. Galtellin. num.* 3. *pag.* 282.

Sub his temporibus Templariis equitibus apud Clementem V Summum Pontificem de multis, iisque enormibus delictis accusatis, ille anno 1307. secundo idus Augusti graves litteras (1) misit ad Archiepiscopum Pisanum, aliosque Antistites, quibus eorum caussam cognoscendam in tota Italia ipsis committebat „ per Apostolica scripta „ mandamus, *ait Clemens*, quatenus ad Aquilejensem „ Civitatem, Dioecesim, ac Provinciam personaliter ac„ cedatis, & per publicum citationis edictum per vos „ faciendum, in locis, in quibus vobis visum fuerit ex„ pedire, vocatis qui fuerint evocandi, super articulis, „ quos vobis sub Bulla nostra inclusos transmittimus, „ ac super aliis, de quibus prudentiae vestrae videbitur „ expedire, inquiratis, ac auctoritate nostra contra „ praedictum Ordinem (*Templariorum*), nec non & con„ tra magnum Praeceptorem dicti Ordinis in partibus „ Lombardiae constitutum cum diligentia veritatem, „ quam super praemissis inveneritis, fideliter in scriptis „ publica manu redactam sub vestris sigillis ad nostram „ praesentiam delaturi, seu etiam transmissuri „. Anno 1310. mense Aprili Florentiae manens coram Potestate, & magna populi multitudine Sacrum fecit Altare majus Ecclesiae insignis Abbatiae Sanctae Mariae, cui Azzo II. tunc praeerat. Testatur id Placidus Puccinellius (2). Sequenti anno decima sexta mensis Augusti die Joannes per Henricum *de Monte-Vaso Plebanum Plebis de Lardensa* Vicarium suum abstulit Fratribus *Humiliatis* in Conventu S. Torpetis olim habitantibus Monasterium S. Luxorii, quod a pluribus annis possidebant beneficientia, ut illi ajebant, Friderici *de Vicecomitibus* Pisani Archiepiscopi (3).

In-

(1) Apud Hieronymum Rubeum. *lib. 6. Hist. Ravennat. ad ann.* 1307. *pag.* 512. *edit.* 1589.
(2) *Loco cit.*
(3) Confer Tabulas apud Hieronymum Tiraboschium T. II. *Veterum Humiliatorum monumentorum pag.* 368.

Inter litteras, quas ipse Clemens anno 1308., & 1310. scripsit ad omnes Episcopos, ut Viennam Allobrogum accederent, ubi Concilium Generale anno 1311. habitum fuit, sunt etiam litterae (1) ad Pisanum Pontificem. Utrum Joannes, qui tunc Pisanae Ecclesiae praeerat, Viennam revera petierit, non constat, siquidem Episcoporum, qui eidem Concilio adfuerunt, subscriptiones desiderantur. Illud compertum est, si vere loquitur Marangonius, anno 1312. initio mensis Martii, quo tempore memoratum Concilium nondum terminatum erat, Archiepiscopum nostrum fuisse Pisis, & Henricum VII. Imperatorem recepisse magna solemnitate, quam sic describit ipse Marangonius (2): *condutto che fu lo Imperadore dove e' Pisani avevano fatto un' arco trionfale, ed eranvi raunati tutti e Religiosi Preti, e Frati della Citta insieme con l' Arcivescovo in Pontificale, e teneva la Croce in mano, dove giunto l' Imperatore lo Arcivescovo iscavalcò, e il simile fece l' Imperatore, il quale inginocchiato alli piedi dell' Arcivescovo baciando la Croce.*

Eodem anno 1312. sexto idus Maii Joannes gubernationem Ecclesiae Pisanae dimisit, non quidem ob mortem, ut minus vere scribunt Paullus Troncius (3), & Abrahamius (4), sed ob translationem ad Sedem Nicosiensem, quemadmodum Ughellius Vaticanis monumentis innixus litteris consignavit. Joannes noster Pontifex Nicosiensis vocatur in litteris etiam Clementis V. ad Oddonem *de Sala* scriptis, quas in monumentorum appendice exhibebimus.

XLII.

(1) *T. XV. Conciliorum col. 19. 17.*
(2) *Croniche di Pisa col. 614* Vide etiam Troncium *op. cit. pag. 286.*
(3) *Op. cit. ad eum annum pag. 287.*
(4) *T. II. Operis MS. alibi cit. cap. 2. pag. 354.*

XLII. ODDO DE SALA.

Oddo Pisanus Archiepiscopus factus est eodem anno, ac die, quo Joannes ad Ecclesiam Nicosiensem transiit. Pisis in lucem venerat ex praeclara gente *de Sala* (1), & ab adolescentia Deo in celeberrima PP. Dominicanorum familia sese devoverat. Antequam ad Pisanum populum gubernandum accederet, rexerat Ecclesias Terralbensem in Insula Sardiniae, Polensem in Istria, & Arborensem in laudata Insula, ut alibi fusius narravimus (2). Statim electus in Pisanum Praesulem plures libellos supplices (3) exhibuit Clementi V. Pontifici Maximo

(1) In Tabulario Archiepiscopatus *T. V. num.* 1334. servatur instrumentum, in quo Oddo filius Jacobi, Archiepiscopi nostri Fratris *de Sala*, dicitur Civis Pisanus. Lequienius *T. III. Orientis Christiani col.* 1144. scribit, Oddonem *e primaria Pisanorum nobilitate* natum esse.

(2) *In Archiepiscopis Arborensibus num. 16. pag.* 244. Diversas Ecclesias ab Oddone gubernatas, officia in Ordine suo gesta, ejusque animi dotes memorant Annales MSS. Conventus S. Catharinae de Pisis, Ordinis Praedicatorum *lib.* 1. *pag.* 40. Horum fragmentum, quod Oddonem respicit, a doctissimo P. M. Remedellio, in hac Pisana Academia Sacrae Theologiae publico Professore, summa humanitate mihi communicatum est hujusmodi „ Frater Oddo Sala Pisanus inter claros suae aetatis viros merito computatur; corpore formosissimus, prudentia singularis, „ doctrina refulgens Parisiis litterarum studio vacavit: idem Lector „ Pisanus designatur, Praedicator etiam gratus, & *Prior* hic fuit. „ Testabatur dominus Raynerius vir tempestate illa perspicacissimus, „ Oddonem cunctos, qui tunc vixerant Litteratos prudentia supergressum; ea propter ut ceu lucerna altius locata multos illuminaret, „ pluribus Ecclesiasticis dignitatibus decoratus fuit. Primo enim Episcopus Terralbensis, secundo Polensis, tertio Archiepiscopus Arborensis, quarto Pisanus, tandem Patriarcha Alexandrinus. Has autem Ecclesias crediderim successive, non simul rexisse, nisi fortassis „ Patriarchatui, qui & tunc temporis (credo) titularis erat, & Archiepiscopatui Pisano praefuerit simul. Eas autem cum fideliter (ut „ virum magnum decet) gubernasset mense Majo 1324. laborum suorum mercedem accepturus vitam caducam reliquit „. Duo tamen peccat hic Auctor, ut postea videbitur; primo dum ait, Oddonem Patriarcham Alexandrinum, & Archiepiscopum Pisanum simul fuisse; deinde dum scribit, mense Majo anni 1324. e vita migrasse.

(3) *In Appendic. Monument.*

ximo, quibus eum orabat primò, ut Ecclesiam S. Petri *ad Gradus* Archiepiscopo Pisano restitueret, & Civitatis Rectores cogeret ad cedendum omnibus bonis, quae ad ipsam spectabant. Haec namque Ecclesia, quae juris erat ipsius Archiepiscopi a Bonifacio VIII. concessa fuerat Benedicto *de Cajetanis* cum eo, ut illo defuncto nulli alteri conferretur. At post Benedicti mortem quidam eandem Ecclesiam occupaverant; unde multa sequebantur absurda, quibus ut remedium afferrent Civitatis Rectores & Ecclesiam, & ipsius bona *ad manus suas receperunt*. Secundò rogabat, ut cum Bonifacius superius memoratus *considerans, & attendens, redditus, & proventus Archiepiscopalis Mensae Pisanae esse tenues, & exiles, & ex aliquibus causis fore non modicum diminutos*, conjunxisset eidem *Mensae* possessiones Monasterii Pisani S. Zenonis Ordinis Camaldulensis, *proviso, quod Fratribus, qui pro tempore ibidem deservirent in Divinis congrua substentatio praeberetur*; cumque Joannes Archiepiscopus expressisset in libello quod *Monasterium praedictum situm erat in loco Civibus Pisanis suspecto, & quod collapsum quodammodo erat*, ideoque conjunctio variis modis oppugnata fuerat: omni difficultate remota decerneret, Pisanum Archiepiscopum pacifice possidere ipsius Monasterii bona, praesertim *cum Fratres Ordinis praedicti plura, & diversa loca in ipsa Civitate Pisana sufficientia, & solemnia obtinere noscantur, & Ecclesia Pisana fuerit, & sit in possessione continua ipsius Monasterii ab undecim annis citra cum voluntate, & beneplacito Pisani Communis, & Populi*. Tertiò facultatem petebat retinendi apud se tres, vel quatuor viros Religiosos Ordinis Praedicatorum, qui sibimetipsi comites, & adjutores negotiorum essent.

Clementem Oddonis nostri precibus indulsisse vetera ostendunt monimenta. In secreto Archiepiscopatus

Tabu-

Tabulario pluries citato servantur litterae (1) ipsius Clementis ad Robertum Dragoni Pisanum Ordinis Praedicatorum Episcopum Usellensem in Sardinia, ad Abbatem S. Paulli *de Ripa Arni*, & ad *Plebanum Plebis de Subiliano* Dioecesis Lucensis missae anno 1313. tertio idus Julii, quibus iis committit, ut in Ecclesiae S. Petri *ad Gradus*, ejusque bonorum possessionem Pisanum Archiepiscopum mittant, quod factum est. Exstat etiam in eodem Tabulario instrumentum (2), quo Chiannes Falconis Canonicus Terralbensis Camerarius, Syndicus, Procurator, & negotiorum gestor Oddonis anno superius laudato 8. calendas Decembris dedit in emphitheusim Guadagno Mercati, & aliis quaedam bona spectantia ad Ecclesiam, & Monasterium S. Zenonis; hinc colligitur idem Monasterium, ejusque bona a Summo Pontifice Pisano Antistiti adjudicata fuisse, ut Oddo petebat. Tandem Oddonem ipsum obtinuisse, ut adsciscere sibi familiares posset aliquos Patres Ordinis Praedicatorum ex eo liquet, quod anno 1325. secum habebat *Cappellanos*, & familiares suos Fratres Guidonem Perusinum, & Franciscum Urbevetanum memorati Ordinis alumnos (3).

Magnam gratiam iniit Oddo apud Henricum VII. Imperatorem, qui idcirco anno 1313. Pisas reversus ipsi rata fecit 14. calendas Junias omnia privilegia, quae alii Imperatores Ecclesiae Pisanae concesserant, diplomate ab Ughellio publicato, cujus est initium: *Henricus VII. Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, venerabili Oddoni Pisano Archiepiscopo Principi, & Segretario suo dilecto gratiam suam, & omne bonum*. Eodem anno Archiepiscopus noster electus est una cum Nicolao Antistite Botrontinensi a Lucensibus ad

(1) *In eadem Append.*
(2) *Tom. cit. num.* 1249.
(3) Ex monumento apud Troncium *ad ann.* 1312. *pag.* 288., & ex aliis postea adducendis.

ad conciliandam pacem inter ipsos, & Imperatorem, ut narrat idem ipse Nicolaus : „ In Pisis Lucani mise„ runt pro Archiepiscopo Pisano, & pro me ad tra„ ctandum de pace. De licentia Imperatoris ivimus pro„ pe Civitatem Lucanam, & ibi qui terram regebant „ ad nos venerunt, & multum nos honoraverunt, & in „ fine post multos tractatus consuluerunt pro meliori in „ dicto negotio (1). „

Intentus ad mores populi sibi commissi reformandos, & abusus e Dioecesi Pisana tollendos Synodum celebravit anno 1314. mense Septembri. Hujus acta vel perierunt, vel saltem inventa a me non sunt, sed illius celebratio innotescit ex hoc monumento, quod est in secreto Archiepiscopii Tabulario (2) : *Nos Frater Oddo permissione Divina sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus &c. ad humilem, & devotam petitionem discretorum virorum dominorum Andreottae Primicerii, Philippi Galli, Ugolini Boncontis, Guidonis Fazeuli, Bartholomaei de Podio-Bonizi, Nicolai Panciae, Bondi Rubei, Nicolai de Anania, Petri de Cazulis, & Jacobi Praepositi Castalionis Piscariae nostrae Pisanae Ecclesiae Canonicorum in nostra praesentia existentium, auctoritate nostra, qua fungimur, declaramus Constitutionem, quae incipit :* Beneficiorum Ecclesiasticorum pluralitatem &c. *inter alias nostras generales Synodales Constitutiones sub titulo* de officio Ordinarii *collocatam, quas nuperrime generali Synodo duximus promulgandas, ad personatum in dicta Ecclesia obtinentes, aliosque Canonicatus praefatae Ecclesiae tam praesentes, quam futuros aliquatenus non extendi.*

Anno 1317. ineunte petiit Avenionem una cum Calo nepote suo, quem proinde removit ab officio Potestatis oppiduli *Filectoris*, in quo ea aetate Archiepiscopus

(1) *Relatione de Itinere Italico Henrici VII. Imperatoris* apud Muratorium T. IX. *S. R. Ital. col.* 932.

(2) *In Actis Extraordinariis ab anno* 1395. 98. *num.* 31. *fol.* 70.

pus Pisanus omnem jurisdictionem exercebat, & merum, mixtumque (1) habebat Imperium. Avenione manens rogavit Joannem summum Pontificem, ut curaret, ne eo tempore, quo ipse Pisis aberat, bona sua detrimentum aliquod paterentur; Joannes autem has scripsit litteras ad Priorem Ecclesiae Pisanae Sancti Silvestri: *Venerabilis Fratris nostri Oddonis Archiepiscopi Pisani apud Sedem Apostolicam constituti petitionibus annuentes praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus quidquid inveneris in ejus praejudicium temere attemptatum, postquam idem Archiepiscopus causa peregrinationis, & pro quibusdam suis negotiis procurandis iter arripuit ad Sedem veniendi praedictam, in statum debitum legiptime revocare procures: contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Avenione 6. calendas Februarii Pontificatus nostri anno secundo* (2). Post tres annos octavo idus Julii Oddo litteras accepit ab eodem

(1) *Protocollo 9. litt. K. fol.* 127. sic legitur „ Reverendus in Christo Pater, „ & dominus Frater Oddo Divina providentia Pisanus Archiepiscopus, „ & totius Sardiniae Primas, & in ea Apostolicae Sedis Legatus. „ Cum de jure, & antiqua consuetudine spectet ad ipsum dominum „ Archiepiscopum Pisanum in terra de Filectore Pisanae Dioecesis ju- „ risdictio temporalis, & merum, & mixtum Imperium dignoscatur „ in solidum pertinere, constituit, & proposuit in dicta terra hinc ad „ unum annum proxime venturum Potestatem, Dominum, & Recto- „ rem nobilem militem dominum Bettum filium domini Chani de Lan- „ franchis Civem Pisanum ibidem praesentem, & recipientem, comit- „ tens eidem circa jurisdictionem temporalem in dicta terra de File- „ ctore, & confinibus ejusdem merum, & mixtum Imperium, & ple- „ narie vices, removendo, & cassando a dicto officio Potestariae Colum „ Falconem Civem Pisanum nepotem ipsius domini Archiepiscopi ibi „ praesentis, consentientis, & volentis, eo quod dictus Colus cum di- „ cto domino Archiepiscopo ad curiam Romanam dirigit gressus suo- „ rum. Actum in Liburna ante Ecclesiam Sanctae Mariae de Libur- „ na praesentibus Doffo Scaccialupi de Nubila, Nino Bovictae de di- „ cto loco, domino Oppizone quondam domini Andreae de Gualandis, „ & Oddone de Sala de Pisis, testibus ad haec vocatis sub anno Do- „ minicae Incarnationis MCCCXVIII. Indict. 1. die ultima mensis „ Decembris „.

(2) Exstant in Archivo citato *T. V. num.* 1316.

dem Joanne Summo Pontifice, quibus ille tum ipsum, tum Episcopos ejus *Suffraganeos*, & alias personas exemptas in Provincia Pisana constitutas hortabatur ad decimam *de omnibus proventibus* solvendam *in relevationem onerum* Ecclesiae Romanae *usque ad triennium a calendis Maii proximo praeteritis numerandum* (1).

Ob maximum dissidium, quod anno 1319. exeunte, vel ineunte sequenti ortum est inter Oddonem nostrum, & Rempublicam Pisanam, ex hac Urbe ille discedere coactus est. Cum Oddo Archiepiscopi nepos tanquam incendiarius accusatus esset, Proceres Pisani in ipsum inquirebant. Obstitit quantum potuit inquisitioni Archiepiscopus, sed nihil se proficere sentiens, Civitatem, & Dioecesim Ecclesiastico interdicto punivit, statimque Pisis discessit, curiamque suam Florentiam transtulit, ut ex litteris (2) Bartholomaei Plebani Liburnensis, Oddonis Vicarii generalis scriptis anno 1320. die 9. mensis Maii ad Canonicos Pisanos sit manifestum.

Od-

(1) *T. indic. num.* 1335.

(2) In Libro Archivii secreti inscripto: *Acta Civilia Curiae Archiep. Pis. facta in Civitate Florentiae anno* 1320. *ad* 1322. *fol.* 2.; ac sunt hujusmodi „ Bartholomaeus Plebanus Plebis de Liburna Pisanae Dioecesis, „ ac Reverendi patris, & domini Fratris Oddonis Divina providentia „ Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopi Vicarius in spiritualibus ge- „ neralis, venerabilibus viris dominis Jacobo Archipresbytero, Philip- „ po Gallo, & Meo de Podio-Bonizi Canonicis Sanctae majoris Pisa- „ nae Ecclesiae spiritum consilii sanioris. Cum ad compescendum pro- „ terviam ipsorum, qui Dioecesanos suos damnabiliter persequuntur „ bonae memoriae domini Clementis Papae V. Constitutio edita in „ Concilio Viennensi Episcopis, qui propter eorum metum non audent „ in suis Civitatibus, vel Dioecesibus, aut earum parte aliqua resi- „ dere, nec jurisdictionem ad se spectantem per se, vel alium inibi „ exercere, expresse indulgeat, ut in Dioecesibus alienis videlicet, vel „ locis insignibus, suis Ecclesiis vicinioribus, in quibus poterunt secure „ morari, & jurisdictionem inter suos subditos libere exercere, ne ob „ defectum justitiae dispendium aliquod patiantur, possint jurisdictio- „ nem omnimodam exercere; ita tamen, quod subditi, qui expulso- „ res, vel fautores, vel consiliarii eorumdem non fuerint ultra duas „ dietas a fine suae Dioecesis non trahantur. Et antedictus Reveren-

„ dus

Oddonem etiam post Pisas relictas Florentiam profectum esse, ibique commoratum scribit Ughellius; verum Antistitem nostrum diu mansisse in castro Monte-vaso, quod non secus atque castella Pomaria, Ripabella, Melis, Belora, Sancta Luce, Lorenzana, & Nubila sub Archiepiscoporum Pisanorum imperio iis tempori-

,, dus Pater dominus Archiepiscopus in dicta Civitate, vel Dioecesi Pi-
,, sana, vel aliqua ejus parte per se, vel per alium suam jurisdictio-
,, nem se exercere non posse asserat, & affirmet; ac propterea nobis
,, Bartholomaeo Vicario supradicto idem dominus Archiepiscopus com-
,, missionem, & concessionem fecerit, quod suam jurisdictionem posse-
,, mus, & nobis liceat libere tenere, & publice in Lucanis, vel Vul-
,, terranis, aut Florentinis, vel Pistoriensibus, seu Massanis locis, &
,, Dioecesibus, dictae Pisanae Dioecesi convicinis, vel in aliquo loco
,, eorum, ubi nobis videbitur melius expedire, & ibi plenarie exer-
,, cere, quemadmodum in praefatis Civitate, vel Dioecesi Pisana pos-
,, semus, si ibidem residere valeremus, prout de praedictis omnibus
,, plenarie constat legitimo documento: nos volentes domini Archie-
,, piscopi praefati in hac parte mandatis saepius repetitis, ut tene-
,, mur, humiliter obedire, multis convenientiis, & comoditatibus sub-
,, ditorum dictae Dioecesis Pisanae consideratis, & in hac parte dili-
,, genter inspectis, locum in Civitate Florentiae, qui quidem de se-
,, curis nobis subditis ipsius magis ad hoc aptus, & propinquus exi-
,, stit, elegimus, & etiam ordinamus; & apud Palatium Episcopatus
,, Florentini residere, & jurisdictionem ejusdem domini Archiepiscopi
,, inter suos subditos juxta formam Constitutionis, & Commissionis
,, praedictarum exercere intendimus domino concedente, venerabilis
,, patris domini Antonii Dei gratia Episcopi Florentini super hoc pe-
,, tita licentia, & obtempta. Per hanc autem Civitatem, & loci ele-
,, ctionem, seu ordinationem nobis in nullo praejudicare intendimus,
,, quin quantumcumque, & quotiescumqne expedire videbimus tam de
,, alio loco in eadem Civitate, vel Dioecesi, seu in aliquo loco prae-
,, dictorum ad residendum, & jurisdictionem hujusmodi exercendam
,, eligere, & ordinare valeamus, prout ex forma Constitutionis, &
,, Commissionis ipsarum nobis conceditur manifeste. Quare vobis om-
,, nia, & singula suprascripta notificamus, insinuamus, & ad notitiam
,, vestram deducimus, ac tenore praesentium vos nihilominus, & ve-
,, strum singulos monemus pro primo, secundo, & tertio perhentorio
,, sub excommunicationis poena vobis, & vestrum singulis iniungen-
,, tes, quam excommunicationis sententiam ex nunc in vos, & vestrum
,, quemlibet in his scriptis fecimus, si praedictis nostris monitis, &
,, mandatis non parueritis efficaciter cum effectu, quatenus apud di-
,, ctam Ecclesiam majorem Pisano Clero Civitatis, & Dioecesis, ac e-
,, jusdem Civitatis populo praesentes nostras litteras, & processum clare,

,, di-

poribus erat (1), compertum est ex antiquis monumentis (2). Non eo tamen inficias aliquandiu Florentiae item versatum esse; ea enim in Urbe, si vera narrat Ughellius (3) memoratus, anno 1322. mense Decembris consecravit in Episcopum Adjacensem in Corsica Fratrem

„ distincte, & aperte omni fraude, & dolo cessantibus per vestrum aliquem, vel alium infra sex dies post praesentationem praesentium numerandos in notitiam deducatis. Quidquid autem de praedictis feceritis per instrumentum publicum, seu per vestras patentes litteras harum seriem continentes infra tres dies post praedictos sex immediate sequentes nobis significare curetis, vel vos ipsi, si placet, veniatis praesentialiter relaturi. Has autem litteras sigillo curiae Archiepiscopalis Pisanae munitas, quas ad cautelam fecimus registrari vobis per Presbyterum Andream de Carmignano latorem ipsarum nuntium nostrum jure, & ad hoc principaliter constitutum duximus transmittendas, de quarum praesentatione, quam vobis, vel alicui ex vobis, aut apud majorem Pisanam Ecclesiam, si vobis commode praesentare non poterit, faciet nuntius memoratus, relationi ipsius stabimus, & credemus. Dat. Florentiae Dominicae Incarnationis anno MCCCXX. Indic. tertia, secundum cursum Florentinorum die nona mensis Maii „.

(1) *Protocollo cit. fol.* 131. haec habentur „ Reverendus in Christo pater, & dominus Frater Oddo Dei gratia Pisanus Archiepiscopus per hoc publicum instrumentum cum de jure, & antiqua consuetudine ad ipsum dominum Archiepiscopum, & Archiepiscopatum Pisanum in terris de Monte-vaso, Pomaria, Ripabella, Melis, Belora, Sancta Luce, Lorenzana, & Nubila jurisdictio temporalis, & merum, & mixtum imperium dignoscatur in solidum pertinere, fecit, constituit, & proposuit in dictis terris, & qualibet earum suum, & dicti Archiepiscopatus Vicarium generalem usque ad sui domini Archiepiscopi beneplacitum, & voluntatem discretum virum Oddonem Pucci de Sala Civem Pisanum ibidem praesentem, & recipientem, committens eidem in jurisdictione temporali, & circa ipsam jurisdictionem in dictis terris, & confinibus earum merum, & mixtum imperium, & plenarie vices suas, non revocando praeterea baliam datam, & concessam Colo Pucci de Ripafracta Vicecomite suo in dictis terris, sed potius confirmando. Actum in Arce de Monte Vaso praesentibus Fratre Stephano de Urbeveteri Ordinis Praedicatorum, & Fratre Francisco de Trebio Ordinis Praedicatorum, & Oddorello Juffredino de Pisis testibus ad haec vocatis sub anno Dominicae Incarnationis MCCCXXII. Indic. V. die penultima Decembris „.

(2) Ex monumentis *Protocollo indic. fol.* 178. *ac seq.*, & ex duabus chartis *T. V. num.* 1329. 1332. liquet in arce Montis-vasi fuisse saltem a die 2. Octobris anni 1320. usque ad diem 16. Martii anni 1322.

(3) *T. III. in Oddone, & in Episcopis Adjacensibus num.* 17. *col.* 494.

trem Vitalem Grachium patria Pisanum Eremitanae Sancti Augustini familiae sodalem, ac per litteras duodecima mensis Novembris die scriptas monuit Gerardum Orlandium Pisanum, Praesulem Aleriensem, ut Vitalis consecrationi interesse vellet.

Dissensiones, quas diximus ortas Oddonem inter, & Rempublicam Pisanam, magis auctae sunt anno 1322. vel sequenti, quo Oddo ipse certo sciens, Pisanos nihili facientes Censuram in seipsos latam Divina celebrasse officia, in Rectores Ecclesiasticos, & Civiles Urbis, & Dioecesis Pisanae judicium Ecclesiasticum exercuit. Jacobus Petri *de Campilia* Syndicus Communis Pisani ostendit, Archiepiscopum id faciendi nullam omnino jurisdictionem habuisse (1). Caussae exitus ignoratur; notum tamen est populum Pisanum ira in Oddonem percitum destruxisse domum familiae *de Sala*, positam *in platea ad Sacellum Sancti Petri ad curtem*, ubi habitabat Jacobus Oddonis nostri germanus frater, quem Troncius minus vere ait, fuisse Praesulem Florentinum. Quo tempore procul a patria fuit, Ecclesiae suae reditus Pisana Respublica sequestro deposuisse videtur. Etenim Angelinus de Tuderto Notarius in Testamento (2) Oddonis inter res ad hunc spectantes refert: *fructus redditus Ecclesiae Pisanae tunc sui Archiepiscopatus ab anno* 1321. & 22. *usque ad diem translationis suae ad Ecclesiam Alexandrinam*.

Populi Pisani regimen dimisit, & Patriarcha Alexandrinus, nec non Ecclesiae Casinensis Administrator creatus est Oddo, non quidem anno 1322. die mensis Maii 22., ut ajunt Fontana (3), & Bremon-

(1) *Processus* MS., ex quo haec omnia constant, Ughellio teste, olim erat in Tabulario Florentino *Praestanzonum*, sed nunc est in Tabulario Montis communis, ubi a me lectus est.

(2) Apud Troncium *ibidem*.

(3) *Theatro Dominicano part.* 1. *tit.* 75. *pag.* 94.

poribus erat (1), compertum est ex antiquis monumentis (2). Non eo tamen inficias aliquandiu Florentiae item versatum esse; ea enim in Urbe, si vera narrat Ughellius (3) memoratus, anno 1322. mense Decembris consecravit in Episcopum Adjacensem in Corsica Fratrem

„ distincte, & aperte omni fraude, & dolo cessantibus per vestrum aliquem, vel alium infra sex dies post praesentationem praesentium numerandos in notitiam deducatis. Quidquid autem de praedictis feceritis per instrumentum publicum, seu per vestras patentes litteras harum seriem continentes infra tres dies post praedictos sex immediate sequentes nobis significare curetis, vel vos ipsi, si placet, veniatis praesentialiter relaturi. Has autem litteras sigillo curiae Archiepiscopalis Pisanae munitas, quas ad cautelam fecimus registrari vobis per Presbyterum Andream de Carmignano latorem ipsarum nuntium nostrum jure, & ad hoc principaliter constitutum duximus transmittendas, de quarum praesentatione, quam vobis, vel alicui ex vobis, aut apud majorem Pisanam Ecclesiam, si vobis commode praesentare non poterit, faciet nuntius memoratus, relationi ipsius stabimus, & credemus. Dat. Florentiae Dominicae Incarnationis anno MCCCXX. Indic. tertia, secundum cursum Florentinorum die nona mensis Maii „.

(1) *Protocollo cit. fol.* 131. haec habentur „ Reverendus in Christo pater, & dominus Frater Oddo Dei gratia Pisanus Archiepiscopus per hoc publicum instrumentum cum de jure, & antiqua consuetudine ad ipsum dominum Archiepiscopum, & Archiepiscopatum Pisanum in terris de Monte-vaso, Pomaria, Ripabella, Melis, Belora, Sancta Luce, Lorenzana, & Nubila jurisdictio temporalis, & merum, & mixtum imperium dignoscatur in solidum pertinere, fecit, constituit, & proposuit in dictis terris, & qualibet earum suum, & dicti Archiepiscopatus Vicarium generalem usque ad sui domini Archiepiscopi beneplacitum, & voluntatem discretum virum Oddonem Pucci de Sala Civem Pisanum ibidem praesentem, & recipientem, committens eidem in jurisdictione temporali, & circa ipsam jurisdictionem in dictis terris, & confinibus earum merum, & mixtum imperium, & plenarie vices suas, non revocando praeterea baliam datam, & concessam Colo Pucci de Ripafracta Vicecomite suo in dictis terris, sed potius confirmando. Actum in Arce de Monte Vaso praesentibus Fratre Stephano de Urbeveteri Ordinis Praedicatorum, & Fratre Francisco de Trebio Ordinis Praedicatorum, & Oddorello Juffredino de Pisis testibus ad haec vocatis sub anno Dominicae Incarnationis MCCCXXII. Indic. V. die penultima Decembris „.

(2) Ex monumentis *Protocollo indic. fol.* 178. *ac seq.*, & ex duabus chartis *T. V. num.* 1329. 1332. liquet in arce Montis-vasi fuisse saltem a die 2. Octobris anni 1320. usque ad diem 16. Martii anni 1322.

(3) *T. III. in Oddone, & in Episcopis Adjacensibus num.* 17. *col.* 494.

trem Vitalem Grachium patria Pisanum Eremitanae Sancti Augustini familiae sodalem, ac per litteras duodecima mensis Novembris die scriptas monuit Gerardum Orlandium Pisanum, Praesulem Aleriensem, ut Vitalis consecrationi interesse vellet.

Dissensiones, quas diximus ortas Oddonem inter, & Rempublicam Pisanam, magis auctae sunt anno 1322. vel sequenti, quo Oddo ipse certo sciens, Pisanos nihili facientes Censuram in seipsos latam Divina celebrasse officia, in Rectores Ecclesiasticos, & Civiles Urbis, & Dioecesis Pisanae judicium Ecclesiasticum exercuit. Jacobus Petri *de Campilia* Syndicus Communis Pisani ostendit, Archiepiscopum id faciendi nullam omnino jurisdictionem habuisse (1). Caussae exitus ignoratur; notum tamen est populum Pisanum ira in Oddonem percitum destruxisse domum familiae *de Sala*, positam *in platea ad Sacellum Sancti Petri ad curtem*, ubi habitabat Jacobus Oddonis nostri germanus frater, quem Troncius minus vere ait, fuisse Praesulem Florentinum. Quo tempore procul a patria fuit, Ecclesiae suae reditus Pisana Respublica sequestro deposuisse videtur. Etenim Angelinus de Tuderto Notarius in Testamento (2) Oddonis inter res ad hunc spectantes refert: *fructus redditus Ecclesiae Pisanae tunc sui Archiepiscopatus ab anno 1321. & 22. usque ad diem translationis suae ad Ecclesiam Alexandrinam.*

Populi Pisani regimen dimisit, & Patriarcha Alexandrinus, nec non Ecclesiae Casinensis Administrator creatus est Oddo, non quidem anno 1322. die mensis Maii 22., ut ajunt Fontana (3), & Bremon-

(1) *Processus* MS., ex quo haec omnia constant, Ughellio teste, olim erat in Tabulario Florentino *Praestanzonum*, sed nunc est in Tabulario Montis communis, ubi a me lectus est.

(2) Apud Troncium *ibidem*.

(3) *Theatro Dominicano part.* 1. *tit.* 75. *pag.* 94.

dius (1), sed anno sequenti post 26. mensis Junii diem (2). Discessit proinde ex Etruria, & Avenionem petiit, ibique erat anno citato 1323. die 22. Septembris, quemadmodum liquet ex instrumento, quod dicitur *actum Avenione in domo habitationis dicti domini Patriarchae* (3). Vehementer ergo falluntur Ughellius, Lequienius, & alii (4), qui asserunt, Oddonem anno nuper laudato, die 3. Julii obiisse. Eruditissimus Gattula (5) monumentum exhibet, ex quo erudimur, anno 1325. decima mensis Maii die, ipsum Oddonem in vivis adhuc fuisse: alterum recitat Paullus Troncius (6), ex quo liquet, eodem anno tertia die mensis Julii mansisse Neapoli *in loco, sive domibus Monasterii Sancti Petri de Magella*; cumque esset *infirmus corpore, sanus tamen mente, & intellectu* Testamentum fecisse *in praesentia Reverendi in Christo patris domini Francisci Gentilis Dei gratia Episcopi Ephesini, Fratris Guidonis de Perusia, Fratris Francisci de Urbeveteri Ordinis Praedicatorum, Cappellanorum, & familiarium domini Patriarchae testium*.

Quandoquidem non solum Ughellius, sed in Libro etiam emortuali, quem ex codice Bibliothecae Casinensis vulgavit memoratus Gattula (7), legitur, Oddonem die 3. Julii e vita migrasse, verisimillimum puto, eadem die, & anno, quo, ut paullo ante narravi, Testamentum fecit, vitam cum morte commutasse; quod cum sit, apertum est ejus obitum accidisse Neapoli,

non

(1) *Tom. II. Bullarii Ordinis Praedicatorum pag.* 205.
(2) *Protocollo cit. fol.* 121. Oddo dicitur Archiepiscopus Pisanus eo anno, & die.
(3) *Tom. V. num.* 1339.
(4) Lequienius *loc. cit.*, Fontana *ibidem*; Abrahamius *cap.* 12. *pag.* 356., & Cardosius *de Beatis, ac Sanctis Pisanis pag.* 453. *juxta MS. Magronianum*.
(5) *Part.* 2. *Historiae Abbatiae Casinensis saeculo* 9. *pag.* 505.
(6) *Loco citato*.
(7) *Parte indic. pag.* 856.

non vero in Monasterio Casinensi, ut scribunt post Ughellium Lequienius, Fontana, & Abrahamius; multoque minus Pisis, ut placet Petro Cardosio, qui Oddonem nostrum inter Beatos recenset (1).

XLIII. SIMON SALTARELLUS.

Florentiae patre Guidone divitiis, & genere claro natus est anno 1261. Cum vigesimum annum ageret, nec alium germanum fratrem (2) haberet, genitori morem gerens, nobili cuidam puellae nupsit, sed vix hac sibi matrimonio conjuncta divino lumine collustratus, uxore, parentibus, opibus, caeterisque mundi illecebris invicto animo relictis ad Patres Dominicanos confugit, & a Pagano Adimario *Priore* Monasterii *Sanctae Mariae Novellae* sacrum eorum habitum obtinuit anno 1281., nomenque Simonis ascivit sibi (3).

Deo religiosam in servitutem consecratus, totum se dedit litterarum studiis, ac pietatis officiis, in quibus ita excelluit, ut primo laudati Monasterii *Prior*, deinde totius Romanae Provinciae Provincialis, ac universi Ordinis in Curia Summi Pontificis Procurator (4) factus fuerit; quocirca Avenionem concessit, ubi manebat Clemens hujus nominis V., qui teste Joanne Caroli *in maximis rebus* usus est Simone nostro, *qua ex re egregiam*

(1) *Ibidem*.

(2) Ita Auctores mox laudandi, sed in veteribus tabulis, quae sunt in Archivo secreto *Protocollo num.* 1. *litt. A. fol.* 51. 105. Andreas, Thomas, & Michael quondam Bini de Saltarellis dicuntur Simonis nostri nepotes; & Ammiratus *Istorie Fiorentine T. I. lib. 6. ad. ann.* 1326. *pag.* 331. meminit Lapi Saltarelli, quem dicit fratrem Archiepiscopi Pisani. Vide etiam Inscriptionem in fine hujus articuli exhibendam.

(3) Confer Joannem Caroli *in vita Simonis* apud Leandrum Albertum *de viris illustribus Ordin. Praedicatorum lib.* 3. *fol.* 87. *seq.*, & Modestum Biliottum *in Chronico Monasterii S. Mariae Novellae* apud Ughellium *T. III. in Simone*.

(4) Fontana *loco cit.*

laudem, *& multorum Principum gratiam* Simon ipse *est consequutus* (1).

Joannes XXII. Clementis successor, qui Simonis prudentiam, integritatem, scientiam, & religionem probe noverat, in Episcopum Parmensem anno 1317., ac post sexennium mense Julio ineunte (2) in Pontificem Pisanum eum eligit, quod Cives Pisani summa animi exultatione senserunt, etsi per ea quoque tempora aegre ferrent Florentinos (3). Pridie nonas Julii Avenione Pallium accepit (4) a tribus sanctae Romanae Ecclesiae Diaconis Cardinalibus; die vero 21. mensis Septembris per Magistrum Baldum Forolivienfem Procuratorem suum hortatus est Oddonem *de Sala*, antea Archiepiscopum Pisanum, tunc Patriarcham Alexandrinum, ad restituenda *omnia*, *& singula bona mobilia*, *& immobilia*, *instrumenta*, *& scripturas*, *& paramenta Ecclesiastica*, quae idem ipse Oddo Pisis discedens secum Florentiam tulerat, quaeque ad Ecclesiam Pisanam spectabant (5).

In eadem Urbe Avenione diù commoratum esse Simonem censeo; etenim cum *Barthalus* Prior Monasterii Sancti Donnini, die 27. mensis Decembris anni 1324. petiisset a Thaddeo Costola Juris Doctore Archipresbytero S. Mariae *de Cornilio* Dioecesis Parmensis, & a Thoma Saltarello Canonico Florentino Archiepiscopi no-

(1) *Ibidem*.

(2) Die enim 26. Junii haec Ecclesia ab Oddone regebatur, ut superius dictum est; hinc patet, errare P. Fontanam *loco cit.* scribentem, Simonem factum fuisse Archiepiscopum Pisanum 8. idus Junii.

(3) Joannes Caroli *fol.* 90. „ ab eodem Pontifice (*Joanne*) ad Pisanam Metropolim ex Parmensi Cathedra gloriosissime est translatus (*Simon*) „ & a populo Pisano ingenti omnium gratulatione, frequentiaque susceptus. Id vero eo mirabilius fuisse operae pretium est, quo inter Pisanum, Florentinumque populum pervetusta, ac pene perpetua odia extitisse perspicuum. Id quoque peramplius suppositionem „ augere poterat, quod civiles in ea factiones ad id potissimum venerant, ut non jam civili, sed tyrannorum more Civitas regeretur „.

(4) Vide litteras Pontificias *in Append. monument.*

(5) Tabulae in Archivo *T. V. num.* 1339.

nostri Vicariis, ut Coemeterium ab se recenter constructum sacrum fieret, responderunt hi, Simonem Pisis abesse, ideo facultatem dederunt cuilibet Episcopo, ut praefatum Coemeterium Sacrum facere posset; quod Robertus *de Stateriis* Pisanus Ordinis Fratrum Minorum, Pontifex Terralbensis in Sardinia praestitit anno 1325. sexto calendas Februarias (1). Pisis tamen erat hoc ipso anno 4. calendas Martias, ut liquet ex ejus litteris ad Bonaventuram *Plebanum* Calcinariae, & ad Ghinum Rectorem Ecclesiarum *de Blentina*, atque *de Curte* (2). Anno veniente 1326. mense Septembri *praesentialiter in remotis partibus* agebat Archiepiscopus, ac proinde Thomas ejus Vicarius potestatem Sacras Ordinationes Pisis habendi concessit Antistiti Sagonensi (3); sed ubi terrarum ille tunc esset prorsus ignoro.

Ad populum sibi commissum reversum jam fuisse anno 1327., & Dioecesim suam visitasse erudimur ex litteris Joannis XXII. secundo idus Maii ad illum scriptis, quibus Summus Pontifex eidem praecepit, ut examinaret, an revera utile esset *Hospitali* novo Pisano S. Clarae vendere quasdam domus, quemadmodum Joanni repraesentaverat Magister, & Fratres ipsius *Hospitalis* (4).

Archie-

(1) Tabulae *in Append. monument.*

(2) Exstant litterae in libro MS. cui titulus: *Extraordinarius num.* 17. *litt.* R. His Archiepiscopus primo mandat Ghino Rectori, ut debitum onorem, reverentiam, & subiectionem exhibeat *Plebano* Calcinariae; deinde ita subiungit: concedimus *tamen de gratia tibi Rectori praedicto ratione Arni fluentis inter ipsam Plebem, & Ecclesias tuas, earumque Parochianos, & ita profunde communiter inundantis de mensibus Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii, & Aprilis, quod periculosus, & difficilis ipsis Parochianis tuis sit ipsius fluminis transitus ratione sacri Baptismatis percipiendi in dicta Plebe, ut dictis temporibus, & mensibus gratiose valeas in Ecclesia tua praedicta juxta ritum, & morem Romanae Ecclesiae ipsum Sacramentum Baptismi tuorum Parochianorum filiis concedere salubriter, & conferre.* Monumentum hoc luculenter ostendit, flumen Arnum inter Calcinariam, & Blentinam olim interfluxisse.

(3) *Ex Protocollo in Archivo secreto litt. A. fol.* 62.

(4) Litterae *in Appendice monument.*

Archiepiscopo nostro Ecclesiam Pisanam gubernante gravissimae perturbationes in hac Urbe ortae sunt. Anno 1327. die mensis Octobris undecima (1), Ludovico Bavariae Duce, Ecclesiae, & Friderici ex potentissima, religiosissimaque Austriae domo Romanorum Regis, acerrimo hoste Pisas primo adveniente tota Civitas, mandante Joanne XXII. interdicto Ecclesiastico subjecta evasit, quod cum viri Ecclesiae muneribus addicti observare vellent, eisdem vehementissime minitatus est Conradus *de Scala* Vicarius domini Alberti Numuli *de Lictimburg* Mariscalchi Ludovici, idcirco Divina Officia illi celebrarunt, facta prius declaratione (2), se ad interdictum violandum inductos fuisse propter metum, *qui potest cadere in constantem virum, usque mortis, scilicet capitis mutilationis, suspendii, occisionis, vel in fluvium demersionis, ita quod morerentur.*

Archiepiscopus ne adhaerere cogeretur Ecclesiae inimicis *die, & hora, qua ille Bavarus praefatus Pisanam Civitatem intravit per unam portam, exiit de ipsa Civitate per aliam portam cum sua familia non sine periculo personali suo, & suorum* (3); petiitque Senas, ac ibi erat die 21. mensis Octobris (4); inde concessisse Massam Veternensem, in eaque Urbe fuisse initio mensis Decembris manifestum est ex veteri instrumento, quod dicitur *actum Massae in Cassaro Episcopatus, ubi nunc suprascriptus dominus Archiepiscopus moratur, praesentibus Religiosis viris Fratribus Laurentio de Viterbio, & Hilario de Mutina Ordinis Praedicatorum . . . . . . die 5. men-*

(1) Diarium MS. in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *num.* 17. „ 1327. „ a dì 11. Ottobre il detto Bavero entrò in Pisa con la sua Donna, „ e con tutta sua gente, e poco di poi prese la Signorìa di Pisa „.

(2) Est apud Troncium *pag.* 321.

(3) Litterae Simonis *in Append. monument.*

(4) *Protocollum cit. fol.* 101.

mensis Decembris secundum cursum Massanum (1). Anno 1328. die septima Januarii Massae adhuc commorabatur (2); sed paullo post discessit, dieque 20. ejusdem mensis Florentiae manebat (3). Quamdiu in patria fuerit mihi non constat. Illud compertum habeo anno 1329. die ultima mensis Januarii fuisse Avenione (4), ubi commoratus est usque ad reditum suum Pisas, de quo disseram postea.

Simone Pisis profecto plures Imperatoris nomine tum hortationibus, tum minis curarunt, ut ille ad gregem suum reverteretur; quod ipse facere recusans *toto Archiepiscopatu, & omnibus ejus bonis* jussu ejusdem Imperatoris privatus est (5); Ecclesiaeque Pisanae administratio commissa est anno 1327. die 24. mensis Decembris Gerardo Orlandio Antistiti Aleriensi. Hunc non modo Administratorem, & Vicarium, sed Archiepiscopum etiam creatum fuisse asserunt Historici Pisani (6); quod item colligitur ex instrumento acto anno communi 1328. die 25. mensis Octobris (7), cujus est initium „ noverint universi hoc praesens publicum „ instrumentum inspecturi, quod filius Vannossi quon„ dam .... Manfredi de Ripafratta Pisanus auctori„ tate, & praesentia Reverendi in Christo patris, & „ domini „ domini fratris Gerardi Dei gratia Pisani Archie-

(1) Exstat *in eodem Protocollo fol.* 102.
(2) Vide *litteras Simonis modo laudatas*.
(3) *Idem Protocollum fol.* 104.
(4) *Protocollum indic. fol.* 105.
(5) *Litterae citatae*.
(6) Auctor Anonymus Historiarum Pisanarum, quas mancas servat Bibliotheca Magliabechiana *Classe MSS.* 25. *Cod.* 366. *fol.* 13. haec ait ad annum communem 1327. *nel dito anno co pessimi tempi tolto lo Arcivescovado alo Arcivescovo Simone, datolo a Messer Fratre Gerardo deli Orlandi di Pisa Vescovo di Lera*. Idem asserunt duo alii Anonymi, quorum Chronica Pisana MSS. sunt in eadem Bibliotheca *Classe cit. Codd.* 29. 32., Anonymus Pisanus apud Balutium *T. I. Miscellaneorum pag.* 455. *edit. Lucensis*, Marangonius *Croniche di Pisa col.* 672. ac Troncius *pag.* 326.
(7) Exstat *Protocollo num.* 8.

„ chiepiſcopi fecit &c. „ Verum Hiſtoricos Piſanos, & Notarium, qui inſtrumentum illud perſcripſit, in errore verſari demonſtrant tabulae, quibus Gerardus Adminiſtrator, & Vicarius factus eſt: *Cambrianus de Valco Nequiſii condam Vantis Syndicus, & Procurator ad haec, & alia conſtitutus venerabilis in Chriſto Patris, & domini, domini Fratris Gerardi Dei gratia Alerienſis Epiſcopi, ac Piſani Archiepiſcopatus Adminiſtratoris, & Vicarii generalis conſtituti ab Imperiali Majeſtate, ut conſtat per chartam rogatam a Cato Notario condam Cati Liſciati de Septimo, & firmatam de Actis Cati a me Joanne Notario infraſcripto, Dominicae Incarnationis milleſimo trecenteſimo vigeſimo octavo* (more Piſano) *Indictione undecima nono calendas Januarii* (1): demonſtrant litterae Nicolai Pſeudopapae ſcriptae Viterbii anno 1328. die 14. Novembris ad Gerardum, quae ſic incipiunt: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri ..... Epiſcopo Alerienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem* (2); & litterae (3) ejuſdem Gerardi, in quibus ipſe anno 1329. ſeptima menſis Januarii die ſemet appellat Epiſcopum duntaxat Alerienſem; aliaque monumenta (4).

Ludovico Piſis manente ad hanc Urbem acceſſit anno modo citato initio menſis Januarii Petrus Raynalduccius Corbarii, quod eſt vicus in Aprutio (5) natus, Pſeudo-Pontifex nomine Nicolai V., qui teſte Villanio (6) Scriptore coaevo *entrò in Piſa a modo di Papa*

co'

(1) *T. VI. apographorum num.* 1428.
(2) *Protocollo num.* 8.
(3) *Protocollo cit.*
(4) *Eodem Protocollo cit.* In Tabulario etiam Monaſterii Sanctae Annae exſtat charta *num.* 134. ſcripta anno 1328. in qua fit mentio de *Reverendo in Chriſto patre, & domino, domino Gerardo Dei gratia Alerienſi Epiſcopo Yconomo, & Adminiſtratore Archiepiſcopatus Piſani.*
(5) A Cornelio Zantfliet *in Cronico* apud Martene *T. V. veter. SS. & monument. col.* 198. perperam dicitur *Aretinus natione.*
(6) *Iſtorie Fiorent. lib.* 10. *cap.* 114. *col.* 673. *T. XIII. S. R. Ital.*

co' suoi sette Cardinali fatti per lui, il quale per lo detto Bavero, & sua gente, e da Pisani fu ricevuto con gran festa, & honore andandogli incontro il Chericato, & Religiosi di Pisa, & Laici col detto Bavero con grande Processione a pie, e a Cavallo. Ex Bernardo Guidonis (1) erudimur, quod Corbarius *Curiam suam tenuit in Palatio Archiepiscopali.*

Inter multa nefaria scelera, quae ille Pisis commisit, Simonem Pontificia dignitate spoliavit, & in ejus locum suffecit Joannem Lanfranchium, de quo fit mentio in tabulis scriptis anno 1329. tertio calendas Apriles(2). Quandoquidem in iisdem tabulis Joannes laudatus non semel dicitur Archiepiscopus electus, existimo, hunc nunquam a Petro Pseudo-Pontifice consecratum, seu potius magis prophanatum fuisse. Etenim mense Aprili Ludovico, cujus favore Petrus Summi Pontificatus umbram obtinuerat, Pisis profecto, & paullo post Civibus Pisanis non modo ab ejusdem Ludovici partibus stare recusantibus, sed etiam Tarlatino patria Aretino, quem Ludovicus ipse Vicarium suum, & Pseudo-Papae patronum Pisis reliquerat, ex Urbe expellentibus (3); non dubito, quin Petrus optime videns, res suas prope exitium esse, schismatis, quod in Ecclesia Christi fecerat, sese poenitere coeperit, nec amplius de Joanne Lanfranchio in Pseudo-Archiepiscopum antea electo cogitaverit.

Simone, quem superius diximus Pisis discessisse, ut a Bavari, & Pseudo-Papae vi se subtraheret, ad Ecclesiam suam reversum esse anno 1334. affirmat P. Fonta-

(1) *In vita Joannis XXII. T. III. par. 2. S. R. Ital. col.* 492.
(2) *T. cit. apograph. num.* 1447.
(3) Confer Villanium *lib. cit. cap.* 133. *col.* 684., Auctores Chronici, & Fragmenti Historiae Pisanae *T. XV. col.* 1000., & *T. XXV. col.* 697. *S. R. Ital.*

na (1) : Verum certa monumenta (2) ostendunt, Pisas rediisse exeunte anno 1329., vel ineunte sequenti. Hoc ipso anno sub mensis Julii finem jussu Summi Pontificis ab interdicto Ecclesiastico liberavit Cives Pisanos (3), & a Censuris absolvit una cum Episcopo Lucensi, & Raymundo Stephani Camerae Pontificiae Clerico Apostolicae Sedis Legato Petrum Corbarium (4), qui non seductus, neque coactus a Bonifacio Comite Donoratici, aliisve Civibus Pisanis, ut falso ajunt Villanius, & Oldoinus (5), sed hortationibus P. Henrici Signoreti Pisani de Ordine Fratrum Minorum, & Bonifacii paullo ante memorati permotus sponte sua (6) sese ad bonam frugem receperat, erroremque suum pubblice damnare se paratum esse scripserat ad Summum Pontificem (7). Ex-

(1) *Loc. cit.*
(2) Die 4. Decembris anno 1329. Simon Avenione manebat; idque ex eo colligitur, quod eo tempore ibi versabantur Laurentius Episcopus Civitatensis in Sardinia, & F. Hilarius Ordinis Praedicatorum illius domestici. Die vero 26. mensis Januarii sequentis Pisis erat. *Protocollum litt. A. fol.* 111.
(3) Vide Troncium *pag.* 333.
(4) Litterae Joannis sunt apud Cornelium Zantfliet *col.* 195., Oldoinum *T. II. Additionum &c. col.* 440., & Martene *T. II. Anecdotorum col.* 809.
(5) Villanius *lib. cit. cap.* 244. *col.* 690. *cap.* 162. *col.* 702., Oldoinus *ibid.*
(6) Consule Waddingum *T. VII. Annal. Minorum ad ann.* 1330. *n.* 1.
(7) Continuatores Chronici Guillelmi de Nangiis apud Lucam d' Acherium *T. III. Spicilegii pag.* 93. *edit.* 1723. narrant, quod Corbarius in Sermone, quem anno 1330. die 24. Augusti Avenione habuit, asseruit, *dominum Papam super hoc testem invocans, & dominus Papa super hoc testimonium perbibebat, quod per unum annum ante, & quatuor menses scripserat, se voluisse citius ad Ecclesiae obedientiam redire, sed malignorum Guibellinorum, & aliorum multorum detentus violentia, quod jam diu bonum propositum conceperat, pro voluntate sua citius non potuerat deducere ad effectum*. In litteris etiam a Waddingo *ibidem*, & Raynaldo *ad an.* 1330. *num.* 4. recitatis, quas Corbarius scripsit ad Joannem XXII. haec ait: *jam est annus completus, quod adversarium vestrum* (Ludovicum Bavarum) *dimisi sponte*. Vide etiam litteras Joannis ad Bohemiae Regem apud Martene citat. *T. laud. Thesauri novi Anecdotorum col.* 806. Quandoquidem citatae Corbarii litterae datae sunt *in confinibus Lucanorum*, Waddingus de Corbario loquens, *secreto accessit*, inquit, *ad*

Exstant in hujus Archiepiscopii Tabulario litterae Joannis XXII. anno 1330. quarto nonas Augusti scriptae, ex quibus liquet Simonem Administratorem fuisse celebris Monasterii Pomposiani: en illarum initium: *Joannes Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Simoni Archiepiscopo Pisano Administratori Monasterii Pomposiani Ordinis Sancti Benedicti Comaclensis Dioecesis in spiritualibus, & temporalibus per Sedem Apostolicam deputato salutem, & Apostolicam benedictionem* (1).

Anno 1331. die 15. Januarii Simon Florentiae manens una cum Episcopis Fesulano, Florentino, & Spoletino extraxit e sepulcro, in Templo S. Reparatae posito, corpus S. Zenobii Episcopi, illudque arca marmorea inclusum denuo eodem in loco collocavit (2). Hoc ipso anno die 22. mensis Februarii mandatum accepit Simon a Joanne XXII., ut Asceterio, quod Bonifacius antea memoratus pro Monialibus Sanctae Clarae aedificare decreverat eo in loco, ubi erat Coenobium Canonicorum Regularium Sancti Augustini, conjungeret *quandam domum, Hospitale vulgariter nuncupatam, sitam juxta Claustrum, seu Coemeterium Ecclesiae, seu Prioratus Sancti Martini de quarterio Chinsicae Pisanae, in qua de-*

K 2 *cem*

ad ejusdem Comitis (Bonifacii) *municipium in Marema in finibus Lucanorum*. Sed Corbarius, postquam a Bonifacio ex nobilissima Gherardesca domo in protectionem receptus est, ductus fuit Bulgarum, quod est locus inter amnem Cecinam, & promontorium Plumbini, ut asserit Bernardus Guidonis eorum temporum Auctor *loco citato*. „ Antipa„ pa secretius dedit seipsum in manibus Bonifacii Comitis Novelli de „ Donoratico Pisani, & ipse Bonifacius fecit eum de nocte duci cum „ quodam suo Anticardinali Fratre Paulo de Ordine Fratrum Mino„ rum ad unum Castrum suum in maritima, quod vocatur Castrum „ de Bargari (legendum *Bulgari*), quod distat a Civitate Pisana per „ triginta quinque milliaria „. In finibus vero Reipublicae Lucensis fuit Bulgaro reversus, quando memoratas litteras scripsit, quod mense Majo accidisse puto.

(1) *T. VI. apograph. num.* 1456.

(2) Vide Diarium MS. in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *num.* 17., & Villanium *lib.* 10. *cap.* 170. *col.* 706.

cem, vel duodecim lecti pro pauperibus hospitandis duntaxat teneri, & servari dicebantur (1). Sub his temporibus Moniales, quae in Coenobio Sanctae Crucis *de Fossa Banda* extra Pisas habitabant, saepe hostium incursionibus ita vexabantur, ut & eorum quies turbaretur, & aliquando terrore compulsae coactae fuerint in Urbem fugere, privatasque domus incolere. Itaque Simon a praefatis Monialibus rogatus anno superius laudato die mensis Augusti 6. ipsis concessit Sancti Silvestri Ecclesiam intra moenia Urbis sitam, *& liberam facultatem Monasterium suum praedictum transferendi, aedificandi, & construendi in domibus, horto, & spatio loci, & Ecclesiae memoratae* (2). Bononiae tunc agebat Archiepiscopus noster, indeque Florentiam reversus fecit, quantum existimo, quod ad annum 1331. narrat Scipio Ammiratus (3), nimirum una cum Episcopis Francisco Florentino, & Guilielmo Lucensi sedavit jubente Summo Pontifice diffidia orta inter Pisanos, & Florentinos ob dolos, qui in trasportandis mercibus committebantur.

Post biennium Simon, & Franciscus modo laudatus suasores, auctoresque fuerunt pacis initae a Pisanis cum Senensibus, qui *pro Massae marittimi oppidi dominatu* diù mutuò certaverant (4). Anno veniente Pisanus Antistes Florentiam rediit, ibique commorans *ad dedicationem marmoreae Turris, quae ad Sanctae Reparatae aedem cernitur, convocatus est, ut una cum Florentino* (Episcopo), *ceterisque Proceribus primos jacerent lapides in fundamento* (5). In Diario Magliabechiano (6) legitur id accidisse die mensis Julii 18., nullaque fit de Simo-

(1) Confer Waddingum. *T. IV. ante citato. pag.* 425. *edit. Rom.*
(2) Litterae *in Appendic. monument.*
(3) *Historie Fiorentine lib.* 8. *ad eum annum pag.* 378.
(4) Joannes Caroli *op. cit. fol.* 91.
(5) Joannes Caroli *ibidem*, & ex eo Ferdinandus Leopoldus del Migliore *Firenze Illustrata pag.* 55.
(6) *Ad annum* 1334.

Simone mentio „ a dì 18. di Luglio si cominciò a fon„ dare il Campanile di Santa Reparata, & alla prima „ pietra vi fu il Vescovo, e Priore, e tutta la Signo„ ria.

Vir eruditissimus, deque Italia imprimis optime meritus Ferdinandus Ughellius litteras Joannis XXII. publicavit ad Simonem, & Episcopos ejus Suffraganeos anno 1333. septimo calendas Augusti missas, quibus Summus Pontifex post descriptum miserrimum rerum Christianarum in Palaestina statum, eos hortatur ad pecuniam, aliaque auxilia suppeditanda, quae necessaria erant, ut regionem illam e Turcarum manibus nostri eripere possent, quod Joannes vehementer optabat. Ego vero in monumentorum Appendice vulgabo alias de eadem re litteras tum Joannis, tum ejus successoris Benedicti XII. qui anno 1335. instituit Archiepiscopum nostrum Commissarium Sedis Apostolicae, ut Episcopis Eugubino, Nuceriensi, Perusino, Assisiensi, Fulginati, Tudertino, Spoletano, & Interamnensi desiderium, & mandata sua patefaceret.

Litigabant de quibusdam Ecclesiis Parochialibus Jacobus Episcopus Sagonensis in Corsica, & Abbas Monasterii S. Bartholomaei *de Fossato* Congregationis Vallisumbrosae Dioecesis Genuensis, quorum caussam Archiepiscopus noster anno 1336. tertio nonas Decembris jussus est a Benedicto XII. examinare ac definire (1). Sub anno 1340. Episcopatum Massanum, cujus Antistes Pisanus iis temporibus Metropolitanus erat, visitavit, quem nemo ex suis decessoribus unus per seipsum visitaverat (2).

Populum sibi commissum summo amore prosequutus est.

(1) Litterae Benedicti *in Appendice monument.*
(2) Auctor Historiae Pisanae *fol.* 15. *ad ann.* 1340. Exstat MS. in Bibliotheca Magliabechiana *Class.* 25. *Cod.* 366.

est. Cum Florentini anno 1341. emissent a Mastino Parmensi Lucam, Pisani qui eam emere cupiebant comparato exercitu Urbem aggressi sunt antequam a Florentinis ipsis occuparetur (1). Pecuniae partem, quae ad bellum gerendum Reipublicae Pisanae necessaria erat, subministravit Archiepiscopus noster, & Clerus hujus exhortationibus permotus, *quod ubi Florentiae est auditum* (utor Joannis Caroli verbis) *summa in Praesulem coepit Civium indignatio esse, dicebantque tantum virum nunquam adversus patriam arma pene assumere debuisse. Caeterum nequaquam mirari se, inquiebant, si is Praesul, qui tot annos Pisanam hausisset aquam, eorum quoque tandem imbibisset mores & studia. Cognatis vero suis mordacibus imminebant verbis, & adeo excandescebant in eos, ut etiam dicerent Urbe sibi deturbandos videri, fecissentque profecto, nisi civiles discordiae, quae propter hoc Lucense negotium fuerant in Urbe, eis ne proscriberentur opitulationi, praesidioque fuissent* (2). At Simon his clamoribus, & querelis intrepidus respondit, se nullam patriae intulisse injuriam, quoniam antea Pisanis pacem suaserat, eamque Florentinis obtulerat maxima cum ipsorum Civitatis utilitate, quibus illam recusantibus, non potuit, quin auxilium ferret Reipublicae Pisanae, siquidem Episcopus subditorum suorum curam gerere debet, nec quidquam alienius est a Pastoris officio, quàm gregem suum negligere (3).

Et revera Pontifex noster non modo Pisanos nunquam neglexit, sed etiam tanta sollicitudine, atque clementia gubernavit, ut optimi Pastoris partes erga illos ad unguem expleverit, teste Joanne Caroli (4), qui Simonis historiam ita persequitur „ erat in homine gravitas quaedam

(1) Vide Chronicon Senense, & Pisanum *Tom. XV. S. R. Italic. col.* 99. *seq. col.* 1004. *seqq.* ac Historias Pistorienses *T. XI. op. cit. col.* 481.
(2) *Fol.* 92.
(3) Joannes Caroli *ibidem*.
(4) *Ibidem*.

„ dam humanitati, atque benignitati conjuncta, qua
„ omnes ad quamdam reverentiam invitabat, ut nulla
„ ambitio, nulla factionum dissensio, nullaque homi-
„ num privata gratia, vel odium promoveret. Ita pro-
„ fecto animum instituerat in omni re, ut Pastoris opti-
„ mi, & Antistitis venerandi officiis, & muneribus fun-
„ geretur. Commissi quoque gregis omni studio & di-
„ ligentia curabat negotia, plerumque monendo, saepe
„ suavissime adhortando, nonnunquam etiam liberaliter
„ accusando, vel castigando leniter, aut singulorum
„ infirmitatibus compatiendo omni enitebatur statui, &
„ negotio providere. Opibus praeterea, rebusque fa-
„ miliaribus ita prospicere consueverat, ut non modo il-
„ las servare, sed absque cujusquam injuria augere, at-
„ que illarum dominio uti, ut dispensatorem magis,
„ quam dominum semper esse meminisset. Quare nec
„ necessaria Clericis, nec opportuna defuere egenis, sed
„ omni statui consulens temporum semper, ac perso-
„ narum rationem praeseferre moliebatur. Et ne qua
„ avaritiae suspitio oriretur hujusmodi negotio, ac ma-
„ xime ne incertorum nota aliqua faedarentur, quatuor
„ Cives primarios deputarat, quorum integritati, ac fi-
„ dei quaecumque viderentur dispensanda committeret.
„ His demandatum erat circuire domos, viduis provi-
„ dere, pupillisque, & orphanis quam maximo possent
„ studio subvenire.

Studiose etiam incubuit Ecclesiis ornandis Sacris supellectilibus, Archiepiscopali Palatio propriis sumptibus reficiendo, & Ordini Praedicatorum, cui nomen ab adolescentia dederat, benefaciendo. Audiatur iterum P. Joannes Caroli Florentinus toties laudatus: *singulis Pisanae Metropolis Ecclesiis propria ornamenta, & argentea vasa donavit, quae in hanc usque diem extare videntur. Archiepiscopales quoque domos, vel vetustate obesas,*

vel

vel aliorum Praesulum negligentia praetermissas proprio sumptu, & impensa restituit . . . . Ne suae quoque Religionis, aut familiae videretur oblitus universis Romanae Provinciae Fratrum suorum Templis vasa argentea misit. Pisano quoque Conventui, in quo & sepulchrum sibi statuerat in singulos annos uberrima, ac maxima dona multa devotione legavit. In proprio vero Beatae Mariae Novellae Conventu egregiam turrim pyramidis instar [quod Campanile vulgus appellat] a primo lapide pene in coelum proprio sumptu erexit, Campanasque in ea fabricari constituit, ac pro seipso domum, quum Florentiam adventaret, extruxit, quatenus nullo Fratribus impedimento, aut molestia foret, majorisque Claustri nonnullas testudines magnifice aedificandas curavit. Ut autem ad nostri Templi magnificentiam, atque ornatum nihil deesset, & argenteas nonnullas Cruces in Sacristia nostra reposuit, aliaque hujusmodi ornamenta donavit, utque copiosius, & avidius ad nos populi convenirent bina Organa, ac suavissima in eo disposuit, quorum altera Sacristiam contra erant mira arte constituta, altera vero supra Templi ipsius ponte . . . . Demum ne cui hominum deesset generi, Fratribus suis hospitalem domum, Ecclesiamque ad Montis Lupi oppidum posuit, atque annuas facultates ad victum, ad quam ex obedientia properantes Fratres absque alicujus molestia degere possent, suisque laboribus aliquid honestae quietis assumere (1).

Decessit Pisis octogenarius annno 1342. mense Septembri, die 20., ut ait Anonymus Auctor (2) Historiae

(1) *Loco cit.* Vide etiam Modestum Bigliottum *in Chronico alias cit.* Auctor *Annalium MSS. Conventus S. Catharinae de Pisis Ord. Praedicatorum pag.* 10. ait: *Frater Simon Saltarellus Florentinus Archiepiscopus Pisanus vir clarus, & Conventus nostri amicus praecipuus, qui & multa moriens nobis legavit.*

(2) *Fol.* 17. „ a dì 20. di Settembre morì Messer Simone de Sartarelli „ da Fiorenza Arcivescovo di Pisa, e fu sepolto in S. Caterina, di „ che

riae Pisanae, vel potius die 23., aut sequenti, ut scriptores Dominicani, aliique existimant; sepultusque est a sinistra Ecclesiae Sanctae Catharinae parte in Mausoleo, ubi olim hae videbantur inscriptiones, quas ad me liberaliter misit P. Fineschius in Historia praesertim Ordinis sui versatissimus.

✠ Pisana Ecclesia merore gravi
tanto viduata Pastore
suspiria traxit.

Hic jacent cineres, & ossa Reverendissimi in Christo patris, & domini, domini fratris Simonis Saltarelli Florentini Ordinis Praed. primum Episcopi Parmensis, postmodum Pisarum Archiepiscopi, & totius Sardiniae Primatis, ac in eadem Legati, qui sine querela vixit annos circiter octoginta, decessit Dominicae Incarnationis anno MCCCXLII. die XXIV. Settembris. Hunc locum ex testamento pro sui cadaveris sepultura elegit, & Andreas olim Bini de Saltarellis de Florentia ejusdem ex fratre nepos voluntatem patrui executioni mandavit.

Cum idem Mausoleum ob Ecclesiae incendium, quod anno communi 1650. accidit, labasceret, anno 1680. translatum est prope Sacrarium (1), ibique nunc item est, ac juxta illud recens haec inscriptio legitur, quae tamen mendum continet in anno, quo Simon mortem oppetiit.

„ che siccome di ottimo Padre menò Pisa gran duolo „. Exstat MS. in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *num.* 366. Videndus item alter Anonymus Historiae Pisanae seculi decimi-sexti *fol.* 23. Servatur MS. in eadem Bibliotheca *Classe cit. num.* 25.

(1) In Libro MS., cui titulus: *Ricordo di tutte le Sepolture, che sono in S. Caterina di Pisa scritte così da me F. Michele Salvetti, e ricopiate in meglior forma a dì 15. di Dicembre 1621. al Pisano fog.* 23. haec leguntur „ Sopra l' Altare di S. Pietro Martire ce una sepoltura grande di mar-
„ mo

D. O. M.

Nobili hoc sarcophago nobiliores conduntur cineres Simonis Salterelli Florentini Ordinis Praedicatorum Parmae, dein Pisarum Antistitis. Inculpate vixit ad annos LXXX; pietatis plusquam dierum plenus cum dolore publico denascitur anno salutis MCCCLII. Moriens sibi locum apud suos legit.

Inter Beatos refertur tum a Josepho Maria Brocchio in indice alphabetico Sanctorum, & Beatorum Florentinorum, tum, Fontana (1) teste, a Scriptoribus Ordinis Dominicani, quorum nonnullos laudant Patres Bollandiani in Sanctorum Actis (2).

XLIV. DINUS.

Simone vita functo Respublica Pisana Clementi VI. supplicavit, ut hujus Ecclesiae regimen committeret Marco Roncionio Civi Pisano de Ordine PP. Praedicatorum, viro pietate, prudentia, doctrina, dignitatibus, muneribusque in Ordine suo gestis illustri. Sed quoniam Summus Pontifex decreverat alium hominem in Archiepiscopum eligere, voti compos Respublica facta non est; & Mar-

„ mo, nella quale vi è sepolto Monsignore de Saltarelli „ ; deinde recentiore charactere „ La detta Sepoltura era un Sepolcro grande „ tutto di marmo bello, quale arrivava quasi fino al tetto guastatosi „ dal fuoco, che abbrugiò tutta la Chiesa l' anno 1651. Pisano la notte della vigilia di tutti i Santi; posto a tempo del P. M. Fra Domenico Amadori Priore del Convento nella muraglia in alto, donde in oggi è fatto il Presepio, e per ultimo posto dal P. Priore Padre Lettore Fra Aurelio Portigiani nell' uscio di Sagrestia per entrare in Chiesa a mano sinistra nel 1681. Pisano „. Monumentum hoc mecum humanissime communicavit eruditissimus P. Polidorius.

(1) *Theatro Dominicano par. 1. tit. 78.*

(2) *T. VI. mensis Septembris ad diem 23. pag. 538.*

& Marcus a Clemente Urbini Episcopatum obtinuit, qui cum ad gregem suum accessisset, postea Avenionem, indeque Italiam navigaret maris fluctibus obrutus est (1). Itaque Simonem excepit Dinus Radicophori, quod est locus in finibus ditionis Magni Etruriae Ducis inter orientem Solem, & meridiem, natus ex parentibus illius loci dominis, teste Dempstero (2).

Anno 1332. ex Praeposito Ecclesiae Genuensis factus est Patriarcha Gradensis, quod munus dum fungeretur *cum esset excelsi animi vir*, inquit Ughellius, *& tractandarum peritia clarus a Benedicto XII. Pontifice Apostolicus Nuntius una cum Petro Theatino Episcopo missus fuit in Galliam, ut Oddonem Burgundiae Ducem, & Joannem Cabilonensem, & Henricum de Monte Falcone inter se bella gerentes conciliarent. Perbelle eam provinciam ad-*

 mi-

(1) Annales MSS. antea citati *pag.* 46. „ Frater Marcus Roncionius sanguine nobilis, moribus longe nobilior merito laudandus est, & memoriae commendandus. Nam spreta mundi vanitate religiosae disciplinae ita se dedit, ut senile pectus in juvenili vigeret aetate, & mores canos adolescens imbiberet. Cum litteris pro more Provinciae vacasset, & Bononiense gymnasium prius, deinde ad Parisiense missus est, & tempore non inaniter trito, sed studiis graviter incumbens ad nos reversus in egregium evasit Lectorem. Postea ad Praelaturas assumptus Prioratum in hoc Conventu magnifice gessit, ita ut omnium & Fratrum, & Civium ad se corda attraheret. Definivit pluries in Capitulis Provincialibus, Provinciae etiam nostrae fuit Vicarius, & generalis creatus est Praedicator, & pro sua virtute aliis functus est Magistratibus. Quum secundum hic esset Prior, postulatus est in Archiepiscopum Pisanum, sed cum alius praevenisset, qui a Clemente VI. in ea collocatus fuerat Sede, Urbinatum Episcopus ab eodem Pontifice est consecratus; & ad gregem suum cum accessisset compositis componendis rebus ad Romanam Curiam ivit, atque inde per mare rediens naufragium passus marinis fluctibus suffocatus est „. Idem produnt Anonymi Pisani antea laudati, quorum antiquior post narratam Simonis mortem subjungit: *fu eletto per lo Capitolo Fratre Marco de Roncioni Priore del Convento delo Ordine de Frati Predicatori di Pisa e proveduto per Messer Papa Chimento sesto di Messer Dino da Radicofani Clerico Secolare Arcivescovo di Genova a dì 6. di Ottobre.*

(2) *De Etruria Regali lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 267.

ministrarunt, & summa Dini Patriarchae dexteritate ad votum Pontificis dissidentes reconciliarunt.

Post quadriennium 6. calendas Februarias translatus est a Benedicto memorato ad Ecclesiam Genuensem (1), deinde a Clemente VI. anno 1342. nonis Octobris ad Sedem hanc, ut ex ejusdem Clementis litteris (2) ad populum Pisanum fit manifestum.

Genua discedens Avenionem concessit, ibique manens, ut necessitatibus suis, Ecclesiaeque Pisanae providere posset facultatem petiit a Summo Pontifice exigendi a viris Ecclesiasticis sibi subjectis quamdam pecuniae summam; qui benigne votis Archiepiscopi indulgens scripsit hac de re decima octava mensis Novembris die ad Abbates Monasteriorum Sancti Viti, Sancti Pauli de Ripa Arni, & Sancti Savini (3). Pisis abiens gregem suum regebat per Guidonem Septem Archidiaconum Genuensem, quem die 27. mensis paullo ante citati instituit Vicarium, seu Officialem in tota Urbe, Dioecesi, & Provincia Pisana, *ut absentibus nobis*, ait ipse Archiepiscopus, *occursura negotia valeant utiliter expediri; nobisque praesentibus relevationis solatium possit afferri* (4). Avenione in Tusciam venit anno 1343. initio mensis Februarii teste Anonymo Pisano Auctore Historiae MS. imperfectae (5).

Hoc ipso anno die mensis Septembris 3. Clemens memoratus Dino, ejusque successoribus auctoritatem dedit adolescentes in Pisana Academia litteris operam navantes Doctores creandi *in Sacra Pagina, in Jure Canonico, & Civili, & in Medicina, & qualibet alia licita*

(1) Confer Augustinum Justinianum *Annali di Genova lib.* 4. *fol.* 127. *edit.* 1537.
(2) *In Appendice monumentorum.*
(3) Tabulae in Archivo Archiepiscopii *T. VIII. num.* 1683.
(4) Tabulae *T. citato num.* 1685.
(5) *Pag.* 17. inquit de Dino loquens: *a dì* 8. *di Ferrajo venne a Livorno lo dito Arcivescovo.*

cita facultate ; die vero 2. mensis Decembris litteris scriptis ad Archiepiscopum nostrum, ad Abbates Monasteriorum Sancti Paulli *de Ripa Arni*, & Sancti Michaelis *de Burgo* decrevit, quod tum Doctores scientias tradentes, tum Scholares hujus Academiae *proventus omnium Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, quae tunc obtinebant, & in posterum obtinerent, etiamsi dignitates Personatus, aut Officia forent, & curam animarum haberent ; dummodo dignitates hujusmodi majores post Pontificales in Cathedralibus, & in Collegiatis Ecclesiis principales non existerent, in ea integritate libere usque ad quinquennium percipere valerent, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in Ecclesiis, in quibus hujusmodi Beneficia forent, personaliter residerent, nec interim ad residendum in ipsis aliquatenus tenerentur, neque ad id inviti coarctari valerent* (1).

Cum Luchinus Dux Mediolani bellum adversus Commune Pisanum incoasset *occasione cujusdam poenae quinquaginta millium florenorum auri, in qua Luchinus praefatum Commune incidisse, & eam sibi deberi ; nec non quorumdam Civium Pisanorum, quos pro obsidibus, & ceterorum Castrorum etiam, quae idem Luchinus tenet, & quae Castra, & Cives ipsi Communi per eundem Luchinum sibi restitui debere asserunt &c.*; Clemens Summus Pontifex videns, ob idem bellum tum animas, tum corpora illorum gravi incommodo affici, scripsit ad Jacobum Pontificem Genuensem, ut pacem inter Luchinum ipsum, & Pisanos componeret. Jacobus Clementis litteras misit anno 1344. die 20. Maii ad Archiepiscopum nostrum, ut eas Pisis publicaret, quod ejus jussu factum est die 27. mensis paullo ante citati, quemadmodum liquet

(1) Utrumque Clementis diploma est apud Fabruccium *Excursione Historica de prima dote Pisani publici Gymnasii, ejusdemque privilegiis pag. 6. & seq.*

quet ex monumentis (1) hujus Archiepiscopii. Sed pax non nisi anno sequenti mense Majo facta est, judice Villanio (2).

Venerat per haec ipsa tempora Pisas Aymericus S. R. E. Cardinalis, & Apostolicae Sedis Legatus ad Cives hortandos, ne pacem, de qua in Longobardia agebatur, exturbarent (3). Dinus eum excepit, &, ut conjicere est, Neapolim usque comitavit, ubi anno 1344. die mensis Augusti 28. Aymericus ipse dominium, & coronam Regni Neapolitani Joannae concessit, ab eaque fidei sacramentum nomine Ecclesiae Romanae accepit, quod exploratum est ex instrumento a Troncio laudato (4), cui Archiepiscopus noster subscribit.

Homines habitantes in oppidulo *Mele*, nunc penitus diruto, atque deserto, in quo Archiepiscopi Pisani merum, & mistum imperium, ac jus gladii olim exercebant, ut alibi dictum est (5), ab iis descriverant. Sed anno paullo ante indicato rebellionem, quam fecerant, execrati sunt, promiserunt sapienti viro Guastae de Radicophoro Jureconsulto Dini nostri nepoti, ejusque Vicecomiti in arce Montisvasi, Dino ipsi, ac suis successoribus constanter, & fideliter imposterum obtemperare, promptosque sese exhibuerunt ad quamlibet poenitentiam ob tantum scelus agendam. Constant haec omnia ex tabulis scriptis decima mensis Septembris die (6).

Anno 1345. duodecimo calendas Julias Clemens litteras misit ad Archiepiscopum nostrum, quibus eidem commendabat Bernardum de Ordine Fratrum Minorum Antistitem Sagonensem in Corsica. Memoratas litteras

(1) Vide *Acta MSS. Extraordinaria ab anno* 1325. *num.* 1. *fol.* 8. *& seq.*
(2) *Historie Fiorentine lib.* 12. *cap.* 37. *col.* 917. *T. XIII. S. R. Ital.*
(3) Troncius *pag.* 357.
(4) *Ibidem*.
(5) *In Oddone Arrhiep.*
(6) Exstant in Archivo &c. *T. VIII. num.* 1752.

ras in Appendice monumentorum publicabimus, utquae multum illustrant Ecclesiae Sagonensis Historiam.

Ob magnos sumptus, quos facere cogebatur Dinus in excipiendis hospitio iis, qui ex Italia Avenionem petebant, & inde in Italiam revertebantur, rogavit anno superius citato 4. calendas Octobris Clementem, ut *Mensae* Pisanae denuo concederet reditus Ecclesiae S. Petri *ad Gradus*; haec enim Ecclesia longe ante a Clemente V. Archiepiscopo Pisano data fuerat, sed postea eidem ablata, ostendere Dinus nequibat, a Summo Pontifice Ecclesiae Pisanae concessam reipsa fuisse, *quia dudum quoddam ipsius Ecclesiae Castrum, in quo litterae Apostolicae, publica instrumenta, aliaeque scripturae authenticae tanquam in tuto loco reposita servabantur, a quibusdam iniquitatis filiis cum omnibus scripturis hujusmodi ibidem repositis extitit concrematum* (1).

Scribit Ughellius, & post eum Orlendius, ac Martinius, Dinum obiisse anno 1349., sed ex iis, quae paullo post narrabimus, manifestum erit, anno ante decessisse.

XLV. JOANNES VII. SCARLATTUS.

Hujus Ecclesiae Capitulum post Dini mortem in Archiepiscopum elegit insignem virum Nicolaum a Sancto Martino Pisanum Ordinis Praedicatorum, sed electio, a Capitulo facta rescissa est (2) a Summo Pontifice, cui magis arrisit in Dini locum sufficere Joannem. Ab Anto-

(1) Confer litteras Clementis *T. cit. num.* 1779.

(2) Consule Fontanam *op. cit. pag.* 94. In Annalibus MSS. antea laudatis *fol.* 60. haec de Nicolao inter cetera leguntur „ Senex autem in Ar„ chiepiscopum Pisanum postulatus fuit, deinde in Lucensem Episco„ pum, sed contradicentibus Florentinis Civibus ob oppida sua, quae „ Lucensis Dioeceseos sunt, Racanatensis Episcopus est creatus, ubi „ populum sibi creditum verbo, & exemplo ad meliorem conatus est „ deducere frugem, & ibi in sua Sede diem vidit extremum.

Antonio a Terrinca (1) dicitur patria Florentinus, professione Franciscanus. Verum utrumque falsum esse censeo. Ac primum quidem, quod ex tabulis mox laudandis appareat Civitate Pisanum fuisse; alterum quod neque in vetustis monumentis, quae ipse vidi, neque a Scriptoribus Franciscanus, sed ab illorum nonnullis (2) etsi recentibus patriae Ecclesiae Canonicus asseratur.

Anno 1335. mense Januario Avenione munus Advocati exercebat (3). Factus postea est episcopus Coronensis Urbis Peloponnesi in regione Messeniae, nondumque consecratus missus est una cum Antonio Franciscano Antistite Cajetano anno 1346. a Clemente VI. Sedis Apostolicae Legatus *a Latere* ad Armenos. Constat id vero ex Summi Pontificis litteris datis mense Septembri *Fratribus Consolatori, dicto Catholicon Armenorum, necnon Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & ceteris Clericis in Armenia constitutis*, in quibus sic eosdem alloquitur „ Venerabilem fratrem nostrum Antonium Episcopum Cajetanum, & dilectum „ filium Joannem *electum* Coronensem Sedis Apostolicae „ Legatos, viros utique profundae scientiae, ac in lege „ Dei eruditos, & ipsius fidei sinceros, & fervidos ze-„ la-

(1) *Theatro Genealogico Provinciae Tusciae par. 2. tit. 1. serie 2. pag.* 88.

(2) A Troncio *pag.* 366. 387. Martinio *Indice Chronol. Pontif. Pisan.*, & Orlendio *Vol. II. Orbis Sacri, & proph. lib. 3. par. 2. cap.* 25.

(3) Vide chartam in Archivo Archiepiscopii Pisani *T. VII. apograph. num.* 1546. In hac habetur, quod *discretus, & sapiens vir Masinus de Curtibus Civis Pisanus Potestas Communis Suvereti pro Communi Pisano* consensu *Capitaneorum praedicti Communis, & Consiliariorum minoris Consilii de duodecim dicti Communis Suvereti*, litem intentare volens Guidoni Priori Ecclesiae de Lacignano Dioecesis Florentinae Judici, & Conservatori a Sede Apostolica electo Monasterii Sancti Petri de Monte Viridi Dioecesis Massanae, Procuratorem declaravit *Venerabilem, & sapientem virum dominum Johannem Scherlatti de Pisis in Romana Curia Advocatum*. Memorata charta scripta fuit *anno Domini a Nativitate ejus millesimo trecentesimo trigesimo quinto Indic. III. die vigesima nona Januarii secundum consuetudinem Suvereti.*

„ latores, qui per semitam mandatorum Domini gra-
„ dientes, ipsum verum lumen de lumine, veramque
„ sapientiam (quantum eis ab ipso permittitur) imitan-
„ tur, commisso eis, & eorum cuilibet plenae legatio-
„ nis officio, ad vos, & partes istas de dictorum Fra-
„ trum consilio decrevimus destinandos, ut per eos de
„ ipsa fide, ejusque salutari doctrina informemini ple-
„ nius, & imbuamini viva voce, quam possetis scriptu-
„ ra instrui, vel litteris informari, ac tenacius cordi-
„ bus vestris impressa maneant, quae ipsorum Legato-
„ rum studio, & linguae ministerio fuerint propagata (1).
Ex aliis Clementis litteris, quas ad annum 1350. recitat Waddingus (2) liquet, Antonium, & Joannem nostrum quo tempore Antistes Coronensis erat, legatos etiam fuisse ad Joannem Cantacuzenum Graecorum Imperatorem, sed qua ratione, & quo anno id factum sit, mihi non constat.

Joannes ex Oriente reversus in suscepti, honestissimeque completi officii premium ad Archiepiscopatum *Pisanum* evectus est, etsi Ordine tantum Diaconatus initiatus esset, anno 1348. septimo calendas Julias (3). Consecrationis munus a Bernardo Episcopo Portuensi, Pallium vero accepit a Galliardo Sanctae Luciae *in Silice*, & Bernardo Sancti Eustachii Diaconis Cardinalibus (4), annoque 1349. mense Junio Pisas venit Ecclesiae suae possessionem initurus; quam ipso absente gubernabat Jacobus *de Peccioli* Rector Ecclesiae Sancti Pe-

M tri

(1) Apud Waddingum *T. VII. Annal. Min. ad ann.* 1346. *num.* 3. *pag.* 328. & Raynaldum *ad eumdem ann. num.* 69.
(2) *T. VIII. ad ann.* 1350. *n.* 2. *pag.* 40.
(3) Ex litteris Clementis *in Appendice &c.*
(4) Ex litteris apud Ughellium *in Archiepiscopis Pisan.* Hinc videas, Joannem nostrum anno 1348., vel saltem anno sequenti ante mensem Junium ex Armenia rediisse, ideoque rem non bene putasse Annotatorem Odorici Raynaldi scribentem, Joannem ipsum non diu ante annum 1351. reversum esse.

tri *de Camuliano* tunc Dioecesis Lucensis, ut apparet ex veteribus tabulis (1), aliisque monumentis (2), in quibus idem Jacobus dicitur *Capituli Ecclesiae Pisanae praesentialiter Pastore vacantis* Vicarius in spiritualibus generalis.

Anno superius memorato 1349. decimo-quinto calendas Septembris, & 12. calendas Novembris duas epistolas accepit a Clemente; quarum altera (3) Joanni nostro ille significabat anno veniente futurum *Jubilaeum*, quem ipse Pontifex quinquagesimo quoque anno deinceps celebrandum decreverat; altera (4) eidem commendabat Guidonem Episcopum Maceratensem, nuper ad Ecclesiam Massanam translatum.

His circiter temporibus Joannes Synodum habuit Dioecesanam, cujus Acta non supersunt, sed ex aliis monumentis (5) colligitur, eandem Synodum inter cetera decrevisse excommunicationis poenam in Moniales, quae e proprio Monasterio exire auderent; ac vetuisse Presbyteris sub poena suspensionis a Beneficio Ecclesiastico domi retinere mulieres de incontinentia suspectas.

Bernardus Antistes Sagonensis in Corsica, cujus meminimus de Dino Archiepiscopo differentes, censuris Ecclesiasticis puniverat, contra iteratum Joannis nostri praeceptum, Presbyteros Joannem Rectorem Ecclesiae S. Joannis de Calvi, & Nutum Rectorem S. Quilici de Alcha, decumas eidem Episcopo solvere recusantes.

(1) In Archivo citato *T. IX. num.* 1948. His tabulis anno 1348. die 18. mensis Septembris confectis Jacobus facultatem concedit Torpeti Episcopo Brunetensi in Liguria habendae Pisis in Ecclesia principe Sacrae Clericorum Ordinationis.

(2) In Actis Extraordinariis MSS. *num.* 19. idem Jacobus dicitur Vicarius Ecclesiae Pisanae *praesentialiter* pastore vacantis ad diem 16. Martii anni 1349.

(3) In eodem Archivo *T. X. num.* 1993.

(4) Ibidem *T. IX. num.* 1981.

(5) Confer *Extraordinaria ab anno* 1325. *ad* 1358. *n.* 1.

tes. Itaque Rectores laudati ad Joannem Archiepiscopum confugerunt, qui aegre id tulit, proindeque jussit Leonardo de Casuiis, Rectori Ecclesiae Sanctae Mariae Ughi de Florentia, Vicario suo, ut contra Bernardum ageret: Vicarius autem anno 1353. die 14. Januarii ad eum scripsit, eique, nisi memoratos Rectores a censuris Ecclesiasticis liberaret, aut illos molestiis rursus afficeret, minatus est praeter alias poenas excommunicationem. Verumtamen Leonardus ut caute operaretur, Rectores citatos ipse a censuris absolvit, ac praeterea in mandatis dedit Joanni Ordinis Fratrum Minorum Vicario generali in Corsica, ut eosdem absolutos coram populo assereret, idque Bernardo Episcopo reprehesentaret, cui etiam subiungeret, quod si is existimasset, factum id fuisse contra ac fas, & jura sinunt, Pisas accederet caussam suam dicturus. Sed Bernardus ira excandescens verbis contumeliosis Joannem Minoritam ejecit, Fratribus Minoribus Dioecesis Sagonensis prohibuit Confessiones Sacramentales audire, & verbum Dei praedicare, eosque una cum laudatis Rectoribus excommunicatos declaravit (1). Quid postea acciderit ex monumentis Archiepiscopii Pisani non apparet, sed non dubito, quin Pontifex noster Bernardi audaciam frangere curaverit.

Pestifera Fraticellorum haeresis, quae seculo aerae vulgaris decimoquarto longe, lateque sese diffuderat, in Civitate quoque, Dioecesi, & Provincia Pisana serpere coepit. Quod ubi novit Innocentius hujus nominis VI. praecepit Joanni, ut in eosdem haereticos, quorum nonnullos vinctos in carceribus jam tenebat, animadverteret, implorato etiam, si opus esset ad illos extirpandos, & omnino tollendos, a Civitatis Proceribus auxilio: ita tamen ut Episcopis item Suffraganeis, & negotiis Religio-

(1) Vide tabulas *in Appendice monumentorum.*

Regionis Praefectis, qui in Urbe, & Provincia Pisana erant, liceret memoratos haereticos insequi, & punire. Innocentii litterae in Appendice monumentorum exhibendae datae sunt Avenione 10. calendas Decembris Pontificatus sui anno 11., qui anno communi 1354. congruit. Initio anni sequentis, scilicet decima-octava mensis Januarii die Joannes excepit Carolum IV. Augustum teste Marangonio, qui de ipsius Caroli adventu Pisas loquens haec ait „ giunse a Pisa, molti Cittadini „ li andorono incontro; il simile tutti i Preti, e Frati, „ e l' Arcivescovo con la Croce in mano, e l'Impera- „ tore scese da Cavallo inginocchiandosi con gran ri- „ verenza (1).

Anno circiter 1359. Archiepiscopus noster aedificare coepit Ecclesiam, & Monasterium Sancti Hieronymi Agnani, quod est locus quinque milliariis ab Urbe Pisis distans pro Patribus Olivetanis (2), quos item moriens haeredes universales testamento reliquit (3).

Narrat Paullus Troncius (4) Reipublicae *Antianos* anno 1361. rogasse Joannem, ut ad Sedem suam rediret: Evidens est hinc, illum per haec tempora Urbe abfuisse. Et sane ex monumentis Tabularii secreti Archiepiscopii aperte liquet, Sacras Ordinationes Pisis habuisse Gregorium Archiepiscopum Veriensem, & Gerardum de Ordine Fratrum Minorum Antistitem Civitatensem in Sardinia; alterum anno 1359. die 15. Junii, & anno 1361. die 20. mensis Februarii in Ecclesia *Sancti Antonii de Herminis de Spassavento* (5); alterum eodem an-

(1) *Croniche di Pisa col.* 713. Confer etiam Anonymum Pisanum *Tom. XV. S. R. Ital. col.* 1028., ac Troncium *pag.* 376.

(2) Tabulae *in Appendice cit.*

(3) Tabulae *in eadem Append.*

(4) *Pagina* 393.

(5) *T. X. n.* 2140. 2174. Gregorius Archiepiscopus Pisis in Monasterio Sancti Antonii commorabatur anno etiam 1370. mense Septembri, ut liquet ex Actis MSS. extraordinariis ab anno 1369. ad 1375. servatis in

anno 1361. mense Majo in Ecclesia Primatiali (1); quod Archiepiscopi a propria Sede absentiam indicat. Etenim memorati Pontifices licentiam Sacras Ordinationes faciendi, petierunt a Leonardo de Casulis tunc *Plebano de Decomano* Dioecesis Florentinae, qui anno 1359. erat Joannis nostri Vicarius generalis, & a Magistro Simone de Panicciis *de Bulgaro* Dioecesis Iporiensis, qui idem munus exercebat anno 1361., non vero ab ipsomet Joanne Archiepiscopo, uti fecit Nicolaus Ordinis Augustiniani Pontifex Aesinus, qui anno 1361. die 18. Decembris Sacram Ordinationem habuit facultate ab Archiepiscopo obtenta (2). Cur Joannes Pisis discesserit manifestum non est, arbitratur tamen Troncius *che disgustato se ne fosse allontanato*.

Archiepiscopus in patriam reversus, cùm teste Vanespenio (3) paulatim invalesceret seculo decimo quarto consuetudo faciendae supplicationis, in qua festo die Corporis Christi Sacrosanctum Ecclesiae Sacramentum circumfertur, ipse Pisis eam primo instituit, de qua haec habet ad annum 1362. Paullus Troncius (4) antiquiorum Historicorum (5) Pisanorum auctoritatem secutus „ essendo quest' anno Operajo del Duomo di Pisa „ Bonagiunta Mascari si incominciò a fare la Processio- „ ne del *Corpus Domini*, e per publico bando furono inti-

in Tabulario publico Archiepiscopii *num.* 3., & anno 1372. mense Decembri ex charta in Tabulario secreto *T. XI. num.* 2325.. Ecclesia Veriensis, cujus Antistes erat Gregorius, eadem est procul dubio ac Verisiensis, quam eruditissimus Lequienius *T. III. Orientis Christiani col.* 1102. ponit in Macedonia, vel in Thracia non longe a Thessalonica. De Gregorio nullam mentionem facit Lequienius, qui duos tantum Archiepiscopos initio seculi 13. florentes refert.

(1) Ex charta *T. X. n.* 2174.
(2) Ex charta *T. X. apograph. num.* 2186.
(3) *Par.* 2. *Juris Ecclesiastici universi tit.* 4. *cap.* 5. §. 5.
(4) *Pag. citata*.
(5) Anonymi Pisani apud Muratorium *T. XV. S. R. Ital. col.* 1036., & Marangonii *op. cit. col.* 726.

„ intimati ad intervenirvi tutti gli Ecclesiastici Secolari,
„ e Regolari, e le Confraternità, che furono numero-
„ sissime di migliaja di persone. Portava l'Arcivescovo
„ il Santissimo Sagramento in un Ostensorio d'oro sot-
„ to un Baldacchino di broccato con frange d'oro, le
„ mazze del quale portarono gli Anziani fino fuori del-
„ la porta, e ivi preserle i Cittadini a vicenda, cento
„ dei quali portavano torcie di cera bianca accese, e
„ dopo era portata la Spina di Nostro Signore, quel-
„ la, che oggi si conserva nell'Oratorio della Spina,
„ sotto un Baldacchino di velluto cremesi con gran nu-
„ mero di torcie; seguiva poi il Vicario dell'Impera-
„ tore, gli Anziani, Potestà, Conservatore, e Capo di
„ popolo accompagnati da tutta la plebe, e ciascuno
„ con un candelo di cera bianca acceso in mano. La
„ via della Processione fu dal Duomo alla Piazza degli
„ Anziani, per Borgo, lung'Arno fino al Ponte nuo-
„ vo, per via Santa Maria, e ritornò al Duomo, do-
„ ve l'Arcivescovo cantò Messa solennissima, tenendo
„ tutti i candeli accesi in mano, quali ciascuno offerse
„ poi alla Chiesa, e del prezzo, che se ne ritrasse se
„ ne fece un bellissimo Tabernacolo d'argento.

Obiit Joannes anno 1362. mense Februario exeunte. Ex tabulis (1) enim conditis die 19. mensis citati anni communis 1362. apparet Joannem ipsum tunc in vivis adhuc fuisse; ex aliis autem eodem anno die 27. ipsius mensis confectis (2) liquet e vita jam migrasse. Omni virtutum praecipue moralium genere floruit, & a Petro Cardosio in suo Opere MSS., quod inscripsit *Monumenta Sacra Pisana* inter Beatos numeratur.

Se-

(1) Extant Pisis in Archivo Monasterii PP. Olivetanorum *Pergam.* 102.
(2) *In Appendice monumentorum.* Vide etiam Acta Extraordinaria *num.* 20. *litt. V. fol.* 29., ubi ad annum 1362. die 9. Martii Bartholomaeus Canonicus Ferrariensis dicitur Vicarius *Sanctae Pisanae Ecclesiae Sede vacante.*

Sepultus est in Sacrario Ecclesiae majoris, ubi ejus Mausoleum nunc etiam extat cum hac inscriptione, longe post illius decessum posita.

Sep. Joannis Scarlatti C. Pisa Archiep.
Obiit anno Domini MCCCLXIII.

Rescribendum tamen est LXII. tametsi inscriptionis Auctor annos expresserit juxta Pisanorum consuetudinem; nam, ut superius ostendimus, Joannes decessit mense Februario, quo Pisani ipsi in annis numerandis communi stilo sese accomodabant. Anno communi 1713. Joannis ossa translata sunt ad parvam portam prope Altare Deo in honorem Sancti Raynerii dicatum, quod nos docet sequens inscriptio:

Ossa Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini
Domini Joannis Scherlatti Pisarum Civis,
& Archiepiscopi
Ex ejus Sepulcro in Sacrarii pariete
Hic translata quiescunt.
Die VI. Julii MDCCXIV. Pisano

XLVI. FRANCISCUS I. PUCCIUS.

Innocentius hujus nominis VI. precibus Canonicorum Pisanorum benigne indulgens in Joannis locum suffecit Franciscum Puccium in minoribus tantum Ordinibus constitutum, ut exploratum est ex litteris (1) ipsius Innocentii, scriptis anno 1362. septimo calendas Junias, ex quibus item erudimur, antequam Archiepiscopus crearetur, fuisse in patria Canonicum; ideoque certa mihi inest opinio, Franciscum nostrum unum, eun-

(1) *In Appendice monument.*

eundemque esse ac Franciscum illum Canonicum Pisanum, cujus nomen occurrit in istrumento ad mensem Februarii anni 1362. spectante, ac in Tabulario memorato Patrum Olivetanorum servato (1).

Pisis natus dicitur a Thoma Dempstero, & Petro Cardosio; nec sanè immeritò mea quidem sententia. Etenim domum *Pucciam* in hac Urbe olim fuisse, ostendunt antiquae tabulae, in quibus memorantur Theodericus *de Puccis*, Nereus Puccius Presbyter, & Matthaeus Puccius Monachus Sancti Michaelis Discalceatorum Prior Sancti Jacobi *de Podio*; quorum alter anno 1254. erat Vicecomes Friderici Archiepiscopi Pisani (2); alter fiduciarius haeres Petri Mirantis Monasterium Carthusianum anno 1366. in agro Pisano aedificavit, ut postea fusius narrabitur; tertius verò anno 1371. idoneus declaratus est obtinendi *Plebem* Sancti Joannis *de Avena*, & quodlibet aliud Beneficium Ecclesiasticum in hac Dioecesi (3).

Franciscum hunc ab altero Francisco de Moricottis, de quo disseram paullo post, non distinguunt Martinius, Troncius, Orlendius, Abrahamius, imprimisque Ferdinandus Ughellius (4), cujus verba referenda sunt, ut pateat quibus rationibus ad sic opinandum permotus fuerit „ quamquam ego, *inquit*, non mediocrem operam, diligentiamque adhibuerim, numquam reperire potui, an hic Franciscus, quem de Puccis vocant, alter ab illo Francisco successore fuerit, qui e Moricottis traxit originem, dignitate Cardinalitia effloruit: in obligationum, Praelatorumque promotionum codicibus nulla alia, quam unius Francisci mentio fit, qui ab Urbano V. quamquam annis impar tantae dignitati ad „ Pisa-

(1) *Pergam.* 102.
(2) Vide *Protocollum n.* 3. *litt.* C. *fol.* 4.
(3) Ex charta in Tabulario Archiepiscopii *T. XI. n.* 2308.
(4) *In Archiepiscopis Pisanis col.* 459.

„ ad Pisanam Ecclesiam administrandam admotus est,
„ nec illius, alteriusque alia mentio reperitur, quod
„ sanè mihi opinionem injecit, unum omnino Fran-
„ ciscum nomine, illumque Moricottorum prosapia
„ oriundum fuisse, cum certissimum videatur illius e-
„ lectionem anno 1371., si ab eo Francisco Puccio al-
„ ter foret, monumentis commendatam repertum iri:
„ tandem post ancipites cogitationum aestus in eam opi-
„ nionem [*concessi*] illum Puccium gratis adjectum, ac
„ unicum Franciscum Moricottum Urbani VI. ex Sorore
„ nepotem iis temporibus viguisse „. Verùm cum cer-
ta monumenta perspicuè ostendant, Franciscum unum e
domo *Puccia* natum, & ab Innocentio VI. Pontificem
Pisanum creatum fuisse; alterum verò e familia *Mori-
cotta* ortum, Pisanumque Archiepiscopum factum ab
Urbano V. ipso Ughellio teste, caecus est qui non vi-
det, probeque intelligit, duos extitisse per haec tempo-
ra Archiepiscopos nomine Francisci.

Idem ipse Ughellius existimat, Franciscum Puccium, *si* quidem Pisanus Antistes umquam fuit, e vita migrasse anno 1370., quo, ut ille putat, in Palaestinam navigavit, Hierosolymam, aliosque sacros locos visitaturus: *in longiore itinere potuit obiisse eodem anno, cum ejus successor reperiatur anno* 1371. *in Pisanis tabulis*. Sed ut praetercam Archiepiscopum Pisanum in Palestinam profectum non esse nisi anno 1373., Franciscus de Moricottis anno 1369. mense Aprili exeunte Pisanis praeerat (1), proindeque tunc jam obierat Franciscus Puccius. Ad annum emortualem hujus quod attinet, ego libenter subscribo Petro Cardosio asserenti, vitam cum

 mor-

(1) In instrumento enim confecto tertio calendas Majas anno communi 1369. Archiepiscopus, qui tunc Pisanos regebat, dicitur *de Vico*, sed Franciscus de Moricottis ex hoc oppido erat, non autem Franciscus Puccius. Instrumentum est in Archivo Pisano PP. Olivetanorum. *num.* 114.

morte commutasse anno 1363., id quod ex paullo post dicendis exploratum fiet.

XLVII. FRANCISCUS II. DE MORICOTTIS.

Tametsi vir doctissimus Onuphrius Panvinius (1) Franciscum genere Neapolitanum dicit, mihi tamen magis probatur, quod Troncius (2), Ughellius, Cardosius, Abrahamius, & Orlendius sentiunt, nimirum in oppido Vico Pisano duodecim milliariis ab hac Urbe distante, natum illum esse; enim verò gens *Moricotta* in eodem oppido commorabatur, uti liquet ex veteribus monumentis (3), & Franciscus ipse *de Vico* asseritur in antiquis tabulis (4). Ex Canonico *Primicerio* hujus Ecclesiae factus est Archiepiscopus ab Urbano V. anno 1363., licet admodum juvenis esset. Testatur enim Ughellius ex *Praelatorum promotionum codicibus* apparere, laudatum Pontificem in Pisanum Antistitem elegisse Franciscum annis imparem tantae dignitati; hic autem, vel ipso Ughellio judice, non nisi Franciscus de Moricottis esse potuit, quem vir eruditissimus ad Archiepiscopalem honorem evectum asserit anno superius memorato, quod viderit in citatis codicibus id ab Urbano factum anno primo sui Pontificatus.

Significatum fuit Urbano ipsi recenter electo, Julianum Episcopum Ecclesiae Nebiensis in Corsica, ejusque decessores omnia bona ad eandem Ecclesiam spectantia aut locasse, aut in emphytheusim concessisse Ecclesiasticis, Laicisque hominibus magno illius detrimento;

(1) *Epitome Romanorum Pontificum lib.* 3. *pag.* 262.
(2) *Pag.* 468.
(3) Ex chartis in Archivo Archiepiscopii *T. XII. n.* 2426. 2460., & in Archivo Monasterii S. Antonii Pisarum *num.* 87.
(4) Extantibus in Archivo PP. Olivetanorum *num. ante cit.* In Actis item extraordinariis ab anno 1369. ad 1375. *fol.* 135. Franciscus dicitur *de Vico*. Sunt in Tabulario publico Archiepiscopii, ac notantur *n.* 3.

to; quocirca Summus Pontifex anno 1363. nonis Aprilis mandavit Francisco nostro, ut quoscumque contractus ab Episcopis Nebiensibus hac de re factos nullos declararet (1).

Anno 1366. trigesima mensis Maji die idem ipse Archiepiscopus scriptis litteris ad Patres *Priores* Sanctae Mariae *de Maggiano* prope Senas, & Sancti Spiritus prope Lucam Ordinis Carthusiani facultatem eis dedit aedificandi in Dioecesi Pisana Monasterium ejusdem Ordinis ex bonis Petri Mirantis Civis Pisani, qui moriens Presbyterum Nereum Puccium haeredem ex asse reliquerat cum hac conditione, ut laudatum Monasterium construeret. Archiepiscopi litterae in Appendice monumentorum vulgabuntur.

Sub his temporibus Franciscus Urbis, & Dioecesis Massanae regimen suscepit, Antonio *de Riparia* ejus Antistite in remotis partibus agente; in Actis enim exstantibus in publico Tabulario (2) Archiepiscopii legitur, quod idem ipse Franciscus anno communi 1367. die mensis Septembris 12. erat memorati Episcopi in spiritualibus, ac temporalibus Vicarius generalis.

Cum Urbanus V. reficere decrevisset insigne Monasterium Montis Casini ingenti terrae motu ante quatuor lustra collapsum, cumque ad tantum opus absolvendum multum pecuniae necessarium fore videret, anno 1369. decimoquinto calendas Martii praecepit omnibus Abbatibus, qui Benedictinae familiae nomen dederant, ut biennium sexagesimam omnium suorum redituum partem concederent, quemadmodum liquet ex Summi Pontificis litteris tum ad Abbatem laudati Monasterii (3), tum ad Archiepiscopum nostrum, qui ab Urbano jussus

(1) Charta *T. X. Apograph. n.* 2192.
(2) In Libro inscripto: *Acta extraordinaria civilia diversorum n.* 2.
(3) Apud Erasmum Gattulam *par.* 2. *Historiae Abbatiae Casinens. pag.* 510., & Montfauconium *Diario Italico pag.* 331, qui earum partem vulgavit.

est eandem pecuniae summam exigere ab omnibus Abbatibus Urbis, Dioecesis, & Provinciae Pisanae, Genuensis, Calaritanae, Turritanae, & Arborensis in Sardinia (1).

Desiderio flagrans Cristi Domini sepulcrum, aliaque sacra Palestinae loca visitandi facultatem petiit a Gregorio XI. eò proficiscendi cum duodecim Sociis; quam obtinuit anno 1371. die 18. mensis Octobris (2). Nescio autem quo impedimento detentus non nisi biennio post vota sua solvit. Anno enim 1372. die decima mensis Februarii, ac die mensis Decembris 18. Pisis adhuc morabatur Franciscus (3). Anno sequenti in Appennino, Tusciam a Flaminia dividente, erat, dieque octava mensis Augusti Templum Eremi Camaldulensis sacrum fecit, ut ex Fortunio (4) erudimur. Sed eodem mense in Palaestinam concessit teste Anonymo Pisano: *del mese d' Agosto mille trecento settanta quattro* (juxta computum Pisanorum) *l' Arcivescovo di Pisa andò al Sepolcro Santo in Gerusalem* (5).

PP. Humiliati, quod per haec tempora a multis in suis possessionibus vexarentur, ad Gregorium XI. confugerunt (6). Hic autem anno 1375. die 19. Januarii Archiepiscopum nostrum, Antistites Veronensem, & Novariensem defensores eorumdem Patrum jurium creavit. Sed Franciscus, qui aliis Ecclesiae suae negotiis distentus munus sibi commissum perficere non potuit huic exequendo delegavit Philippum a Varisio, & Priorem S. Sixti, ad quos proinde anno 1376. die 21. mensis Aprilis litteras scripsit, quarum initium est hujusmodi „ Franciscus

(1) Extant in Tabulario Archiepiscopii *T. XII. n.* 2414.
(2) Vide *Appendicem monument.*
(3) Ex Actis MSS. extraordinariis laudatis, ac notatis *n.* 3., & ex charta *T. XI. n.* 2325.
(4) *Lib.* 2. *Histor. Camaldulensium cap.* 59. *pag.* 231.
(5) Apud Muratorium *T. XV. S. R. Ital. col.* 1065.
(6) Consule *Extraordinaria n.* 3. *fol.* 171.

„ ciſcus Dei, & Apoſtolicae Sedis gratia Piſanus Archiepiſcopus Sardiniae Primas, & ejuſdem Sedis in ea Legatus conſervator, ac delegatus a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus dilectis filiis Magiſtro Generali, Praepoſitis, & Fratribus, ac perſonis domorum Ordinis Humiliatorum, venerabilibus viris domino Philippo de Variſio praeſentato Eccleſiae Januenſi, & Priori ..... Sancti Sixti de Janua ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis nos recepiſſe &c. „

Narrat Anonymus Piſanus ſuperius laudatus, (1), & poſt eum Marangonius (2) Joannem *de Grangia* Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalem, & Apoſtolicae Sedis Legatum anno 1378. ineunte Piſas veniſſe, ac poſt brevem in hac urbe manſionem, ubi a Petro Gambacurta, aliiſque Civibus liberaliſſimè tractatus eſt, petiiſſe Sergianum, quò convenerant Bernabos Mediolani Dux, Legati Florentinorum, Piſanorum, Senenſium, Peruſinorum, Bononienſium, & aliarum Italiae Urbium pro pace concilianda inter Gregorium XI., & Florentinos. Sed accepto nuntio, Gregorium ipſum obiiſſe Joannem Cardinalem re infecta Sergiano profectum eſſe Lucam, indeque Piſas die ſexta menſis Aprilis redeuntem ſecum duxiſſe Archiepiſcopum Piſanum, unaque cum ipſo Romam navigaſſe. Ex hac narratione colligitur, niſi me fallo, Franciſcum eo tempore Lucae manſiſſe; veriſimile enim eſt ex Urbe Piſis diſceſſiſſe ob excommunicationis, & interdicti poenam, cui a die *6.* Decembris anni praecedentis ſubiecti erant Piſani, quoniam cum Florentinis communicabant (3).

Ab Urbano VI. oriundo Piſano (4), qui Gregorio XI.

(1) *Col.* 1072.
(2) *Croniche di Piſa col.* 779.
(3) Confer Anonymum citatum *ibidem*, ac Troncium *pag.* 449.
(4) Urbani Patrem Piſanum, & Matrem Neapolitanam optimo jure dicit Panvinius *opp. cit. pag.* 250., ſed dum ait, utroſque ignobiles fuiſſe, errat

XI. successerat, Franciscus in Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium amplissimum Senatum relatus est anno 1378. die Septembris 18., ut probat eruditissimus Mansius (1), ac titulum obtinuit Sancti Eusebii, quem anno 1383. dimisit, quoniam Ecclesiae Praenestinae Antistes factus est, quemadmodum testatur Ughellius in Historia illius Ecclesiae. Cum Archiepiscopus nuntium accepit, se creatum fuisse Cardinalem, erat extra Pisas in Monasterio S. Donnini, ibique mansit usque ad septimam Octobris diem, qua solemni pompa, universoque populo laetitia gestiente Urbem ingressus est: *essendo lo ditto Cardinale*, inquit Anonymus Pisanus, *a San Donnino fuor della porta San-Gilio* (Sancti Aegidii) *di Pisa, entrò nella Città a dì sette d' Ottobre con grande onore a cavallo, e la Chericia con la Processione li andonno incontro, e due brigate d' armeggiatori Cittadini li andarono inanti a cavallo armeggiando, e sopra lui era portato un ricco palio di drappo di seta, e dirieto a lui a cavallo li Anziani, e il Podestà, e Capitano di popolo, e tutti li Uffiziali, e molti Cittadini, e la masnada, e posoe nell' Arcivescovado di Pisa* (2).

Die tertia mensis Novembris anni supra laudati Franciscus Pisis discessit Romam profecturus (3), ideoque Archiepiscopatum Pisanum dimisit, solamque illius admini-

rat vehementer, ac revincitur testimonio Anonymi Pisani Auctoris synchroni scribentis *col.* 1073., quod ob electionem Urbani in Summum Pontificem Pisanis notam 13. Aprilis die, *si fece in Pisa grande festa, e la sera falò, perchè era natìo Pisano dal lato di Padre, che fue da Perignano presso a Pisa, e la Madre gentildonna di Napoli, sicchè egli è Pisano, e così s' è fatto scrivere; e l' avolo suo anco fue da Perignano, e l' avola fu delli Scaccieri Cittadini di Pisa*.

(1) *Notis ad Odoricum Raynaldum ad annum* 1378. *n.* 102.

(2) *Col.* 1075. Confer item Marangonium *col.* 782., Troncium *pag.* 448., & Jacobum Arrostium *Croniche MSS. di Pisa fol.* 165. Exstant Pisis in publico Urbis Tabulario.

(3) Anonymus Pisanus *ibidem* „ a dì tre di Novembre lo ditto Cardinale „ di Pisa si partitte, e andonne a Roma con grande onore „.

ministrationem retinuit usque ad initium anni 1380., quam gessit primo per Jacobum *de Peccioli*, Rectorem Sancti Bartholomaei *de Henricis*, deinde per Lutum de Soleria Canonicum Lunensem Vicarios generales; ut apparet ex veteribus monumentis (1), in quibus ipse Franciscus non Archiepiscopus, sed Administrator tantum Ecclesiae Pisanae appellatur.

Romae, aliisque in locis multa sustinuit pro Ecclesia munera, de quibus legendus est Augustinus Oldoinus (2). Decessit Assisii die 6. Februarii anno 1395., ejusque corpus Pisas delatum, collocatum est in marmoreo tumulo, quod una cum sequenti inscriptione in Ecclesiae principis Sacrario adhuc conspicitur:

Sepulcrum Francisci Moricotti Cardinalis S. R. E.
Vicecancellarii, Patriaeque Archiepiscopi
Obiit MCCCXCV. Pisano.

Francisco hanc Ecclesiam gubernante missus est Pisas sub anno 1370. a Romano Pontifice Lucius, tunc Episcopus Caesenae, qui cum deprehendisset, ex decem, & septem Canonicis, qui eo tempore insigne Pisanum *Capitulum* componebant, septem tantummodo Ecclesiam frequentasse, ceteros abfuisse, sanctissimis legibus constitutis in meliorem formam idem *Capitulum* redegit, quemadmodum ex illius aetatis monumentis apparet, judice Troncio (3).

XLVIII. BER-

(1) Ex Tabulis anno 1380. die 4. Januarii in Archivo secreto *T. XI. n.* 1372., & ex Libro MS. in Archivo publico Archiepiscopii cui titulus: *Collationes Beneficiorum ab anno* 1377. *ad* 1383. *num.* 3. *fol.* 35., ubi habetur, quod Franciscus anno citato 1380. die 20. Martii hanc Ecclesiam adhuc administrabat.

(2) *T. II. Additionum ad Ciaconium col.* 636.

(3) *Annali Pisani pag.* 436.

XLVIII. BERNABOS MALASPINA.

Vehementer optabant Proceres Pisani, ut Francisco subrogaretur Hugolinus Malpilius hujus Ecclesiae *Primatialis* Canonicus; quocirca per Guidonem filium Raynerii Macigna Urbanum VI. rogarunt, ut eundem Hugolinum in Archiepiscopum eligeret (1). At Summus Pontifex eis praefecit Bernabonem Malaspinam ex Marchionibus *de Fosdenovo* a Thoma Dempstero perperam Bernardum vocatum. De anno, quo factum id' est non conveniunt Auctores; nam Ughellius (2), Orlendius, Cardosius asserunt accidisse anno 1378.; Troncius autem anno sequenti, quo, ut ille ait, nuntium remisit Franciscus dignitati Archiepiscopali. Mea opinio est, Bernabonem creatum fuisse Pontificem Pisanum anno communi 1380. sub mensis Martii finem; nam die hujus mensis 20. Ecclesiam adhuc administrabat Franciscus, ita uti supra dictum est. Novus Archiepiscopus antea ab anno 1370. regebat Ecclesias Hadrianensem, & Pennensem in Aprutio (3), non verò Lunensem, quod asserunt Anonymus Pisanus (4), & Arrostius (5).

Pisas accessit die 12. mensis Aprilis anni citati 1380. teste Anonymo laudato, qui per ea tempore vivebat: nec obstat, quod hic de Bernabonis adventu mentionem faciat ad posterum annum; etenim nostrum *Auctorem ubique peculiarem aeram Pisanae Urbis sectatum fuisse* in annis numerandis observat doctissimus Muratorius (6). Ex eodem Anonymo erudimur qua magnificentia Bernabonem receperunt Pisani; *a dì* 12. *Aprile*, inquit, *entrò nella Città*

(1) Troncius *pag.* 450.
(2) *Tom. I. col.* 1149., *& in Archiepiscopis Pisanis*.
(3) Vide Ughellium *T. indic.*
(4) *Col.* 1077.
(5) *Opere citato fol.* 170.
(6) *Praefatione ad eundem Auctorem pag.* 972.

l'Arcivescovo di Pisa eletto dal Papa .... e fulli fatto grande onore, che li Anziani con molti Cittadini, e col Podestà, e Capitano di popolo, e tutti li Uffiziali, e la masnada tutti a cavallo li andorno incontro fuor della porta a San Marco, e tutta la Chericia di Pisa con le Croci (1). Diffusius haec narrat Marangonius (2) dicens: „ per essere stato fatto Cardinale lo Arcivescovo di „ Pisa, e aver avuto più altri Benefizj, fu conferito „ l'Arcivescovado a un altro, e così consecrato el so„ pradetto Arcivescovo venne a Pisa per pigliar il pos„ sesso, e giunse alli 12. del mese d' Aprile. Saputosi „ in nella Città, non si mancò nè in publico, nè in „ privato, che e' non si facessi tutto quello onore che „ meritava un lor Pastore. Furono fatti apparati alla „ porta a San Marco, dove sua Signoria aveva a entra„ re, ed il simile per buona parte della Città. Fu or„ dinato un baldacchino molto onorato, sotto el qua„ le doveva entrare in la Città. Gli andò incontro al„ la porta tutto il Clero, e tutte le Religioni, e così „ vi andorono li Signori Anziani, Capitano, Podestà, „ e Messer Pietro con la masnada, con tutti li Uffizi „ della Città, e dipoi tutto 'l popolo a farli onore. „ Stettono serrate le botteghe e così raunato tutto 'l „ popolo alla porta a San Marco, entrò nella Città in „ sun un bel Caval bianco, e in questo modo andò „ per la Città infino alla Chiesa maggiore del Duomo, „ dando la benedizione per la Città. In molti luoghi „ erono ordinati suoni di diverse sorti, e dove giugne„ va l' Arcivescovo, s'avviavano innanzi, e l'accom„ pagnavano con quei suoni. Giunto che e' fu al Duo„ mo, e fatta ogni cerimonia, fu accompagnato al suo „ Palagio, dove era provvisto d'ogni bene, ancora che „ di più el Commune lo presentassi in infinite cose,

(1) *Ibidem.* (2) *Col.* 786.

„ come è pane, vino, legna, cera, confezioni d'ogni „ sorta di bene in quantità, e meritamente per essere „ Pastore della loro nobil Città „.

Per septem menses gregem sibi commissum gubernavit, quippe qui obiit die mensis Novembris septima totius Pisani populi moerore, qui magna frequentia adfuit exequiis solemniter eidem celebratis: *alli 7. del mese di Novembre*, ita Marangonius laudatus de Bernabone differens, *passò da questa presente vita la bona memoria dell' Arcivescovo di Pisa, il quale fu sepellito in nella Chiesa maggiore di Pisa con grand' onore, alla quale sepoltura concorse tutta la Città come a Padre universale di tutti. Furonvi tutte le Religioni, e tutti e' Preti eziam del Contado, e fecesi un bellissimo sermone in sua laude* (1). Ad ejus sepulcrum hæc rudis inscriptio posita fuit:

Ex nobilibus de Fosdenovo venerabilis olim Canonicus Sarzanae, postea Ecclesiae Antistes Atriensis Sedis, & idem Pennensis Minister, & tandem Pisanus Archiepiscopus, is pater, & dominus ingens fuit Bernabos inclusus tumulo, qui . . . . . quique in eodem Archiepiscopatu decessit MCCCLXXXI. Pis.

Postremum verbum *Pisano* non legitur in inscriptione apud Ughellium; quod in caussa fuisse reor, cur vir eruditissimus Bernabonis mortem ad annum communem 1381. retulerit.

XLIX. LOTTUS GAMBACURTA.

Mortuo Bernabone Petrus Gambacurta statim ad Summum Pontificem scripsit eum orans, ut Lottum nepotem suum dignitate Archiepiscopali cohonestaret. Quandoquidem Petrus ipse apud Cives Pisanos plurimum au-

(1) Op. cit. col. 788. Confer item Anonymum laudatum col. 1078.

auctoritate valebat, multosque numerabat amicos, Urbanus VI. non potuit, quin illius satisfaceret desideriis (1). Itaque accedentibus etiam Canonicorum, & reliqui Cleri obsecrationibus gravissima dignitas tributa est Lotto ex Gerardo Petri laudati Germano fratre nato, Canonico Pisano, Notario Pontificio, & Ecclesiae Pisanae S. Georgii Teutonicorum *Rectore* (2), qui cum nondum explesset vigesimum secundum aetatis suae annum, ideoque Episcopus consecrari non posset, a legibus Ecclesiasticis solutus est. Sunt in secreto Tabulario hujus Archiepiscopii (3) Summi Pontificis hac de re litterae scriptae anno communi 1381. die mensis Januarii quarta, ex quibus apertè constat, multa peccare Ughellium narrantem, quod Lottus *a Capitulo die 7. Aprilis 1382. designatus Archiepiscopus . . . . . annuente deinde Pontifice Urbano VI. ritè Pisanus Archiepiscopus renuntiatus est 5. idus Septembris.*

Roma, quo concesserat, ut Archiepiscopus consecraretur, post 28. diem mensis Martii (4) Pisas reversus novi muneris possessionem iniit die 7. Aprilis; die verò Paschatis, quae fuit 22. ejusdem mensis primam Missam in Ecclesia *Primatiali* celebravit (5), deinde, teste Jacobo Arrostio (6) *montò sopra un cavallo bianco coperto di zendado, e lui con la Mitria in testa vestito Episcopalmente andò per la Città dando la benedizione con gran trionfo, e con gran compagnia e lui dietro a cavallo, cioe gl' Anziani con il popolo di Pisa, e avanti la Chericia*

O 2 *con*

(1) Vide Anonymum citatum *ibidem*, & Marangonium *col.* 789.

(2) Ex libro, cui titulus: *Collationes Beneficiorum ab anno* 1377. - 83. *fol.* 58.

(3) Vulgabuntur *in Appendice Monumentorum*.

(4) *In Actis Extraordinariis n.* 20. *litt. V. fol.* 8. ea die Jacobus de Peccioli dicitur Vicarius *Capituli Pisani Ecclesiae Pisanae praesentialiter Pastore vacantis*.

(5) Vide Anonymum Pisanum *col.* 1078. Marangonium *col.* 789., & Jacobum Arrostium *Croniche di Pisa MSS. fol.* 172.

(6) *Ibidem*.

con Preti, e Frati con la Croce avanti a processione; & a Cavallo con un palio di drappo di seta, e lo portavano otto Cittadini grandi, e giovani Mercanti, e Gentiluomini, e si posò all' Arcivescovado. Eodem anno die 21. mensis Maji Urbanus licentiam concessit Lotto, ut Pallium accipere posset ab Episcopis Lucensi, & Massano (1).

Patres Carthusianos in amoenissima Valle Calcia sexto circiter ab Urbe Pisis lapide habitantes dilexit; hinc in eorum Asceterio cubiculum quoddam construxit, in quo fortassis etiam, etsi ad bella potius, quam ad sacra gerenda inclinatus esset, commorari aliquando solebat, quemadmodum non obscure indicat sequens inscriptio supposita Gambacurtarum stemmati in eodem cubiculo:

Cella Domini Lotti de Gambacurtis Archiepiscopi Pisani.

Anno 1385. die 25. Novembris regimen Ecclesiae (2) S. Petri, Constantinopoli positae, cujus Pontifex Pisanus patronus erat, commisit Fratri Antonio Lucensi oriundo a Pera Episcopo Phoceae Urbis Aeolidis apud ostia fluminis Hermi in Asia minori sub Archiepiscopo Smyrnensi (3). Anno sequenti mense Majo una cum Vicario suo Fratre Simone a Cascina Ordinis Praedicatorum Sacrae Theologiae Magistro composuit Gualterium Episcopum Sagonensem, & *Plebanum* Ecclesiae S. Raynerii de Pino, inter sese diffidentes, quoniam Gualterius ipse illius electionem ratam habere recusabat; & Salvinum Antistitem Aleriensem litigantem cum quibusdam populis Paroeciarum *Plebi* Sancti Joannis *de Regno*

(1) Ex litteris in Tabulario Archiepiscopii *T. XI. n.* 1393.
(2) *Acta citata fol. 66.*
(3) Hujus Urbis, ejusque Episcoporum meminit Lequienius *T. III. Orientis Christiani col.* 1078., sed Antonium Lucensem praetermittit.

gno ſubiectarum, quos adigere volebat ad eandem *Plebem* reſtaurandam (1).

Lottus memoratur quoque in inſcriptione inſculpta lapidi, qui olim affixus erat domui ſitae in loco *Filettole*, nunc autem ſervatur Florentiae in Muſeo Antenoriano. Inſcriptio laudata, quam ab eruditiſſimo Sebaſtiano Donato accepi, eſt hujuſmodi:

✠ *Hoc opus*		*factum eſt*
Tempore Reverendi		*in Chriſto Patris*
Et Domini Domini Lotti	{ Heic Stemma gentilitium. }	*de Gambacurtis*
Archiepiſcopi Piſani		*Anno Domini M*
CCCLXXXVIIII.		*Indictione XII...*

Archiepiſcopo noſtro Eccleſiam Piſanam regente, factio *Raſpantium* Piſis antea ejecta, aliique Ghibellini, inprimiſque Jacobus Appianus perſuaſionibus Ducis Mediolani, qui eos tuebatur, permoti, conjurarunt de interficiendo Petro inter Gambacurtas potentiore, quem die 21. Octobris anno 1392. una cum Benedicto, & Laurentio filiis per inſidias barbarè occidit idem ipſe Jacobus (2); quod non modicam perturbationem, & moerorem Piſis effecit (3). Hujus tragicae ſcenae cauſſam fuiſſe crimina Lotti, ejuſque fratrum affirmat Andreas Redu-

(1) Confer *Acta laud. fol. 75. & ſeq.*

(2) Poggius Bracciolinius *Hiſtor. Florentin. lib. 3. ad ann.* 1392. *pag.* 121. *edit. Venetae* „ eodem anno, *inquit*, Jacobus Appianus auxilio Medio-
„ lanenſis innixus Petrum Gambacurtam virum egregium, paciſque
„ cupidum, a quo loco filii (quippe cui ſingula ſecretiora conſilia cre-
„ derentur) educatus, atque ex minimo (nam antea Notarius admo-
„ dum tenuis erat) ad magnum ſtatum perductus proditione interfecit;
„ duos quoque filios, qui in tumultu effugerant cum retracti eſſent occi-
„ dendos curavit: deteſtandum ſcelus, & in antiquis Siciliae Tyrannis
„ execrandum „.

(3) *In vita Beatae Clarae Piſanae cap. 4. pag.* 513. apud Bollandianos *T. II. Aprilis ad diem* 17. de die, quo Petrus interfectus eſt haec leguntur: *dies hic Piſis, dies turbinis, & procellae, dies moeroris, & amaritudinis fuit.*

Redusius *de Quero* Auctor synchronus his verbis: *factus est dominus Pisarum Petrus de Gambacurtis Civis Pisarum, qui demeritis Archiepiscopi Pisani Loti de Gambacurtis, & aliorum fratrum suorum occisus est cum filio a Jacobo de Plano* (de Appiano) *ejus Cancellario, & a filiis suis* (1). Et sanè Gambacurtarum familiam maxime Petrum invisum fuisse plerisque omnibus Civibus Pisanis non solum ob divitias, quibus affluebat, & potentiam in Republica, qua abutebatur, verum etiam ob Lotti ejus favore ad Archiepiscopatum evecti furorem, & effraenatam in Clerum violentiam nullus dubito; narrat enim Ughellius Archiepiscopum nostrum fuisse natura ferocem, atque superbum; & Anonymus Pisanus licet Gambacurtis addictus asserit, quòd ille *signoreggiò spiritualmente, e mondano fue troppo, e tenne la Chericia di Pisa in grandi affanni di poner loro di molte gravezze* (2).

Post infelicis Petri mortem Civitatis regimen occupavit Jacobus Appianus laudatus; quam ob rem Lottus noster cum omni Gambacurtarum gente Pisis aufugit, ne idem infortunium ac patruus offenderet. Testatur id verò Anonymus Pisanus, de Lotto sic loquens: *poi fue morto Messer Piero, e li figliuoli, & elli segretamente si partitte: che se elli fusse stato giunto, sarebbe stato tagliato a pezzi* (3): quod etiam confirmant Acta MSS. extraordinaria (4) in publico Archiepiscopii Tabulario servata, ex quibus manifestum est Lottum, volentem *Archiepiscopali Civitati Pisanae de idoneo Vicario salubriter pro-*

(1) *Chronico Tarvisino* apud Muratorium *T. XIX. S. R. Ital. col.* 807.

(2) *Col.* 1078. Idem asserit Marangonius *loc. cit.* Anonymus laudatus *col.* 1084. sic generatim scribit de novem Petri nepotibus „ e funno mala „ famiglia, e non voleano far nulla se non godere, & erano grandi „ consumatori, e aveano dal ditto Messer Piero ogni ajuto, e di molte „ provigioni dal Commune alla nascosa „.

(3) *Col.* 1078. Confer item Marangonium *col.* 789.

(4) *Num.* 4. *fol.* 19.

providere, qui vices suas gereret, *ne propter ipsius absentiam ab Ecclesia praedicta, ipsa Ecclesia, & Civitas Archiepiscopalis praefata in spiritualibus* damnum aliquod paterentur, anno 1393. die Junii 21. elegisse in Vicarium generalem Florentium de Salvis Placentinum Canonicum Pisanum, & Juris Pontificii Doctorem. Lottus autem eo tempore commorabatur Florentiae.

Fatetur Troncius (1) se nescire quando, & cur Lottus ipse Archiepiscopatum dimiserit. In monumentis Tabularii laudati (2) ille vocatur Pontifex Pisanus usque ad 13. diem mensis Junii anni 1394. Quocirca mihi inest opinio hoc anno dumtaxat nuntium remisisse dignitati Archiepiscopali cum die 9. Septembris creatus est Antistes Tarvisinus. Neque obstat, quod Anonymus Pisanus, & Marangonius (3) affirment, Lottum Ecclesiam Pisanam gubernasse undecim annis, & nonnullis mensibus; nam vel de illo tempore tantum loquuntur, quo Lottus per seipsum Ecclesiam rexit; vel in errorem lapsi sunt. Ideo vero, quantum intelligo memorata dignitate sese abdicavit, quoniam exilio multatus propriae Ecclesiae reditus exigere nequibat.

Ex tabulis ab Ughellio (4) vulgatis erudimur, Jacobum de Tarvisio Ordinis Praedicatorum Episcopum Tinarum, & Miconarum anno 1402. die 16. Februarii fuisse Lotti nostri Vicarium, & suffraganeum pro Sacris Ordinibus conferendis: hinc non plurimum fortasse fallar, si dixerim, Lottum ipsum post initam possessionem Ecclesiae Tarvisinae anno 1394. die undecima Novembris, quod vetus monumentum (5) aperte indicat; eandem Ecclesiam praesentia sua deseruisse. Cum enim bello gerendo potius, quam vitae Ecclesiasticae agendae deditus esset

(1) *Annali Pisani pag.* 475.
(2) *Folio* 134.
(3) *Ibidem*.
(4) *Tom. V. in Episcop. Tarvisinis col.* 563.
(5) Apud Ughellium *T. cit. col.* 560.

esset, arbitror in Etruria semper mansisse, ut modo Pisanos, modo Florentinos vexaret. Re quidem vera anno 1396. foedere inito cum Florentinis, & aliis Guelphis in ditionem Pisanam venit, ut dissidia in Republica concitaret, auxiliumque tulit Lucensibus, quorum regionem decursionibus vastare, & Urbem occupare minabantur Pisani (1); ad quod factum respicere censeo Andream Redusium (2) quando post narratam Petri Gambacurtae mortem haec verba subiicit: *Jacobus de Plano* (de Appiano) *factus est dominus Pisarum adversus quem processit adveniente tempore Episcopus Tarvisii Loth praedictus de Gambacurtis*.

Anno circiter 1405. in patriam revocatis Gambacurtis, illorumque factione *Bergolina*, ut Urbem defenderent contra Florentinos, qui eam emptam a Gabriele Maria ex Ducibus Mediolani obsederant, & occupare tentabant, Lottus etiam Pisas venit, annoque laudato exeunte ad flumen Corniae praelio dimicavit cum Sfortia de *Cotiniola*, exercitus Florentinorum ductore, a quo Pisanorum copiis dissipatis, pluribusque captis, maxime Abbate Monasterii Sancti Paulli *de Ripa Arni*, Lottus item captus fuisset, nisi ope velocissimi equi Massam Veternensem sese recepisset (3). Verum cum Gambacurtae Pisanorum res in deterius ruere viderent, agere coeperunt

(1) Confer Troncium *pag.* 477., & Petrum Boninsegnium *Historie Fiorentine lib.* 4. *pag.* 738.

(2) *Loco citato*.

(3) Adeundi Petrus Buoninsegnius *lib. cit. pag.* 796., & Paullus Troncius *pag.* 497. Scipio Ammiratus *Historie Fiorentine T. II. part.* 1. *lib.* 17. *pag.* 921. qui de bello hoc fusè agit, non ait, in eodem pugnasse Lottum Episcopum, sed hunc tamen iis temporibus Florentinis infestum fuisse aperte indicat ubi de Legatione Petri Strozzi ad Senenses loquitur: *doveva anche lo Strozzi rappresentare a' Senesi, che contra la pace davano calore a Giovanni Gambacorti, e agli altri, che ritenevan Pisa alla Repubblica, la quale per far vedere a' Senesi, che si sapevano le loro trame dette allo Strozzi una lettera di Lotto Gambacorti Vescovo di Trevisi perchè la mostrasse loro*.

runt cum Florentinis de tradenda eis Urbe, quod factum est anno 1406. die mensis Octobris 3.; ab eoque tempore Pisani, *qui ante ceteris imperare soliti erant, alterius imperio parere coacti sunt* (1). Principem proditionis auctorem fuisse Lottum scribit Andreas Redusius: *Loth de Gambacurtis Episcopus Tarvisii, & ante, & post Archiepiscopus Pisarum, & Joannes frater ejus Civitatem Pisarum quam de manibus illorum del Plano, atque Vicecomitum Mediolani abstulerant avaritia ducti non tanquam Cives, sed tanquam patriae suae hostes illam vendiderunt Florentinis inimicis capitalibus ab antiquo Pisanorum* (2). Fortassis Redusius in Lottum nostrum praesertim Pisarum proditionem refert, quoniam, ut narrat Petrus Buoninsegnius, Lottus ipse pactum fecit cum Matthaeo Castellano de danda in manus Florentinorum Urbe: *essendo così stretta, & affamata la Città di Pisa vennono nel Campo uno fratello del Signore* (Joannis), *che già ne fu Arcivescovo, & uno altro de Gambacorti a parlare a messer Matteo di Michele di Vanni Castellani, dicendoli volersi patteggiare, & dare la Città* (3). Sed Ginus Capponius, Joannes Cambius, Matthaeus Palmerius, Leonardus Aretinus, Poggius Bracciolinius, Bernardus Oricellarius, aliique graves Scriptores, qui vel per ea tempora, vel non multo post Pisarum occupationem, ceterasque res in Etruria gestas posterorum memoriae mandarunt, proditorem dicunt Joannem Lotti fratrem, qui Civitatis regimen sibi usurpaverat; & ipsius Joannis Legatos, qui de proditione cum Florentinis egerunt, Gasparem Vajanensem, & Bindum de Brachis Cives Pisanos (4).

(1) Poggius Bracciolinius *op. cit. lib.* 4. *pag.* 175. *edit. Venetae*.

(2) *Op. indic. col.* 820.

(3) *Lib. cit. pag.* 801. Idem asserit Sozomenus Pistoriensis *in specimine Historiae T. XVI. S. R. Ital. col.* 1188.

(4) Ginus Capponius *Commentari della presa di Pisa* apud Muratorium *T. XVIII. S. R. Ital. col.* 1138. „ Per messer Giovanni veniva sulla mez-
„ za

legitur: *Reverendo in Christo patre, & domino Fratre Marco Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopo Marsicano existente Vicario praefati domini* (Joannis) *Archiepiscopi, ut constat per chartam rogatam a Ser Antonio Notario filio Gardonis de Calci Notario, & Scriba publico Archiepiscopalis Pisanae Curiae anno Incarnationis Dominicae MCCCLXXXXV. Indic. III. die XI. mensis Novembris*. Ughellio teste *fuit Joannes omnium scientiarum genere optime eruditus, ac prudentia praeditus, insignisque in Ecclesia Dei Praesul*, eumque non modo Cives Pisani, sed Respublica etiam Florentina multum dilexit.

Non dubito quin Joannes sit Archiepiscopus ille Pisanus, quem una cum Pontificibus Arborensi, ac Turritano Bonifacius IX. anno 1400. calendis Februarii patronum instituit bonorum ad Monachos Casinenses in Sardinia spectantium (1); nam Joannem ipsum ad memoratum annum usque spiritum duxisse asserunt Ughellius, Troncius, Cardosius, Abrahamius, Orlendius, & Martinius, quod ex veteribus etiam monumentis apertè liquet. Extat in secreto Archiepiscopii Tabulario (2) charta scripta *Dominicae Incarnationis millesimo quadringentesimo .... vigesimo Februarii cursu Pisano*, in qua Marianus de Vecchiano, & Bartholomaeus de Lambardis Canonici Pisani dicuntur Vicarii *pro Pisano Capitulo Cu-*

citatis, ineunte anno 1397. eodem munere fungebatur Florentius antea memoratus; & anno 1398. mense Junio, biennoque post die 30. Martii erat Vicarius Julianus Pisanus Ordinis Minorum Archiepiscopus Tarsensis, quod apparet ex Libro cui titulus: *Executiones Testamentorum num.* 21. *litt. X.*, nec non ex Actis Extraordinariis *num.* 31. *fol.* 72. in Archivo secreto Archiepiscopii. Fortassis cum Bonifacius Episcopatu Marsicano eum privavit, quod partes Benedicti XIII. Antipapae sectatus fuerit, quemadmodum refert Ughellius, idem ipse Pontifex curavit, ut officio etiam Vicarii ob eandem rationem privaretur.

(1) Apud Gattulam, *par.* 2. *Accessionum ad Hist. Abbat. Casin. pag.* 495.

(2) *Tom. XII. num.* 2465.

Curiae Archiepiscopalis Pisanae Sede vacante. Eandem chartam, qui notas chronologicas in postica ipsius parte apposuit refert ad annum 1400.; quod si verum esset, affirmandum foret, Joannem Gabriellium eo die jam obiisse. Sed laudata charta ad posteriora tempora spectat, nec verus annus legi in ea potest quoniam corrosa est. Etenim diem emortualem Joannis fuisse 25. mensis Junii anni communis 1400. compertum mihi est ex perspicuo monumento paullo post exhibendo. Tumulatus est in Ecclesia principe juxta Ferdinandum Ughellium, seu potius in Campo Sancto juxta Paullum Troncium. Hoc est Epitaphium, quod Joannis sepulcro incidere statuerant ejus nepotes, quodque inter schedas Martii Milesii se invenisse testatur Ughellius memoratus:

D. O. M.

Joanni Gabriello Pontremulensi
Viro nobili, omniumque virtutum genere
Cultissimo
Quem ob singularem fidem animique candorem
Bonifacius IX. Pontifex Maximus Massanae Ecclesiae Episcopum fecit
Mox in Poloniam, & Lituaniam ad Ladislaum Regem, Equitesque Theutonicos
Legatum misit
Legatione feliciter obita ad Metropolitanam Ecclesiam Pisanam evexit.
Desiit esse omnibus eximie charus anno reparatae Salutis MCCCC.
Gentiles ejus PP.

LI. LUDOVICUS I. BONITUS.

Agrigenti in Sicilia clarissimo genere in lucem susceptus est, sed ab Urbe Scala oriundus. Archiepiscopus Panormitanus anno 1383. creatus, post novem annos Martinus ex Regibus Aragonensibus, qui in Siciliam venerat, & Manfredum Claromontensem, cui Urbanus VI. Ludovicum nostrum commendaverat, oppresserat, ipsum pepulit in exilium. Itaque abdicavit se Archiepiscopatu

Pa-

Panormitano, & factus est Pontifex Ecclesiae Antibarensis in Albania, a qua post tres annos transiit ad Thessalonicensem, deinde anno 1399. nonis Septembris ad Bergomensem.

Ne integro quidem anno eandem Ecclesiam gubernavit; nam defuncto Joanne Gabriellio, a Canonicis Pisanis anno communi 1400. die 18. Julii, cunctis suffragiis (1) renuntiatus est hujus Ecclesiae Pontifex. Ferdinandus Ughellius, cujus vestigiis insistit Paullus Troncius

(1) „ In nomine Domini amen. Sanctissimo, ac Beatissimo in Christo patri, & domino nostro domino Bonifacio Divina providentia Sacrosanctae Romanae, ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, almoque patri dignissimo Michael de Vico, Simon Jeremias, Bonaccursus de Barba, Nicolaus de Rilione, Nicolaus de Gallis, Antonius Zimbardi, Joannes de Vico, & Laurentius Rosselmini Canonici, & Capitulum Ecclesiae Pisanae sui humiles filii, & devoti cum omni reverentia devotissima pedum oscula beatorum &c. Cum propter vacationem diuturnam Ecclesiae pastorum solatiis destitutae gravia in spiritualibus, & temporalibus dispendia patiantur, conditores Canonum deliberatione provida consueverunt statuere, ut ultra tres menses vacare non debeant Ecclesiae Cathedrales. Defuncto igitur praesenti anno, & die 25. mensis Junii proxime praeteriti recolendae memoriae Joanne quondam Archiepiscopo Pisano, & ipsius corpore cum reverentia tradito Ecclesiasticae sepulturae, ne ipsa Ecclesia viduitatis suae incommoda diutius deploraret, fuit a praesentibus Canonicis hodierna dies cum continuatione sequentium commoditer assignata. Citatis autem absentibus, & convenientibus in termino suprascripto ad Capitulum Pisanum omnibus Canonicis, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, statim nullo alio interveniente tractatu, subito, & repente Spiritus Sancti gratia, ut firmiter credimus, inspirati omnes nullo penitus discrepante in Reverendum in Christo patrem, & dominum dominum Ludovicum Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopum Pergamensem direximus vota, & jura, virum utique providum, & discretum, literarum scientia, vita, & moribus merito commendandum, in Sacris Ordinibus, & aetate legittima constitutum, ac de legittimo Matrimonio procreatum, nec non in spiritualibus, & temporalibus, ut plurimum circumspectum; & cum una voce, ac uno spiritu in nostrum, & Ecclesiae Pisanae postulamus Archiepiscopum, & Pastorem. Ea propter Sanctitati vestrae, tam devote, quam humiliter voto unanimi supplicamus, quatenus electionem eandem sic solemniter, sic canonicè celebratam dignemini confirmare, ut Deo auctore nobis, & toti Pisanae Dioecesi velut Pastor idoneus „ praeesse

cius (1) Ludovici electionem refert ad 15. mensis Novembris diem. Sed tunc fortassis electio a Canonicis facta rata habita est a Bonifacio XI.. Tametsi cum Guido de Octorenghiis Foroliviensis die 20. mensis Decembris dicatur Vicarius generalis *Archiepiscopalis Pisanae Curiae pro parte Capituli Sede vacante* (2); affirmare pertinaciter nolo, id verum esse quod ajunt memorati Auctores. De Antistite nostro primum fit mentio in Archiepiscopii tabulis (3) ad annnm 1401. die 8. Februarii, ubi legitur, hanc Ecclesiam rexisse per Guidonem laudatum, Vicarium suum; hinc verisimillimum puto, mense Decembri exeunte, vel ineunte Januario electionem, quam fecerant Canonici, confirmatam fuisse, aut saltem ipsum Ecclesiae suae possessionem iniisse.

Fal-

„ praeesse valeat utiliter, & prodesse; nosque, & alii ejus subditi sub „ ipsius regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ceterum ut „ Beatitudo vestra cognoscat, vota nostrum omnium in praedictis om- „ nibus, & singulis concordare, ac in petitione hujusmodi existere „ unanimes, & concordes praesentis postulationis nostrae decretum „ Sanctitati vestrae transmittimus nostris quidem juxta statuta nostra „ Canonica roboratum propriis manibus, ut sequitur, & subscriptum; „ quod etiam ad majorem cautelam per Ser Antonium de Calci Nota- „ rium nostrum publicum infrascriptum in formam pubblicam redigi „ fecimus, & sigillo nostri Capituli, ac nostris propriis sigillari. Da- „ tum, & actum Pisis in nostro Pisano Capitulo praesentibus Presby- „ tero Joanne Pieri, Presbytero Joanne Firmiani, & Presbytero Bar- „ tholomaeo Betti Cappellanis in Pisana majori Ecclesia testibus ad „ praemissa vocatis specialiter, & rogatis; Dominicae Incarnationis „ anno MCCCCI. Indic. 8. die 18. Julii secundum consuetudinem Pi- „ sanam, Pontificatus sanctitatis vestrae anno XI. „

„ Ego Michael de Vico Canonicus Pisanus praedictis interfui, & in „ dictum dominum Ludovicum consensi, ac manu mea propria me „ huic decreto subscripsi. „

„ Ego Simon &c. „ Extat hoc monumentum in Archivo Capituli Pisani apud Octavium Angelum Abrahamium *T. III. cap.* 3. *pag.* 27. *Operis MS. cui titulus*: Pisanae Primatialis Dignitatum, ac Praebendarum omnium descriptio &c.

(1) *Pag.* 490.

(2) Vide *Acta MSS. citata n.* 4. *fol.* 107.

(3) *T. XII. apographorum num.* 2470.

Falluntur tamen Ughellius, ac Troncius, quique eos sequitur, Oldoinus (1), dum ajunt, Ludovicum numquam Pisas accessisse. Mihi enim compertum est, anno antea citato die 26. Aprilis ab Ecclesiae Pisanae subiectis consuetum sacramentum per seipsum accepisse (2); die 4. Maji mandasse Canonicis, ut examinarent, an utile esset Monasterio S. Paulli *ad Hortum* bona quaedam permutare, quemadmodum facere optabat Antonius Fantini ejusdem Monasterii *Prior* (3). Affirmare sane non ausim, toto sexennio, quo Archiepiscopus Pisanus fuit, in hac Urbe mansisse, quamvis exploratum sit, Pisis versatum esse anno communi 1406. mense Februario, & Aprili (4).

Hoc ipso anno Ecclesiae Pisanae nuncium remisit, coactus (5) ab Innocentio VII., qui fortassis ad id impulit Antistitem nostrum rogatus a Florentinis, summopere optantibus, ut ei succederet Alamannus Adimarius illorum Civis. His certè temporibus magnam necessitudinem Florentini habebant cum Summo Pontifice, cujus nepos Ludovicus, quem ille valde amabat, erat ipsorum exercitus ductor (6). Regendam igitur suscepit Ecclesiam Tarentinam, quam cum gubernaret missus est ab Innocentio Legatus ad Ladislaum Regem Neapolis; & anno 1408. a Gregorio XII., cujus partibus semper favit, in Cardinalium numerum adscitus est titulo Sanctae Mariae trans Tiberim. Ad Concilium Constantiense petens decessit Arimini anno 1413. die mensis Septembris 13. Sepultus est in medio Ecclesiae S. Francisci,

(1) *T. II. vitarum Pontif.*, *&* *Cardinal. col.* 767.
(2) Confer librum inscriptum : *Instrumenta juramentorum fidelitatis*. Est in Archivo secreto.
(3) Ex libro, cui titulus : *Collationes*, *Confirmationes*, *uniones &c. num.* 4. *fol.* 53.
(4) *Ex hoc ipso libro*.
(5) Troncius *pag. cit.*, Ughellius, & Oldoinus.
(6) Consule Troncium *pag.* 497.

sci, ubi in marmore conspicitur ejus effigies, & vetus inscriptio relata ab Ughellio, & Pirro (1). Oldoinus alteram item inscriptionem exhibet, quam legi ait in Ecclesia principe Amalphitana; ac est hujusmodi:

Ludovico Boneto S. R. E. Cardinali
Inclyta progenie conspicuo
Panormitanae, Antibarensis, Thessalonicensis,
Bergomensis, Pisanae, ac Tarentinae Ecclesiae
Antistiti
Ab Innocentio VII. Neapolim Legato
Ad Ladislaum Regem misso
A Gregorio XII. Legatione obita
In Purpuratorum Patrum Collegium
Cooptato
Arimini vita functo anno MCCCCXIII.
Idibus Septembris
A Cardinali Ragusino funebri oratione laudato
Marmoreo tumulo ibidem in Ecclesia S. Francisci
Quiescenti Gentiles ejus
P P.

LII. ALAMANNUS ADIMARIUS.

Alamannus (2) patrem habuit Equitem Philippum Equitis Alamanni Adimarii filium, Matrem verò non quidem nobilem foeminam ex familia Forteguerra, ut nonnulli (3) litteris consignarunt, sed Selvaggiam Albertini de Advocatis, consortibus nobilissimae Florentinae gentis Ughae; cujus genitrix fuit Lisa Andreae Tingo de Bardis. Ortus item est ex hoc conjugio Eques Silvester Boc-

(1) T. I. *Siciliae Sacrae not. Ecclesiae Panormitanae col.* 163., *& seq. edit.* 1733.
(2) Hanc Alamanni vitam, quam scripsit clarissimus Salvinus Salvinius Florentinus, ego latine reddidi, eique nonnulla adieci ab ipso praetermissa.
(3) Ughellius nimirum, & Oldoinus *op. cit. T. II. col.* 799.

Boccatii olim Canonici nostri genitor, qui Elisabeth procreavit Bernardi Corbinelli uxorem, & matrem Magdalenae, quae in matrimonium ducta ab Antonio Gondio avia fuit Alberti Ducis Regiensis Paris, & praefecti Castrorum in Gallia, ut legitur in Historia domus Gondiae recenter Parisiis edita. Nepos fuit Alamannus noster Canonici Boccatii Adimarii. Post obtentum Doctoris in utroque Jure nomen, & insignia, adeptus est Ecclesiam Sancti Stephani de Modigliana, Praeposituram oppidi Sancti Geminiani, dignitatemque Prothonotarii Apostolici anno 1396. die postrema mensis Novembris in Episcopio Florentino, ut constat ex tabulis ab Antonio Jacobi a S. Paullo confectis, & in Archivo generali servatis (1).

Scipio Ammiratus in familiarum Neapolitanarum Historia loquens de Antonio Cajetano Patriarcha Aquilejensi, Episcopo Fesulano, & Cardinali, inquit, hunc anno 1398. quarta die mensis Decembris elegisse Alamannum Adimarium Prothonotarium Apostolicum in procuratorem suum, ut e sacro fonte susciperet nomine suo filiam, nescio quam, Equitis Donati Acciajolii.

Creatus postea est Adimarius Episcopus patriae nostrae anno 1400., ut inferius videbimus; & anno veniente translatus fuit die 22. Decembris ad Archiepiscopatum Tarentinum, deinde anno 1406. tertia mensis Novembris die ad Ecclesiam Pisanam (2), quo tempore *Re-*

(1) Teste Joanne Baptista Cantalmajo *Sinaxi Auditorum Sacr. Rot. Rom. pag.* 4. *& seq. edit.* 1640. munus item gessit Romae Auditoris, ut ajunt, Sacrae Rotae; quo tempore, ut prodit Augustinus Fontana *Bibliotheca Legali vol.* 1. *par.* 1. *col.* 5. quasdam Decisiones conscripsit, quae publicatae fuerunt in collectione Decisionum ejusdem Sacrae Rotae.

(2) Florentini, qui probe videbant, ipsorum Reipublicae utilissimum esse, Pisas recenter occupatas non modo quod ad res politicas, sed etiam Ecclesiasticas attinet a Florentino Cive administrari, in id statim intea-

Referendarii etiam Apostolici honore decoratus erat.

Alamanno hanc postremam Ecclesiam gubernante, convocatum est Concilium generale Pisanum (1) ad tollendum perniciosum schisma tunc in Ecclesia Romana

Q 2 na-

tenderunt animum, ut in Archiepiscopum Pisanum eligeretur Alamannus, cui pariter auctoritatem concesserunt res publicas curandi, quod aperte innuit Ammiratus *Historie Fiorent. lib.* 17. *pag.* 937. *ad annum* 1406. dicens: *ad Alamanno Adimari figliolo di Filippo fu dato l' Arcivescovado di Pisa, e ogni altra cosa fatta, che per conservazione di quello Stato fu allora da quei Cittadini, che reggevano giudicata necessaria*; hinc Alamannus ipse Pisas veniens, etsi nondum Ecclesiae suae possessionem iniisset, multa constituit, quae ad rectam Civitatis, ejusque ditionis gubernationem conferre existimabat: *a dì . . . di detto* (mensis Novembris) *si riformò la Città, el Contado di Pisa per Messer Alamanno di Messer Filippo Adimari*; ita legitur in Diario MS., quod est in Bibliotheca Magliabechiana. *Classe* 25. *num.* 17., ubi statim haec alia habentur verba: *a dì . . . . di detto si prese la tenuta dell' Arcivescovado di Pisa per Messer Alamanno Adimari*. Non dubito, quin Alamannus spatio fere quinque annorum, quibus Ecclesiam Pisanam gubernavit, multa pro eadem fecerit, sed ex monumentis tabulariorum hujus Archiepiscopii non apparent. Ex Libro inscripto *Collationes, Confirmationes &c. litt.* E. *num.* 5. *fol.* 12. id unum constat, scilicet Ecclesias S. Michaelis de Castro veteri, S. Martini de Cesari, & S. Michaelis de Contrino antea simul junctas, anno 1407. die 27. Maii conjunxisse cum *Plebe* S. Joannis de Camajano, cujus reditus ita tenues erant, ut satis non essent ad *Plebani* substentationem.

(1) Cum Vexillifer, & *Priores Artium* Urbis Florentinae incassum hortati essent Gregorium XII. ad Pontificatum dimittendum, tandem decreverunt ab ejus obedientia sese subtrahere; quod utrum liceret, nec ne, idem Vexillifer, & *Priores* examinandum commiserunt pluribus Episcopis Etruriae, aliisque Ecclesiasticis viris convocatis *in Palatio residentiae domini Episcopi Florentini*. Eos inter fuit Alamannus noster, qui Concilii Actis apud Martenium *T. VII. veter. Scriptorum, & monument. col.* 937. *seq.*, & apud Mansium *T. III. Supplementi ad Concilia Veneto-Labb. pag.* 1165. his verbis subscribit „ Ego Alamannus Ar„ chiepiscopus Pisanus omnia suprascritta approbo, & confirmo, ideo „ propria manu me subscripsi, & signavi meo sigillo secreto „. De anno, & die, qua Concilium hoc habitum est erudimur ex Sozomeno Pistoriensi teste oculato *in specimine Historiae* apud Muratorium *T. XVI. S. R. Italic. col.* 1193. ita scribente: *anno MCCCCIX. a Nativitate, Florentini die VII. Februarii inducti a Cardinalibus, qui erant Pisis, & ab Oratoribus Regis Franciae, & a multis aliis, existente Vexillifero justitiae Bartholomaeo Taldi Valoris, subtraxerunt obedientiam Papae Gregorio XII. praedicto, congregatis in Episcopatu Florentino omnibus Praelatis, & Doctoribus Civitatis, & locorum eis subiectis; praecipiendo omnibus, quod ei non obediat aliquis, positis gravissimis poenis*.

natum (1). Hujus celebrationi initium datum est die 25. Martii anni 1409., finis verò impositus die 7. Augusti ejusdem anni, in eoque creatus tandem legittimus Summus Pontifex Petrus Philargus Candiensis, qui fuit Beatus Alexander V. corona splendidè insignitus in Ecclesia Primatiali Pisana die 7. Julii. In maxima quadam collectione Veterum sigillorum aeneorum, facta ab Archidiacono Aloysio Stroctio, & apud haeredes suos servata, vidi ego tria sigilla autographa Concilii Pisani, quibus incisa est Columba, duos olivi ramos alterum in ore, alterum inter pedes tenens, & in unoquoque horum sigillorum una ex his inscriptionibus legitur: *Pacis, & finium tutela. Pax, & veritas Senatoribus. Pax, & defensio libertatis.*

Joannes XXIII. misit Adimarium Legatum in Galliae (2) Regnum, ubi meritò, ac jure Purpuram Cardinalitiam accepit, die 6. Julii anno 1411., quo Archiepiscopatu Pisano se abdicavit. Inter caetera quae ipse gessit, permisit Monachis Coelestinis illius Regni, ut Ecclesias omnes, quas ibi possidebant Sacras facere possent, cujus facultatis memoria est in Martyrologio Gallicano his verbis expressa: *Dedicatio omnium Ecclesiarum Ordinis Coelestinorum per universum Franciae Regnum hodie celebrata ex indulto Alamanni Cardinalis Presbyteri tituli S. Eusebii Pisani nuncupati Apostolicae Sedis* de latere *in Francia Legati.* Cum

(1) Schisma, quod tollere curavit Concilium Pisanum non seculi 15. initio, sed anno 1378., qui est primus Urbani VI. ortum habuit. Wernerus Rollewinck auctor suppar *in Fasciculo Temporum ad eum ann.* apud Joannem Pistorium *T. III. Script. Rerum Germanic. pag.* 567. de schismate illo loquens ait „ fuit continuatum per annos quadraginta cum grandi scandalo totius Cleri „ & grandi jactura animarum . . . . & ideo „ ab isto Urbano VI. usque ad Martinum V. nescio qui fuit Papa „ .

(2) In litteris Joannis XXIII. datis Senis 2. nonas Aprilis anno 1410. apud Martenium, & Durandium *T. II. Thesauri Anecdot. col.* 1433. Alamannus noster, & Gaufridus Episcopus *electus* Xantonensis dicuntur Nuntii *in Regno Franciae, & in Delphinatu Viennensi, & nonnullis aliis partibus.*

Cum Cardinalis noster plenè Pontificis voluntatem in Gallica Legatione explesset, ipse Pontifex misit eum in Hispaniam, ut Regnum illud ad Ecclesiae unitatem (1) redigeret, & contra Saracenos Hispaniae inimicissimos populos excitaret.

Non modò Pisano, verùm Constantiensi etiam Concilio interfuit, in quo strenue obsistens schismaticis, princeps caussa fuit, quamobrem in Summum Pontificem eligeretur Oddo *de Columna*, qui nomen Martini V. ascivit sibi; a quo legatus est in Aragoniam ad cogendum Censuris Ecclesiasticis Petrum *de Luna*, ut Pontificatum dimitteret.

Platina in vita Martini Cardinalem Adimarium appellat virum doctissimum, quo titulo eum pariter ornat Volaterranus lib. 22. Commentariorum Urbanorum. Factus item est ab ipso Summo Pontifice Archipresbyter Ecclesiae S. Joannis Latheranensis. In Actis visitationis Dioecesanae ab Raynaldo Orsinio Archiepiscopo nostro anno 1422. factae legitur, quod Alamannus Cardinalis *Commendae* loco retinebat Canonicatum Ecclesiae principis Florentinae; quod notatur etiam ab Ughellio Tomo III. Italiae Sacrae. Tandem ab Hispania reversus peste assumptus est Tibure die 17. Septembris ejusdem anni 1422.; & Romam ejus cadaver delatum in Ecclesia *S. Mariae Novae* sepulturam accepit. Apud Felicem Contelorium Typographi culpa mortuus dicitur anno 1470.; alii verò scribunt decessisse in Gallia anno 1420., ibique sepultum fuisse. Sed rem in aperto ponit sequens inscriptio, quae Romae in memorata Ecclesia cernitur:

Cor-

(1) Hispani enim his temporibus obtemperabant Benedicto XIII. Antipapae, a quo tamen se subtraxerunt anno 1416. auctore imprimis Sancto Vincentio Ferrerio Ordinis Praedicatorum, licet & ipse antea eidem favisset. Videatur Pagius *in vita Joannis XXIII. num. 92. & seq.*

Corpus Alamanni Cardinalis Pisani.
Hic Florentiae ex Adimariorum antiqua, nobilique familia
ortus U. J. Doctor, & omni litterarum genere Eruditus. Primum
Prothonotarius, deinde Tarentinus, post Pisanus Archipraesul
ad Cardinalatus apicem provectus est dum pro Romana Ecclesia
Legatione fungeretur in Galliis. Doctorum virorum amator, & cultor
Vir ipse doctissimus, zelator justitiae, & communis Reipublicae boni
qui pro Ecclesiae unione apud Pisanum, & Constantiense Concilium
usque ad optatam conclusionem neminem veritus laboravit intrepide.
Obiit ex peste anno aetatis suae LX. mense Septembris XVII. die
MCCCCXXII.

Franciscus Sancti Albertini filius, qui noster Canonicus fuit, in Opusculo de mirabilibus novae, & veteris Urbis Romae typis edito *in quarto* Romae anno 1510. per Jacobum Mazzocchium ita loquitur in Tractatu *de Sepulcris memorandis* „ In Ecclesia S. Mariae novae est „ sepulcrum marmoreum ad sinistram majoris Cappellae „ unionibus exornatum, in quo requiescit corpus Re„ verendissimi, ac sapientissimi Alamanni de Adimariis „ Florentini Cardinalis tituli S. Eusebii „. A Carimberto etiam, Jacopo Gaddio, aliisque pluribus Scriptoribus uti vir, qui multa fecit pro Ecclesia Romana celebratur, & quidem jure, meritoque; cum ille omnibus aetatis suae Praesulibus praestaret peculiari bonitate, & prudentia, quibus animi dotibus talem Pisanorum benevolentiam sibi peperit, ut eum patrem suum dicerent; quam benevolentiam mutuis ipse officiis remetiens non modò consuevit, desposito quoque Archiepiscopatu, vocare se Cardinalem Pisanum (1), sed Stemmati etiam gentilitio adiungere insignia Urbis Pisanae, scilicet Crucem albam in campo rubro.

Leo-

(1) Ab aliis etiam Alamannus vocabatur Cardinalis Pisanus. Auctor *Historiarum Florentinarum T. XIX. S. R. I. col. 962.* inquit: *a dì 20. di Aprile 1419 venne in Firenze il Cardinale degli Adimari, cioè Messer Alamanno Cardinale di Pisa. Entrò dentro con gran compagnia di Cittadini. Andogli incontro 13. Cardinali; prima andò a visitare il Papa* (Martinum V.) *poi tornò a casa sua.* Confer item *Acta Concilii Constantiensis T. XVIII. col. 63. & seq.*

Leonardus Aretinus Pisis scribens Florentiam ad Ruffum, nescio quem, de Concilio Pisano, ad quod ipse convenerat, haec habet Libro 3. pagina 83. suarum epistolarum, quae recenter publicatae sunt Florentiae: *Alamannum Archiepiscopum Pisanum propinquum tuum hominem omni laude dignissimum convenio frequenter, ac de te sermo nobis creber est* (1). Alexander Adimarius in Opere, quod inscripsit *Clio* elogium honorificum Alamanno Cardinali conficiens eum nequaquam vocat Episcopum Florentinum. Borghinius etiam reticet, illum in Pastorem nostrum electum fuisse. Sed Ughellius omnem hac de re dubitationem tollit in medium, adducens ex Archivo *Reformationum* perspicua monumenta, litteras scilicet Bonifatii IX. ad Balthasarem Cossam, postea Joannem XXIII., quibus ille huic concedit Praeposituram, ut ajunt, oppidi Sancti Geminiani, quam antea tenebat Adimarius. Pontificis verba sunt haec:
„ dudum siquidem dilecto filio Alamanno Philippi Ple-
„ bano S. Stephani de Modiliano Faventinae dioecesis
„ dum Praepositura Ecclesiae S. Geminiani Volaterra-
„ nensis Dioecesis tunc certo modo vacante per nostras lit-

(1) Leonardus Alamanni meminit in litteris etiam *libri* 2. *num.* 20. *pag.* 57. ubi ait, se una cum duobus aliis familiaribus suis in villa ejusdem Alamanni rusticatum esse mense Julio „ in villam Alamanni Ar-
„ chiepiscopi Pisani ipso Alamanno duce veluti ex diuturnis vincu-
„ lis emissi nullum gaudendi, imo ut verius dicam, repuerescendi ge-
„ nus omisimus. Villa est media ferme inter Lucam, & Pisas a dex-
„ tra ripa Auserici fluvii amoenissimo in loco sita, & maxime ad ru-
„ sticanas voluptates excogitata. Surgens enim leviter in collem,
„ subjectamque planiciem respiciens, montes a tergo habet conjunctos
„ ad aucupationes, venationesque aptissimos ..... Sed traxit nos, &
„ vendicavit sibi incredibilis amoenitas Auserici amnis, qui tectus
„ fronde populea, cristallino alveo, viridibus ripis mira placiditate
„ fluebat. Quibus allecti depositis togis, & calceis acerrime piscati
„ sumus. In quo ita lusimus, ut pueri, ita clamavimus, ut ebrii,
„ ita concertavimus, ut dementes, insanique videremur. Aderat om-
„ nibus ipse Alamannus, qui quamquam religione impediebatur una
„ ludere, tamen ita spectatorem se praebebat, ut ea, quae gereban-
„ tur mira festivitate, risuque comprobaret „.

„ litteras gratiose mandavimus provideri, prout in ipsis „ litteris plenius continetur, & deinde de persona di„ cti Alamanni possessionem dictae Praepositurae per „ eum non habita, Ecclesia Florentina tunc vacante, „ auctoritate Apostolica duximus providendum, praefi„ ciendo ipsum eidem Ecclesiae in Episcopum, & Pa„ storem „ (1). Subiungit idem ipse Ughellius, quod nisi memoratas litteras reperiisset, Adimarium Antistitem Florentinum extitisse ignorasset, non secus ac alii Scriptores: cujus ignorantiae rationem aliquam proferens sic ait: *ceterum Alemanni Adimarii electio Borghinum, aliosque Scriptores latuit, sive quia brevissima mora Florentinam Ecclesiam administraverit, sive quia mole negotiorum distentus haud ipse per se ejus Ecclesiae possessionem inierit.*

Rem tamen Ughellius non bene putat; Alamannus enim noster numquam revera neque per seipsum, neque per alios possessionem iniit Ecclesiae Florentinae (tametsi Bonifacius laudatus sollicite rogasset factionis Guelphae Proceres, ut facultatem Episcopatus ineundi Alamanno concederent, quod ex Pontificis epistola in eorum Archivo liquet) ob rationes indicatas a Joanne Morellio in Chronico familiae suae, & eorum, quae sua aetate acciderunt, quod ipse incoepit anno 1390., & Florentiae vulgatum est anno 1718. In eo igitur Chronico legitur, Adimarium nostrum, qui aliquoties dicitur *de Alamanneschis*, *&* *de Cavicciulis*, designatum duntaxat fuisse Episcopum Florentinum, sed numquam ad Ecclesiam administrandam accessisse; quod in caussa item est, cur haec dignitas omittatur in ejus epitaphio Romae posito, ut superius observavimus. Nihilotamen secius

(1) Ex Actis Concilii Pisani publicatis a clarissimo Mansio *T. III. Supplementi ad Concilia Veneto-Labb. col.* 1063. erudimur, Alamannum factum fuisse Episcopum Florentinum *idibus Decembris anno* 1400.

secius numerandus jure est inter Pontifices Florentinos, quemadmodum sequutus auctoritatem meam posterorum memoriae mandavit in secunda Italiae Sacrae editione eruditus Sacerdos Venetus Nicolaus Coletus. Incomparabilis Archipresbyter Joannes Marius Crescimbenius in Historia Basilicae S. Joannis *ante portam latinam* & ipse ait, quod Cardinalis Adimarius Episcopatum Florentinum nequaquam capessivit, ob rationes a me in hac Historia adductas ex memorato Chronico Joannis Morelli, qui asserit in Alamannum nostrum, cum anno 1400. iis favisset, qui contra Reipublicae nostrae regimen stabant, qua occasione exilio multata est Albertinorum familia, animadversum fuisse; & quoniam Sacris Ordinibus decoratus erat, in Episcopi manus traditum fuisse, liberumque ab iis postea evasisse, Rempublicam deprecante Equite Philippo ejus parente magna auctoritate, magnaque existimatione viro: *nondimeno*, subjungit Morellius laudatus, *si partì Messer Alamanno, e andossene a Roma, e impetrò il Vescovado di Firenze, e non fu mai consentita la tenuta dai Fiorentini, il perchè il Papa dopo molto indugio lo permutò, e diè il Vescovado nostro ad altri, e a lui ne diè un' altro.*

LIII. PETRUS II. RICCIUS.

Florentiae perantiqua, illustrique familia natus est. Ejus pater fuit Ugucciotius, quem Ughellius per errorem Jannotium vocat; mater Felix Adimaria. Anno 1384. patriae Ecclesiae majoris Canonicus factus est, successitque Cardinali Galeotto Tarlato a Petramala, qui ab eo munere sese abdicaverat. Postmodum renunciatus est *Plebanus* Ecclesiae S. Andreae Empulensis, ut apparet ex litteris, quibus Respublica Florentina Summum Pontificem anno 1388. rogavit, ut electionem ra-

tam faceret. Ter fuit Capituli sui Vicarius; semel anno 1389. cum Bartholomaeus Uliarius Episcopus ad Sacram Purpuram promotus fuit; iterum anno 1395. cum Onuphrius *dello Steccuto* ad aliam Ecclesiam transiit; tertiò anno 1401. una cum Antonio Casinio postea Cardinali, cum Florentina Sedes proprio Pastore vacasset (1).

In locum Angeli de Ricasulis Pontificis Aretini suffectus est anno 1403. Petrus noster curante imprimis Republica Florentina, quae inter tres Candidatos Summo Pontifici praesentatos, ut hic eligeretur maximè optabat; quem etiam electum non semel Gregorio XII. commendavit (2).

Ab Ecclesia Aretina ad Pisanam nobiliorem accessit. Quando id acciderit, Ammiratus (3) se nescisse fatetur. Verum ex litteris (4) Joannis XXIII. constat hoc factum esse anno 1411. die nona mensis Octobris. Septem annos, duosque fere menses populum Pisanum prudentissime gubernasse luculenter ostendit inscriptio, qua ornatum fuit ejus Mausoleum olim collocatum prope Aram Deo in honorem Sancti Raynerii dicatam:

Hoc celebri tumulo Petri de Riccis de Florentia
Aretini, deinde Pisani Antistitis benemeriti
Sita sunt ossa
Qui feliciter e vita migravit
Pridie Kal. Decembris anno MCDXVIII.

Anno 1713. idem Mausoleum simul jacente statua Archiepiscopum nostrum repraesentante positum est supra por-

(1) Vide Salvinum Salvinium *in Petri, vita edita* a clariss. Mannio *Osservazioni Istoriche sopra i sigilli antichi Tom. IX. pag. 59. e seg.*

(2) Confer Ammiratum juniorem *in Annotationibus ad Historiam Episcoporum Aretinorum scriptam ab Ammirato seniore pag. 226. edit. 1637.*

(3) *Delle famiglie nobili Fiorentine part. 1. pag. 165.*

(4) *In Appendice monument.*

portam Sacrarii *Cappellanorum* cum hac inscriptione a Lazzaro Benedicto Miglioruccio Florentino in Pisana Academia Juris Pontificii Professore composita:

Ad perpetuam rei memoriam
Constet omnibus prope angulum hujus parietis
Mausoleum extitisse marmoreum
Eminens supra terram cubitis circiter quatuor
Illustrissimi, & Reverendissimi domini Petri de Ricciis
Aretini deinde Pisani Antistitis
Quod anno 1713. assentientibus aliò transferri
Illustrissimis dominis de Riccis ejusdem familiae
Locatum fuit honorificentius
Super jannam Sacrarii hujus Ecclesiae Primatialis
Idque factum ut ornari posset hic paries
Tabula affabre picta Divi Raynerii gesta repraesentante.

Petro subrogatum fuisse anno 1416. Jacobum Bertuccium de Obizis Lucensem scribit Josephus Bethusius (1) auctoritate innixus uniuscujusdam epistolae Reipublicae Florentinae ad Patres Concilii Constantiensis. Idem affirmant Sansovinus (2), atque Dempsterus (3), quorum alter permovetur hujus Archiepiscopii tabulis, alter Annalibus Pisanis MSS. ab Agnello confectis; uterque autem Jacobi electionem non ad annum 1416, sed ad annum 1418, quo Petrus jam obierat, referunt. Merito tamen animadvertit Ughellius, memoratam episto-

 lam

(1) Apud Ughellium *T. II. in Episcop. Adriensibus col.* 404. ac *Tom. III. in Archiepisc. Pisanis col.* 477.

(2) *Dell' origine delle Case illustri d' Italia pag.* 322. *ad annum* 1418. sic ait: *Jacomo Vescovo d' Adria vacando il Pontificato di Roma per lo Scisma di Gregorio* 12., *e di Benedetto* 13., *e trattandosi nel Concilio generale di Costanza, dove erano i Cardinali con Sigismondo Imperadore queste difficultà, fu creato dal predetto Concilio per le nobilissime qualità sue Arcivescovo di Pisa siccome negli atti di quell' Arcivescovado si legge.*

(3) *De Etruria Regali lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 266.

lam apocrypham esse, cum verisimile non sit, Rempublicam Florentinam rogasse Concilium Constantiense, ut novum Archiepiscopum renuntiaret, Petro adhuc vivente. Nec veritati consonum est, quod ait Sansovinus, nimirum ex monumentis Pisanis constare, Jacobum factum fuisse Pontificem hujus Ecclesiae anno 1418; siquidem in iis Jacobus ne memoratur quidem; immò cum ex iisdem monumentis appareat, quod mortuo Petro anno communi 1417. die 30. Novembris, anno sequenti mensibus Januario & Februario, Florentius de Salvis Placentinus, Canonicus Pisanus fuerit *Vicarius generalis Archiepiscopalis Pisanae Curiae pro Pisano Capitulo Archiepiscopali Pisana Sede vacante* (1); & paullo post hanc Ecclesiam gubernaverit Julianus, Petri defuncti nepos (2); coecus est qui non videt, ex tabulis Archiepiscopii Pisani erui potius, Jacobum renuntiatum nunquam fuisse hujus Ecclesiae Pontificem, sed Petro proximè successisse Julianum; id quod apertius colligitur ex litteris Martini V. in monumentorum Appendice exhibendis, quarum testimonium, quod facit ad rem hanc, inferius recitabo. Annales Pisanos MSS. a Dempstero laudatos nihil moror; nam falsum narrare manifestum est.

LIV. JULIANUS I. RICCIUS.

Joachimo Petri Archiepiscopi germano fratre, & Leonarda Petri Beninii filia ortus est Julianus anno 1389. Tum patrui favore, tum maxime animi virtute, quam vel a pueritia praeferebat, adeptus est *Plebem* Empulensem Sancti Andreae, *Canonicatum* majoris Ecclesiae Floren-

(1) Vide *librum MS.* in Archivo publico Archiepiscopii, cui titulus: *Collationes*, *Confirmationes &c. ab anno* 1377. *ad* 1437. *litt. E. fol.* 139. 148.

(2) In libro citato *fol.* 151. sunt tabulae scriptae anno 1418. die ultima mensis Aprilis, in quibus Julianus dicitur *Archiepiscopus electus*.

-rentinae, Pisanae, & *Plebis* Aretinae Sanctae Mariae, nec non *Abbatiam* Sanctae Mariae *de Farneta* in Dioecesi Cortonensi positam. Tametsi Scipio Ammiratus in Historia familiae Ricciae (1) Julianum nostrum ad annum duntaxat 1417. Canonicum patriae Ecclesiae deprehenderit, arbitror tamen longe ante id muneris obtinuisse, & unum, eundemque esse atque Julianum illum Riccium Canonicum Florentinum, qui Concilio Pisano anno 1409. celebrato adfuit nomine P. Bernardi Abbatis, ut liquet ex Actis memorati Concilii ab eruditissimo Mansio (2) vulgatis, in quibus haec habentur: *eodem die* (24. Martii comparuit) *Julianus de Ricis Canonicus Florentinus procuratorio nomine Ven. P. Bernardi de Rici Abbatis Monasterii Sancti Justi de Vulterno Ordinis Vallisumbrosae*. Rescribendum tamen est *de Volaterris Ordinis Camaldulensis*; eratque Bernardus ille frater germanus Petri superius memorati, ut in hujus vita notat clarissimus Salvinius. Idem ipse Salvinius (3) ait, Julianum nostrum fuisse Vicarium generalem Archiepiscopi Pisani; sed vereor, ne in magnis erratis illius opinio sit, nam vetera Acta pervolventi mihi occurrunt ab anno 1407. ad Petri obitum hi Vicarii generales, qui nullum locum eo in munere Juliano relinquunt: Hieronymus Gigli Florentinus *Decretorum* Doctor, Sedis Apostolicae *Cappellanus*, Prior Monasterii S. Mariae de Porcilia Dioecesis Paduanae Ordinis Camaldulensis; Julianus Semmi Florentinus; Joannes Matthaei a Vico Canonicus Pisanus; Dinus Lucensis patriae Ecclesiae Archidiaconus; iterum Joannes a Vico; Franciscus a Spello; Simon a Nuceria Canonicus Aretinus; Petrus a Santo Petro Canonicus Pisanus (4).

Anno

(1) *Loco cit.*
(2) *T. III. op. cit. col.* 1066.
(3) *In vita Juliani*. Extat MS. in tablino Capituli Florentini.
(4) Vide *librum MS. modo citat.*

Anno 1413. die 15. Decembris, mortuo Cappone Ecclesiae Aretinae Episcopo, illius Canonici Julianum, qui de eorum numero olim fuerat, deque Ecclesia ipsa bene merebatur, quoniam Calices, aliasque sacras supellectiles eidem donaverat (1), cunctis suffragiis die 18. mensis laudati in proprium Pastorem elegerunt. Patet hoc ex tabulis (2), quarum partem referre placet
„ Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi
„ MCCCCXIII. Indict. septima Sanctissimo in Christo
„ patre, & domino domino Joanne Divina Providentia
„ PP. XXIII. residente, die 18. mensis Decembris post
„ Vesperas immediate nuper vacante Ecclesia Aretina
„ Episcopo, & Pastore per mortem Reverendi in Chri-
„ sto patris, & domini domini Capponis nati Bartho-
„ lomaei de Capponibus de Florentia ultimi Episcopi,
„ & Pastoris dictae Ecclesiae Aretinae, qui de anno
„ praesenti, & die 15. hujus mensis interiit corpus ejus
„ in Civitate Aretina in Cathedrali Ecclesia Aretina in
„ Sepulcro consueto Episcoporum, & Pastorum Areti-
„ norum honorifice traditum fuit, sicut decuit, Ecclesia-
„ sticae sepolturae. Ea propter vocatis, & requisitis ad
„ Capitulum omnibus, & singulis Canonicis Cathedra-
„ lis Ecclesiae Aretinae, & Plebis Sanctae Mariae de
„ Aretio ad dictum Capitulum simul ad infrascripta u-
„ nitum ex commissione, & mandato venerab. viri do-
„ mini Simonis Raynaldi de Bandinellis de Florentia
„ Archipresbyteri dictae Plebis S. Mariae de Aretio, ad
„ praesens residentis in dicta Plebe ad cellas, & do-
„ mum Canonicorum dictae Cathedralis Ecclesiae Are-
„ tinae, & dictae Plebis per Franciscum Gherardi Cle-
„ ricum de Aretio, & nuncium dicti Capituli, & ad
„ so-

(1) Consule Jacobum Buralium *in vitis Episcoporum Aretinorum editis Aretii anno 1638.*

(2) Exstant in Archivo publico Aretino *in Protocollo Juntini Notarii Aretini fol. 62.*

„ sonum Campanellae dictae Ecclesiae Aretinae, ut mo-
„ ris est pro infrascripta postulatione, & electione no-
„ vi Episcopi, & Pastoris celebranda, & coadunatis,
„ & solemniter in infrascripto loco congregatis in di-
„ cto Capitulo dicto domino Simone Archipresbytero,
„ domino Clemente domini Bartholomaei de Genariis
„ de Neapoli, domino Simone Cecchi de Montecchiel-
„ lo, domino Bartholomaeo Jacobi Canonicis Aretinis,
„ domino Marco Venturae, domino Luca Castohis Ca-
„ nonicis dictae Plebis, domino Simone Bartholomaei
„ de Nucerio, domino Christophoro Bandini, domino
„ Mariotto Angeli, domino Antonio Santis de Ponte-
„ nano, & domino Guntino Joannis Canonicis Areti-
„ nis ad dictum Capitulum simul unitum praesentialiter
„ residentibus in dicta Cathedrali Ecclesia Aretina, &
„ in dicta Plebe facientibus, & representatibus totum
„ Capitulum dictae Ecclesiae Aretinae, & Plebis prae-
„ libatae simul unitarum ad infrascripta, servando con-
„ suetudinem retroactis temporibus observatam, aliis ta-
„ men Canonicis dictae Ecclesiae Aretinae, & Plebis
„ praedictae absentibus tamen legittime citatis, & hora
„ congrua expectatis. Ipsi quidem dominus Simon Ar-
„ chipresbyter, dominus Clemens, dominus Simon Cec-
„ chi, dominus Bartholomaeus, dominus Marcus, do-
„ minus Lucas, dominus Simon de Nucerio, dominus
„ Christophorus, dominus Mariottus, dominus Anto-
„ nius, & dominus Giuntinus Canonici superius nomi-
„ nati, & descripti omnes simul in plena, & communi
„ concordia eorum nemine discordante unanimiter, vo-
„ luntarie, eorum propriis nominibus, & vice, & no-
„ mine aliorum Canonicorum absentium, & totius Ca-
„ pituli praelibati, Spiritus Sancti gratia invocata, ne
„ ipsa Ecclesia Aretina propter longam vacationem,
„ quae solet Ecclesiis esse damnosa in spiritualibus, vel

„ tem-

„ temporalibus, substineat lesionem, vel noxiam novitatis, Divina favente gratia, & Divinitus inspirati venerabilem, & sapientem virum dominum Julianum Giovacchini de Ricciis de Florentia Canonicum Florentinum sobrium, & mansuetum, Deo, & hominibus gratum, & acceptum, & per omnia placitum, postulaverunt, & elegerunt in Episcopum, & Pastorem dictae Ecclesiae Aretinae omni modo, via, jure, & forma, quibus magis, melius, & validius, & efficacius potuerunt. Et insuper commiserunt venerabili viro domino Clementi Canonico praedicto praesenti, & intelligenti quatenus postulationem, & electionem hujusmodi eidem domino Juliano electo, & postulato quam citius, & commode possit, debeat praesentare, & eidem supplicare, quatenus praemissis electioni, & postulationi debeat suum praestare assensum, & eandem acceptare pro evidenti utilitate, & commodo dictae Ecclesiae Aretinae „. Sed Summus Pontifex Canonicorum electionem haud confirmavit ob rationes nobis incognitas, non vero quia Julianus post paucos dies factus fuerit Antistes Pisanus, quod minus vere memoriae prodidit Jacobus Buralius (1).

Itaque Julianus Florentiae in officio Canonici mansit, annoque sequenti a Collegis suis missus est (2) una cum celebri Leonardo Brunio Aretino tunc Summi Pontificis a secretis, Syndicus ad Concilium Constantiense, quod anno 1414. exeunte inchoatum est. An Julianus Constantiae fuerit per totum triennium, quo idem Concilium duravit, mihi non constat. Illud compertum habeo ex Martini V. litteris (3) Constantiae datis, Pisana Ecclesia proprio orbata Pastore, hujus Canonicos communi consensione Julianum nostrum in Archiepiscopum elegisse;

(1) *Op. citato.*
(2) Salvinus Salvinius *in vita Juliani, cujus apographum extat apud me MS.*
(3) *In Appendice monumentorum.*

se; sic enim Summus Pontifex Canonicos ipsos alloquitur: *Dudum siquidem Ecclesia vestra, cui bonae memoriae Petrus Archiepiscopus Pisanus dum viveret praesidebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, Pastoris solatio destituta est: vos pro celebranda electione futuri Archiepiscopi Pisani convocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum dilectum filium Julianum electum Pisanum, tunc Canonicum Florentinum in Presbyteratus Ordine constitutum, in Archiepiscopum Pisanum concorditer elegistis.*

Pontificiam dignitatem obtinuisse Julianum anno 1419. die 24. Martii constare ait Ughellius ex regestis Vaticanis. Salvinius (1), cui notum erat ex tabulis in Archivo Episcopii Florentini, Julianum ipsum anno 1418. die 3. Octobris renuntiasse Ugucciotium Riccium procuratorem suum, & Archiepiscopatus Pisani, illum ad tantum honorem evectum fuisse anno modo laudato existimat: cumque die mensis Octobris 3. nondum e vita migrasset Petrus, ut manifestum est ex ejus inscriptione suo loco relata, idem ipse Salvinius putat, Julianum Petro adhuc viventi adjutorem datum fuisse. Verùm ex Martini litteris paullo ante laudatis colligitur, defuncto jam Petro, Julianum a Canonicis electum fuisse primis anni communis 1418. diebus; in illis enim legitur, Canonicos electionem Juliano significasse, Julianum curasse, ut a Romano Pontifice confirmaretur; hunc per Thomam Presbyterum Cardinalem tituli SS. Joannis, & Paulli in electi merita inquisivisse, ac examinasse utrum electio juxta canonicas leges facta esset, nec ne; tandem relatione Juliano secunda accepta memoratam electionem ratam habuisse. Haec porro omnia ne spatio quidem u-

(1) Opere laudato.

nius integri mensis perfici potuisse nemo non videt. Igitur cum Martini litterae scriptae sint die 23. Februarii, Julianus a Canonicis renuntiatus est initio mensis Januarii. Nec obstat, quod Petrus in inscriptione ejus sepulcro incisa mortuus asseratur anno 1418. die 30. mensis Novembris; etenim in ea numerantur anni juxta veterem Pisanorum consuetudinem. Post confirmatam electionem non statim consecratus est, siquidem die mensis Aprilis postrema in monumentis Pisanis (1) dicitur *electus*. Anno 1421. die 28. Martii Martinus V. eidem jussit curare, ut restituerentur quaedam bona Monasterio Sancti Savini, tribus milliariis ab Urbe Pisis distante, quod *Commendae* loco tenebat Alamannus Cardinalis S. Eusebii (2).

His temporibus infelici statu versabatur Monasterium Sancti Donnini prope Pisas; in eo enim propter bella, aliaque infortunia *tam in spiritualibus, quam in temporalibus collapso* duo tantum Monachi commorabantur, qui tranquille degere ibidem nequibant, sed in Urbem fugere saepius cogebantur; hinc neque Divina Officia celebrare, nec Monasticam disciplinam observare poterant. In statu longe miseriore erant *Prior*, & Monachi Carthusiani Insulae Gorgonae: continuo vexabantur a piratis, & Saracenis, qui in eandem Insulam invadentes omnia, *quae extra Arcem erant posita, videlicet Ecclesiam cum Altaribus, & alia aedificia, molendinum, & barcas totaliter destruxerunt, animalia pro salinis occiderunt, & omnia, quae ad manus eorum pervenerunt absportaverunt; duos Conversos, & unum Oblatum, & duos famulos* illorum Monasterii in captivitatem adduxerunt, minabantur etiam *cum balistris, aliisque machinis bellicis dictam Arcem capere, propter quod praedictus Prior*,

(1) Vide *Librum MS. superius citatum fol.* 151.
(2) *Extraordinaria num.* 20. *litt. V. fol.* 37.

Prior, & Fratres hujusmodi terrore pavefacti decreverunt Pisas commigrare. Itaque Julianus, cui Jacobus Abbas Monasterii S. Donnini, & Bartholomaeus Prior Asceterii Gorgonae gravissima haec incommoda, ac pericula significaverant, primum Monasterium ad alterum jungendum esse decrevit anno 1424. die ultima mensis Julii (1); cum hac conditione, ut Monachi Gorgonenses ad incolendum venirent Coenobium S. Donnini, ibique *sub regulari observantia Ordinis Carthusiensis Altissimo perpetuo servirent*. Sed hoc decretum executioni mandatum non est; immo anno 1428. die 15. Novembris S. Donnini Coenobio Julianus ipse concessit per quinquennium reditus Ecclesiae S. Stephani *de Fagiano*, non procul ab eodem Coenobio positae (2): & Monachi Gorgonenses relicta Insula ad habitandam Carthusiam Pisanam se contulerunt, cui etiam anno 1426. omnia eorum bona data sunt (3). Anno 1426. die 2. mensis Junii Archiepiscopus noster Sacram fecit Ecclesiam Sanctae Annae, quam Moniales recenter aedificaverant (4).

Cum Nicolaus Piccininus ductor exercitus Philippi Mariae Ducis Mediolani in agrum Pisanum anno 1431. delatus una cum Antonio Pontadereo viro ad belli labores impigro, & maxime Florentinis infenso, omnia incendiis, & excursionibus vastasset, multaque oppida occupasset, Florentini ipsi vehementer timere coeperunt, ne Pisani, qui iniquissimo animo eorum parebant imperio, hanc occasionem nacti in Piccinini manus Urbem darent. Quamobrem illi non solum fere omnes viros nobiles Pisis expulerunt, quod memoriae prodidit Poggius Bracciolinius (5); verum etiam cunctos Cives

(1) Tabulae *in Appendice monument.*
(2) Confer *Librum laudat. fol.* 236.
(3) Monumenta *in Historia hujus Monasterii* publicabuntur.
(4) Tabulae *initio Appendic. monumentorum in notis*.
(5) *Historia Florentina lib. 6. col.* 370. *T. XX. S. R. Ital.*

ab quinto decimo anno ad sexagesimum severa lege promulgata ex Urbe discedere conati sunt, quemadmodum Andreas Billius (1), & Petrus Justinianus (2) litteris consignarunt. Julianum ad hanc legem ferendam hortatum esse Florentinos, seu potius eandem legem executioni mandasse narrat idem ipse Billius, qui Archiepiscopum nostrum veluti tyrannum, gregique suo infestissimum per summam iniuriam depingit ita scribens „ veriti interea Florentini, ne Pisani portas hostibus aperirent, rem atrocissimam, superque omnem inhumanitatem incredibilem aggrediuntur, misso edicto, ne quis Pisanus intra quintumdecimum, sexagesimumque annum in Urbe remaneret. Tam impii facinoris minister (3), quamquam pro Sacri Ordinis verecundia pudet referre, Julianus homo Florentinus, sed Pisanus Archiepiscopus. Discurrebat ille armatus, ubique Pisanos prehensans, nullâ morâ ne capiendae quidem e domo cujuspiam rei cogebat exire, ultro etiam contumeliosis verbis improperans : *abi proditor Pisane*, ne uxores, aut liberos secum ducere sinebantur. Data inde licentia armatis, qui quas vellent domos occuparent. Miserum dictu! cerneres toto oppido commigrantes matronas virgines secum, ac parvulos trahentes : tum sese ut quaeque poterant unis domibus occludentes, ne, ut ajunt, lupo oves praedae fierent. Ceterum quid opus est referam? Ipse ex praesentibus audivi, non aliud tum visum Pisis, quam quod de captis Hierosolymis scribunt. Sic saepe malo-

(1) *Historia Rerum Mediolanensium lib. 9. col. 148. T. XIX. S. R. Ital.*

(2) *Rerum Venetarum ab Urbe condita Historia lib. 7. pag. 213. edit. Venetae* 1560. „ veriti itaque Florentini, ne & Pisae quoque a feroci hoste occuparentur, miserabile edictum publice proposuere ad exonerandam multitudine suspectam Civitatem, ut prius quam cerea candela accensa absumeretur, Cives omnes a quinto-decimo anno ad sexagesimum sub capitali comminatione Pisis decederent.

(3) In codice MS. Historiam Fratris Andreae Billii complectente, quo usus est Anonymus mox laudandus, legitur *magister*.

„ lorum praesentia a vero sensu alienos trahit. Hoc „ modo rati Florentini posse Urbem teneri, si Cives „ pepulissent. Eo item collecti multi Florentinorum, „ qui vel facinoribus, vel alieno aere coacti exulabant, „ data impunitate, ac remissione, si in eo discrimine „ Civitatem servassent; saepe etiam minati incensuros „ oppidum quando tutari non possent „. Tametsi Billianae narrationi fidem adhibuerit Anonymus (1) Scriptor Operis, cui titulus: *Notizia della vera libertà Fiorentina &c.*, qui omnium primus periocham hanc in lucem emisit; non dubito tamen, quin Billius aut rem supra modum amplificaverit, aut illi fucum fecerit, qui hujusmodi historiam eidem exposuit. Quis enim sanae mentis persuadere sibi poterit, Julianum, qui prudentia, mansuetudine, aliisque animi dotibus ita sibi devinxerat Canonicos Florentinos, Aretinos, & Pisanos, ut primi ad Concilium Constantiense eum Syndicum miserint; alteri in proprium Antistitem cunctis suffragiis elegerint; qui in tanta fuit apud Martinum V., & Eugenium IV. Summos Pontifices existimatione, ut ille Ecclesiae Pisanae regimen eidem commiserit, hic Legatum suum & Urbis gubernatorem fecerit; qui demum tot indicia exhibuit pietatis erga proximum, & cultus erga Deum, ut inferius ostendam; crudelitatem, inhumanitatemque exercuisse in populum sibi creditum?

Eugenium modo laudatum, ut insanum contra seipsum Romanorum furorem vitaret, Pisas ex Urbe anno 1434. mense Junio venientem una cum Joanne Cardinali de Casanova, & Blasio Moleno Patriarcha Jerosolymitano, Julianus *omni, & decenti honore per certos dies suscepit*, teste Silvestro Philippi Ordinis Praedicatorum apud eruditissimum Mehus (2). Quantum conjicio comi-

(1) *Parte 2. cap. 15. pag. 234.*
(2) *In vita Ambrosii Generalis Camaldulensis praemissa ejus epistolis pag. 415.* Confer etiam Ambrosium ipsum *in Hodoeporico pag. 67.*

comitatus item est eundem Pontificem Florentiam die 20. Junii proficiscentem, in eaque Urbe plures menses fuit. Doctissimus enim Ambrosius Camaldulensis, qui ut sibi ipse testis est, familiarissime utebatur Juliano nostro, anno superius memorando die prima Octobris scribens ad Albertum, nescio quem, eique promittens, se commendaturum rem nepotis sui in carcere existentis Juliano ipsi, qui ab Eugenio mittebatur ad tuenda Castella agri Bononiensis, non obscure demonstrat, Archiepiscopum nostrum Florentiae eo tempore commoratum esse: *Archiepiscopo Pisano*, inquit Ambrosius, *mihi amicissimo, qui ad servanda Castella mittitur, negotium & ipse commendabo, & ut a Pontifice sibi commendetur instabo* (1). Anno sequenti tertio calendas Novembris idem ipse Julianus, Benottius Friderighius Antistes Fesulanus, & Julianus Nicolai Davansati Archiepiscopatus Florentini possessionem inierunt nomine Joannis Vitelleschi Patriarchae Alexandrini, teste Joanne Cambio (2). His circiter temporibus Archiepiscopus noster factus est Urbis Romae Gubernator, ac ex ejus litteris, quibus significat Pallae Stroctio Pazzini illius filii, Senatorisque Romani aegritudinem, perspicuum est hoc munus gessisse anno 1437., iis enim hoc anno datis ita subscribit: *J. Archiep. Pisanus almae Urbis Gubernator* (3). In Tusciam reversus adfuit Concilio generali Florentiae anno 1439. celebrato, quemadmodum ex ejus Actis (4) fit manifestum.

Anno 1442. die mensis Octobris nona sacram fecit Ecclesiam Patrum Jesuatorum Sambucae, Pisas inter, & Liburnum olim habitantium. In eadem Ecclesia haec extat inscriptio ab eruditissimo Targionio (5) relata:

Anno

(1) *Epistola* 17. *lib.* 9. *col.* 454.
(2) *In Chronico* apud Salvinium *opere cit.*
(3) Extant Florentiae in Bibliotheca Stroctiana *Codice XXXI. in fol.*
(4) *Tom. XVIII. col.* 529. 1184.
(5) *Relazioni d' alcuni viaggi &c. Tom. II. pag.* 148.

Anno Domini MCCCCXLII. Indict. V. Pontificatus S. D. N. in Christo Divina Providentia Eugenii Papae IV. anno XI. die vero nona Octobris Eo die Reverendissimus Julianus Riccius Florentinus Pisarum, Corsicarum, Et Sardiniae Insulae Archiepiscopus Templum Annunciationi B. Mariae Virginis dicatum solemniter dedicavit.

Nicolaus hujus nominis V. cupiens auxilium ferre Christianis in oriente habitantibus, quos Turcae opprimere minabantur, anno 1451. calendis Augusti scripsit ad Archiepiscopum nostrum, ejusque *Suffraganeos*, ut populos sibi commissos ad subsidia illis praestanda exhortarentur (1). Post sexennium die 15. Maii litteras ad eundem misit Callistus III; ipsique licentiam concessit transferendi Pisas ex oppido Donoratico Corpus S. Guidi, dummodo id permitteret Episcopus Massanus; hanc enim translationem fieri optabant *Priores Civitatis Pisanae zelo devotionis accensi*, siquidem optimè noverant, quod propter loci desolationem ibidem minus digne collocatum erat (2). Decessit Julianus anno 1461. die 26. mensis Decembris. De humationis loco, deque inscriptione sepulcro incidenda sic decreverat Julianus ante quinque annos quam moreretur: *item jubeo corpus meum sepeliendum esse in Ecclesia majori Pisana in terra, ante Altare quatuor Doctorum sito in Cappella Incoronatae, ubi ponatur super caput meum simplex lapis marmorea, super qua scribantur haec verba, scilicet: hic sita sunt ossa Juliani de Ricciis de Florentia Archiepiscopi Pisani, qui in Archiepiscopatu vixit tot annis, mensibus, & diebus, & ponatur numerus, & die tali ex hac vita migravit* (3). Itaque ad ejus sepulcrum sequens inscriptio posita fuit:

Hic

(1) Litterae in tabulario Archiepiscopii *Decade 160. num. 2589.*
(2) Apud Bollandianos *Tom. V. Maii ad diem 20. pag. 256.*
(3) *In primo Testamento mox citando.*

Hic sita sunt ossa
Juliani de Ricciis de Florentia Archiepiscopi Pisani
Qui in Archiepiscopatu vixit annis quadraginta duobus
Mensibus decem, diebus duobus.
Migravit autem ex hac vita die XXVI. Decembris
MCDLXI.

Archiepiscopus noster, ut qui rectè in Deum affectus erat, de morte saepe cogitans, jam inde ab anno 1447. die 22. Martii rogans obtinuerat a Nicolao V. praeter spiritale beneficium, quo sempiternam animae beatitatem facilius adipisci posset, facultatem testamento relinquendi omnia bona, quae mobilia dicuntur, cuicunque sibi videretur (1). Igitur anno 1456. duo fecit testamenta, quorum altero die 24. mensis Februarii condito duo instituit *Beneficia* in hac Ecclesia *Primatiali* sub titulis SS. Joannis Chrysostomi, & Juliani; aliaque duo sub iisdem titulis in Ecclesia principe Florentina, quorum patronum, ut ajunt, voluit esse Uguccionium germanum fratrem suum, ejusque posteros (2); altero verò condito die mensis Martii decima (3) multas sacras supellectiles huic Ecclesiae Pisanae reliquit.

LV. PHILIPPUS MEDICES.

Olivierii, seu ut communiter dicitur Vierii Civis Florentini filius, anno 1456. factus Episcopus Aretinus Flo-

(1) Litterae Nicolai *Decade laud. num.* 2587.
(2) Testamentum hoc extare Florentiae in publico generali tabulario in regestis Andreae del Pitta Notarii Pisani scribit Salvinius *loc. cit.* Sed clariss. Mannius scribens ad eruditissimum Sebastianum Donatum, asserit in laudatis regestis invenire illud non potuisse. Illius partem est in Archivo Capituli Pisani in libro MS., cui titulus: *Pisanae Basilicae Capellaniarum, ac Commendarum erectiones, fundationes, ac donationes &c. pag.* 173. *& seq.*
(3) Est *in Protocollo num.* 26. *litt. A*, quod servatur in tablino secreto Archiepiscopii Pisani.

plures legationes summa dexteritate obivit Reipublicae Florentinae nomine; hinc magnam apud omnes existimationem sibi comparavit, proindeque Respublica laudata, Ammirato juniore (1) teste, non semel rogavit Summum Pontificem, ut Philippum in Purpuratorum numerum referret, quod cum impetrare non potuisset, obtinuit tandem a Pio II., ut eum Pisanum Archiepiscopum designaret. Id accidisse anno 1461., non quidem die 14., ut vult Ughellius, sed die 9. Januarii, compertum habeo ex litteris Pontificiis ad Philippum ipsum, & ad Ecclesiae Pisanae *Vassallos* (2). Pallium accepit ab Episcopis Fesulano, & Pistoriensi, quos ad hujusmodi munus gerendum elegit Pius anno antea citato 7. calendas Februarias (3). Paullo post, nimirum die 8. ejusdem mensis Februarii Ecclesiae suae possessionem iniit solemni pompa, quam vetus monumentum describit (4).

 Hoc

(1) *Historia Episcoporum Aretinorum pag.* 228.
(2) Extant in Tabulario Archiepiscopii *Decade* 263. *n.* 2610. 2611.
(3) Litterae in Tabulario citato *Decade* 266. *n.* 2641.
(4) Monumentum hoc est in publico Archiepiscopii Tabulario, in libro MS., cui titulus: *Extraordinaria ab anno* 1561. 1574. *n.* 10. *fol.* 16., ac ita se habet „ In aeterni Dei nomine amen. Cunctis pateat evi-
„ denter, quod cum hac praesenti infrascripta die Reverendus in Chri-
„ sto pater, & dominus dominus Philippus de Medicis Dei, & Aposto-
„ licae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Sardiniae,
„ & Corsicae Primas, & dictae Sedis in eis Legatus ingrederetur Ur-
„ bem Pisanam, & apprehenderet possessionem sui Archiepiscopatus co-
„ mitatus a multitudine copiosa populi, & a Magnatibus, & Rectori-
„ bus, & Officialibus Pisanae Civitatis, & discedendo de Burgo Sancti
„ Marci pro intrando Urbem Pisanam, nobiles viri Nicholaus Jacobi
„ Chichuli de Lanfranchis, & Petrus Bonsi Chiculi de Lanfranchis te-
„ nentes manum ad frenum, sive briliam equi super quo idem dominus
„ Archiepiscopus vehebatur ipsum adestraverint; Laurentius Jacobi Chi-
„ chuli de Lanfranchis, & Petrus Bonachursi Chiculi de Lanfranchis
„ eundem adestravit apponentes manus ad staffas: Thomeus verò Joan-
„ nis Gani de Lanfranchis, & Guilielmo ejus frater, & Ascanius, &
„ Deisebus Benedicti de Lanfranchis, & Pierus, & Franciscus Betti su-
„ prascripti continue astiterunt juxta chrinem, sive groppam dicti equi.
„ Et sic omnes suprascripti de domo Chiculorum de Lanfranchis comi-
„ tantes, & adestrantes eundem dominum Archiepiscopum de suprascri-

pto

Hoc ipso anno 1461. una cum Bonacursio Pithio, & Petro Pactio missus est a Florentino Senatu in Galliam, ut Ludovico XI. Regiam dignitatem nuper obtentam gratularetur, doleretque mortem Caroli VII. patris ejus (1); & post triennium ipse Philippus, aliique Equites quinque Florentini legati sunt ad Paullum II, ut ostenderent ejusdem ad Summum Pontificatum provectionem gratam, & jucundam fuisse Senatui memorato (2).

Duae sunt in hoc Archiepiscopii Tabulario epistolae Sixti IV. ad Philippum; quarum altera (3) anno 1471. octavo calendas Septembris eidem significavit, se die 9. Augusti in Summum Pontificem electum fuisse; altera (4) anno 1473. die prima Julii eum constituit *Commissarium*, & *Visitatorem* Apostolicum, ut Monasterium Pisanum Sancti Paulli *de Ripa Arni* visitaret.

Sum-

„ pto Burgo, & per Civitatem Pisanam usque ad Ecclesiam majorem
„ Pisanam secuti sunt eum, & ipso domino Archiepiscopo de equo albo,
„ super quo vehebatur descendente dicti Nicholaus, & Laurentius secu-
„ ti sunt eum intrantes Ecclesiam usque, ad Altare majus, & ibi stete-
„ runt continuo tenendo sibi lembas Pevialis usque, & donec post Alta-
„ re majus celebratis debitis solemnitatibus ipsum exivit: & postmodum
„ omnes suprascripti comitati sunt eum usque in Archiepiscopatum nun-
„ quam a latere ejus discedentes, & parato prandio dictus Laurentius
„ deservivit eum de Cuppa miscendo, & porrigendo sibi dictam Cup-
„ pam argenteam deauratam plenam vino quousque prandium praedi-
„ ctum finitum fuit, quo finito dictus dominus Archiepiscopus donavit
„ dictis de Lanfranchis omnibus de domo Chichulorum dictam Cuppam
„ argenteam deauratam, cum qua in prandio biberat vinum, & sic ab
„ eo discesserunt . . . . . Acta fuerunt in Burgo Sancti Marci in Civi-
„ tate Pisana, & in Ecclesia majori, & in Archiepiscopali Palatio, vi-
„ delicet in Sala magna singula singulis referendo, praesentibus Joan-
„ ne Ser Bartoli de Sancto Regulo, Ser Juliano Ser Francisci, domino
„ Ugolino Agliata, domino Michaele de Grassulinis Canonicis Pisanis,
„ Presbytero Thomasio Boncini, Ser Carolo Joannis Ser Caroli, & a-
„ liis pluribus testibus ad haec rogatis & vocatis haec videntibus, &
„ audientibus A. D. l. 1461. Indict. nona, die verò octava Februarii.

(1) Vide Ammiratum *Histor. Florent. T. II. par. 2. lib. 23. pag. 91.*
(2) Idem *lib. citato pag. 93.*
(3) *Decade 266. n. 2644.*
(4) *Libro visitationum ab anno 1464. ad 1495. n. 11. fol. 2.*

Summum obiisse diem anno 1474. initio mensis Octobris existimo; etenim in tabulis (1), quibus anno citato die 23. mensis laudati Capitulum Pisanum declaravit Syndicos, & administratores bonorum Archiepiscopatus Antonium de Bonis, & Petrum Franciscum Canonicos, Philippus dicitur nuper vita functus.

LVI. FRANCISCUS III. SALVIATUS DE RIARIO.

Natus est Florentiae patre Bernardo nobilissimo, ac generosissimo viro. Francisci nostri, quem Stephanus Infessura (2), & Onuphrius Panvinius (3) minus verè Bartholomaeum appellant, primò meminit, quantum scio, Joannes Antonius Campanus Episcopus Teramensis in litteris anno 1464. scriptis ad Jacobum Cardinalem Papiensem: *commendaveram tibi*, ait, *superioribus diebus Salviatum meum. Cupio intelligat, Campanum aliquid sibi apud Papiensem profuisse; & dignus est quem complectaris cum quod mihi est deditissimus, tum quod officio, diligentia, industria cedit nemini. Utor illius opera in negotiis meis omnibus, & quod est hoc tempore in amicitia summum, utor & rebus. Debeo illi quantum post te in Curia nemini. Juvit me pecuniis saepe, absentis caussam sponte suscepit, nec labores mea caussa quamvis gravissimos defugit unquam. Jam quid a te expectem vides: non possum ipse illius erga me officiis & plurimis, & maximis satisfacere* (4). Ex duobus epigrammatis ejusdem Campani, quorum alterum ad Cosmum Ursinum Romanum, alterum ad Epidaurum (5) ipse inscripsit, erudimur, Salviatum per duos menses aegrotasse summo cum periculo vitae suae. Id verò accidisse Florentiae an-

(1) Extant *Protocollo* 32. *litt.* R. *fol.* 1.
(2) *Diario della Città di Roma T. III. par. 2. S. R. Ital. col.* 1146.
(3) *In vita Sixti IV. fol.* 261. *edit. Ven.* 1562.
(4) *Libro* 4. *Epistolarum inter ejus Opera edit. Rom.* 1495.
(5) *Ad calcem lib.* 8. *Elegiarum*, *& Epigrammatum*.

anno 1471. existimo; etenim Campanus anno citato nonis Octobris Herbipoli manens, scribensque ad Gentilem Urbinatem clare, aperteque ostendit, Salviatum recenter gravi morbo laborasse: *de meo Salviato*, verba sunt Campani, *diu sum misere cruciatus, quod videbatur ex corporis morbo tam diuturno concidisse, & in animi angustias; quare pedem referens a tristibus ad laetiora revertor* (1); & scribens sub iis temporibus ad Salviatum ipsum inquit: *post discessum ab Hetruria meum neque an convalueris, an Romam redieris . . . . potui intelligere* (2).

Cum ex his, tum praesertim ex aliis Episcopi Teramensis litteris fit manifestum, Salviatum non modò Romae habitasse, verum in Aula etiam Sixti IV. fuisse, vel publicum aliquod munus gessisse; ejusque, & Comitis Hieronymi Riarii Summi Pontificis nepotis gratiam, ac benevolentiam sibi conciliasse. In litteris ad Quarqualium haec habet Campanus „ adibis Salviatum, quid, „ aut quemadmodum agat sciscitaberis. Num mutata „ fortuna mutaret mores? Ego hanc eximiam coepi vo„ luptatem, quod Salviatus meus profecit in Curia (3) „; & in litteris ad Salviatum sic scribit: *bene vale mi Salviate; hero me humiliter commenda; dabis litteras meas illi incitamento tuo celeriter scriptas* (4). . . . *spes mea primum in Deo, deinde in benignitate Pontificis, postremò in domino Comite, & prima, & maxima omnium in te . . . . cura, & vigila mi Salviate cum domino Nicolao* (Vitellio) *& cum illustrissimo Comite, quod tibi, & judicio tuo prudentissimo videbitur* (5). Ob familiaritatem, quae Salviato cum Hieronymo paullo ante memorato intercedebat

(1) Inter litteras Cardinalis Papiensis *fol.* 210. *edit. Mediolanensis* 1506.
(2) *Lib.* 6.
(3) *Lib.* 9.
(4) *Libro* 8.
(5) *Lib.* 9.

bat, arbitror illum sumpsisse cognomen *de Riario*, quo semper utitur in monumentis Pisanis (1).

Post Philippi mortem curavit Franciscus noster in ejus locum suffici, quod facillimè impetravit, siquidem & Sixtus illum studio prosequebatur, & tanta dignitas promissa antea ei fuerat (2); etsi Gentilis nescio quis optaret, ac dare operam spopondisset, ut eadem dignitas Cardinali Papiensi tribueretur (3).

In tabulis hujus Archiepiscopii Marianus de Vecchiano Archipresbyter, & Bartholomaeus de Lombardis Canonicus anno communi 1475. die 2. Octobris dicuntur Vicarii *pro Pisano Capitulo Archiepiscopali Pisanae Curiae Sede Archiepiscopali vacante* (4); ex hoc autem inferri posse videtur, Franciscum electum fuisse in Archiepiscopum post initium mensis citati. Ego tamen non dubito, quin ille longe ante mensem Octobrem anni 1475. Pontifex extiterit; nam Cardinalis Papiensis anno laudato die 27. Julii Senis scribens ad Franciscum nostrum perspicuè ostendit ipsum renunciatum jam fuisse Archiepiscopum (5); & Sixtus IV. in litteris (6) die 29. men-

(1) Vide *Protocollum* 32. *litt.* R., & Librum inscriptum *Collationes, Confirmationes, Uniones ab anno* 1371. *ad ann.* 1480. *n.*4. *fol.* 268. *& seq.*

(2) Campanus *epistola gratulatoria ad Salviatum lib.* 9. „ cogitavi fateor de
„ te post F. reditum; nam is & mortem Antistitis Pisani, & conten-
„ tionem susceptam pro te significaverat. Multa animum circumvenie-
„ bant consilia, imprimis promissio tibi facta in disceptatione Florenti-
„ na, & amor Principis; & vigilantia tua incredibilis occurrebat. „

(3) Papiensis haec habet ad Gentilem *fol.* 212. *Si de Sacerdotio Pisano conficies, quod offers, beneficio aeterno me obligabis. Addes ad domesticam substentationem pabulum non contemnendum, & pignus certissimum benevolentiae dabis ante oculos semper futurum. Idque ut facias pro nostra amicitia peto. Quanto autem tempestivius procuratio impetrabitur, tanto minus erit & difficultatis, & operae . . . . . Hortor tamen ut de summovendis interim competitoribus cogites; iis loquor, qui timendi merito sunt. Nullum nomino, sed tu Aulam Pontificis lustra, & eos considera.*

(4) Extant *libro citato fol.* 184.

(5) *Fol.* 298. Has litteras paullo post integras dabimus.

(6) *T. I. Annalium Ordinis Servorum B. M. V. cent.* 3. *lib.* 3. *ad ann.* 1475. *pag.* 542.

29. mensis Aprilis anni superius memorati datis, quibus ipse narrat, Salviatum dimisisse *Prioratum* Ecclesiae Pisanae Sancti Antonii *Armenorum*, *quem ex concessione & dispensatione Apostolica in Commendam obtinebat*, eumdem Salviatum vocat Pontificem Pisanum electum. Ferdinandus Ughellius, Cardosius, & alii volunt, Salviatum Archiepiscopatus honorem anno 1474. obtinuisse; quod mihi valde probatur ob Cardinalis Papiensis auctoritatem, qui in litteris ad Campanum anno indicato die 20. Decembris ita loquitur: *de Salviato, quod penè exciderat, cum grandi Ecclesia grandes curae accessere. Tam sunt ab ea tradenda Florentini aversi, quam ipse ad accipiendam conversus* (1). Ideo vero, nisi me fallo, in tabulis Pisanis haec Ecclesia vacans appellatur mense Octobri anno 1475., vel quia Salviatus electus quidem tunc erat, sed non consecratus, vel potius quia Pisani illum ceu proprium Pastorem nondum habebant ob rationes mox adducendas.

Archiepiscopatum Pisanum consequutum esse reclamantibus, & nolentibus Florentinis, quibus Pisae vectigales erant, posterorum memoriae mandarunt Philelphus (2), Macchiavellus (3), & Brutus (4). Sed testis est Campanus scribens ad Salviatum, Florentinorum multos laetatos esse, quod ille ad tantum honorem provectus fuerit „ Sed me imprimis consolatur Salviati mei

prae-

(1) *Fol*, 293.

(2) *In litteris ad Sixtum IV.* Apud Balutium *T. I. Miscellanorum pag.* 515. *edit. Lucensis*.

(3) *Historie Florent. lib.* 8. *pag.* 280. *edit.* 1550.

(4) *Historiae Florentinae lib.* 6, *pag.* 288. *edit. Ven.* 1764. Consule item Cardinalis Papiensis verba superius recitata. In Aula etiam Romana quosdam fuisse, qui Francisci Salviati promotionem improbarunt, legitur in pseudoactis (si tamen iis hac in re fides adhibenda est) Synodi Florentinae, de quibus postea agam diligenter; in his enim *pag.* 34. illorum scriptor sic alloquitur Sixtum: *ita per saltum, & nullo accedente voto eum* (Salviatum) *promovisti, ut multi Cardinales eum Archiepiscopum non existimarent*. Qui pseudoacta laudata publicavit, annotationibusque auxit perperam verba citata refert ad Cardinalem Raphaelem Riarium,

„ praestans, & nulli succumbens animi magnitudo. Lo„ quar tecum fidentius mi Salviate : si dominus noster „ (*Sixtus*) vir est qui semper fuit, & ille dominus Co„ mes charum te habet, haec perturbatio tua felicitas „ est. Sume animum Salviate, intende vires, & nervos, „ erige, & expande vela. Sunt etiam hic Neapoli qui „ tibi faveant. Sunt Florentiae complures, qui partim „ dolent, partim irascuntur, partim etiam indignantur, „ te Civem honesto genere, optimis parentibus natum, „ virum industrium, utilem futurum Civitati, designa„ tum a Papa, Patrum collegio confirmatum, nulli cri„ mini obnoxium repudiari, & pro quo? extorre igno„ bili quamquam litteris praedito : *chi la dura la vin*„ *ce* (1) „.

Tametsi complures Cives Florentini a Salviati partibus starent, possessionem tamen Archiepiscopatus Pisani statim inire nequivit, Laurentio Mediceo, cujus auctoritate omnia Florentiae administrabantur, imprimis obstante (2). Cur id fecerit, non satis apertum est. Joannes Michael Brutus (3) existimat, Laurentium sese Salviato opposuisse, quod illum inimicum suum esse intelligeret, timeretque, ne *ad privatas simultates ex opimi Sacerdotii vectigalibus vires, & fiduciam sumeret, ac civiles*

(1) *Libro 9.*

(2) Confer Niccolaum Valorium *vita Laurentii Medicei pag. 22. edit. Florentiae* 1749., & Sixtum IV. *in litteris contra Laurentium* apud Odoricum Raynaldum *in Annal. Ecclesiast. ad ann.* 1478. *num.* 8. Ad hanc Laurentii repugnantiam respicere existimo Cardinalem Papiensem in his ad Salviatum litteris *fol.* 298. „ Quo in loco res tuae sint, ex „ litteris Francisci Casati puto te accepisse. Quantum ille ad me „ scripsit, meliore multo esse, meo judicio, possent. Perseverat ea„ dem duritas, eadem repetitio promissorum. Quid ultra dicam non „ habeo. Quid operer, non sane succurrit. Expendenti singula dili„ genter, alterum ex duobus consiliis superest, quae tibi Romae mon„ stravi. In utrum magis inclines tu vide, cui notiores sunt dome„ sticae rationes. Mihi inter utrumque pendere, nil inutilius esse „ videtur. Consumptis jam ceteris aut liberalitate vincendum est, „ aut potestate.

(3) *Loco cit.*

viles in Republica dissensiones foveret. Equidem Laurentium timuisse, vel saltem timere simulasse, ne Salviatus Pisas ad Ecclesiam suam veniens dissidia, ac dissensiones faceret, indicare etiam videtur Campanus rem ejusdem Salviati Laurentio ipsi commendans: *repellitur Civis*, inquit, *non quia indignus est praesidatu; est enim non obscuro loco natus ipse, non ignarus, non imperitus vir, industrius, vir cujus opera uti possis. Verum temporum haec difficultas: nemini magis convenit rem Pisanam concordem esse, quam tibi: jam in factiones cum ventum sit, necesse est, ut alas factiones, ut quibus viris Civitates committas consideres* (1). Quod autem Salviatus esset eo tempore Laurentii inimicus, falsum omnino censeo; nam Campanus laudatus optans, ut Franciscus domesticus suus consequeretur Canonicatum Florentinum Ecclesiae S. Laurentii, ita ad Salviatum Florentiae manentem (2) scribit: *Salviate vigila, surge, curre, Laurentium vostrum quaere, arripe, tene, roga, obsecra, obtestare, & si hoc non proficias modo, stringe, coge, preme, extorque, ut &c.* Quis autem non colligit ex his litteris, summam Salviatum inter, & Laurentium amicitiam intercessisse? & ad eundem Laurentium haec habet Campanus: *scio te non ideo adversari Salviato quoniam Salviatum odio habeas. Scio, illum semper bene de te sensisse, bene loquutum fuisse de tuis fortunis: non possum non mirari cur haec exorta contentio est; non possum omnia colligere*. Accedit quod Valorius (3), & Ammiratus (4) narrant, Salviatum factum esse Laurentii inimicum, quoniam per hunc Archiepiscopatus Pisani possessio, & proventus impeditus ei fuit. Itaque in ea sum opinione, ut credam, Laurentium principio adversatum esse

(1) *Libro* 9.
(2) *Libro* 5.
(3) *Loco indic.*
(4) *Historie Fiorentine lib. 24. ad ann. 1478. T. II. par. 2. pag. 126.*

esse Salviato, quoniam Pontifex Pisanus creatus fuerat a Sixto IV. auspicibus Hieronymo ejus nepote, & Francisco Pactio (1) Salviato ipsi amicis, quos summo odio prosequebatur Laurentius, ut in multis eventibus ipse luculenter ostenderat.

Salviato Pisis absente, munera, quae sunt Episcoporum peculiaria, gerebat in hac Urbe, & Dioecesi Zaccharias Pisanus Antistes Chalcedonensis, quod liquet ex tabulis, quarum est initium „ Omnibus sit manifestum, „ quod Reverendus in Christo pater, & dominus Zaccharias de Pisis, Dei gratia Episcopus Calcidonensis „ Reverendissimi in Christo patris & domini, domini „ Francisci Salviati de Riario eadem gratia Archiepiscopi Pisani Suffraganeus generalem Clericorum Ordinationem celebravit in Pisana majori Ecclesia Pontificalibus indutus...... anno Dominicae Incarnationis MCCCCLXXVII. Indic. X. die vero Sabbati Dominicae Passionis XXII. mensis Martii stilo Pisano (2).

Tandem post integrum annum, annitente imprimis Sixto IV. Salviatus noster Ecclesiae suae possessionem inire potuit, quam tamen non inire multo utilius illi fuisset; etenim cum a privato Cive Laurentio injuste vexatum in propria jurisdictione exercenda (3) sese videret, de illo, ejusque fautoribus interficiendis conjuravit, ac ob tantum scelus laqueo suspensus est, ut inferius narrabo. Itaque anno 1475. die 14. mensis Novembris Marianum, cujus antea meminimus, Procuratorem

 suum

(1) *In Diario MS.*, quod est in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *num.* 17., Salviatus dicitur *fatto per loro*, idest Pactiorum, *operazione Arcivescovo di Pisa*.

(2) In Archivo secreto Archiepiscopii *num.* 2672.

(3) Sixtus IV. *in litteris citat. num.* 9. „ cum per Omnipotentis Dei gratiam *Apostolicae Sedis* praevaluisset auctoritas, idemque Franciscus „ Archiepiscopus, qui etiam ex insigni familia Salviatorum optimorum Civium Florentinorum exstabat, mandatorum nostrorum vigore „ regiminis, & administrationis dictae Pisanae Ecclesiae pacificam pos- „ ses-

suum instituit, eique praecepit, ut Archiepiscopatus Pisani subiectos ad jurandam sibi novo Pontifici fidem adigeret, quod ille fecit anno sequenti octava mensis Januarii die (1). Eodem anno Salviatus Pisas veniens a Canonicorum Capitulo postulavit *pecuniam acceptam a Doctoribus Doctoratis in studio Pisano tempore absentiae a dicto ejus Archiepiscopatu antequam possessionem ipsius assequeretur*. Archiepiscopus enim ad sese eandem pecuniam spectare asserebat, quod Capitulum negabat. Quamobrem, ut sine contentione proprii juris periculum facerent, compromiserunt *in excellentissimos Doctores dominum Baldum de Bartholinis, dominum Petrum Philippum de Cornio de Perusio, dominum Bartholomaeum Socinum de Senis dominum Jeronymum Zannettium de Bononia, dominum Felinum Sandeum de Ferraria, & dominum Lancellottum Decium Mediolanensem, Doctores in Pisano studio legentes*. Initio ab iis suffragio die 21. Augusti anno superius laudato 1476. deprehensum est, quod *tres ex dictis sex Doctoribus dederunt vota in favorem dicti Reverendissimi domini Archiepiscopi. Duo autem in neutram partem, videlicet, quod neque domino Archiepiscopo, nec Capitulo dicta emolumenta de jure debeantur, & unus duntaxat videlicet sextus in favorem Capituli praedicti*. Sed cum dubium ortum esset, cuinam hi judicio suo favissent, Archiepiscopus, & Capitulum inter sese convenerunt *mittere dictam quaestionem decidendam, & terminandam per prae-*

„ sessionem consequutus fuisset, idem Laurentius pravo, & maligno
„ animo tam in eum, quam in multos alios dictae Civitatis Florentinae etiam primarios, & optimates Cives odia exercens continue
„ dicti Archiepiscopi auctoritatem conculcare, & in iis, quae ad eum
„ spectabant indebite se immiscere, ac ipsius Archiepiscopi sicut &
„ tyrannide quadam Florentini populi, omnem auctoritatem sibi vendicare, & usurpare non cessavit „. Ex hoc, & aliis monumentis mox judicandis apertum est, errare Petrum Cardosum scribentem, Salviatum Archiepiscopatus Pisani possessionem nunquam inivisse.

(1) Vide Librum inscriptum: *Instrumenta juramenti fidelitatis n. 3.* Extat in Tabulario secreto Archiepiscopii.

praestantissimum Juris utriusque Doctorem dominum Alexandrum de Imola Bononiae legentem, quem elegerunt in consultorem, & promiserunt ejus stare consilio (1). Quam sententiam tulerit Alexander ex monumentis Tabularii hujus Archiepiscopii non constat.

Quandoquidem Salviatus multum pecuniae erogaverat pro capessenda Ecclesiae suae possessione, ideo anno 1477. die 27. Augusti a Sixto Pontifice Maximo rogans impetravit licentiam semel exigendi ab universo Clero Pisano vectigalia (2). Obtinuit etiam ab eodem Pontifice anno citato mense Novembri litteras ad Aleriensem & Chalcedonensem Antistites, nec non ad Abbatem Monasterii S. Michaelis in Burgo inscriptas, quibus ille eis curare jubebat, ut restituerentur *Mensae* Archiepiscopali *diversa mobilia etiam pretiosa, & immobilia bona* ad eam spectantia, quae abstulerant *nonnullae tam Ecclesiasticae etiam Regulares, quam Seculares personae in Florentina, & Pisana Civitatibus, & Dioecesibus commorantes, tam vivente bonae memoriae Philippo Archiepiscopo Pisano dum infirmaretur ea infirmitate, de qua decessit, quam etiam eo postmodum vita functo Ecclesia Pisana per ipsius Philippi obitum vacante, & etiam post ipsius Francisci ad illam promotionem antequam ipse Franciscus regiminis, & administrationis dictae Ecclesiae possessionem, vel quasi, assequi posset* (3).

Franciscus Pactius Florentinus divitiis, & nobilitate spectabilis Romae his temporibus versabatur, cumque gravissimas iniurias a Laurentio (4) accepisset, vi-

(1) Confer *Protocollum n. 32. litt. R. fol.* 10.
(2) Ex literis Sixti IV. *in Appendice monument.*
(3) Literae in Archivo *Decade* 268. *n.* 2668.
(4) Perhibent Julianum repraehendisse Laurentium, quod nimis esset in Pactios contumeliosus; eique dixisse, *vereri se, nisi inimicitiis exercendis statuendum sibi aliquando modum aliquem putaret, ut hi, quos minime illius caussa, & suorum vellet, illi praefinire vi, & armis conarentur*. Joannes Michael Brutus *Historiae Florentinae lib.* 6. *pag.* 288. *edit. cit.* Vide etiam Macchiavellum *Historie Fiorentine lib.* 8. *pag.* 281. *edit. cit.*

deretque, quandiù incolumis esset Laurentius ipse, & ejus germanus frater Julianus, sibi non licere tutò Florentiae agere, atque ex majorum suorum dignitate, de Mediceorum vi identidem graviter conquerebatur Hieronymo Riario, qui non secus ac Franciscus Pactius Mediceis iratus erat, illosque odio prosequebatur, siquidem optime noverat, ipsos post Sixti IV. obitum futuros esse impedimento quominus retinere valeret Principatum in Flaminia. Itaque inter sese convenerunt de duobus fratribus e medio tollendis; quod consilium detectum Francisco Salviato, qui vexatus a Mediceis Pontificatum Pisanum quiete possidere nequibat, is statim probavit (1), & rationem illius conficiendi praescripsit teste Angelo Politiano (2).

Sixtum Summum Pontificem non solum optasse, ut duorum fratrum potentia deprimeretur, verum etiam morti, quam inferre iis decreverant conjurati, consensisse, legitur in quodam scripto (3), ubi ad id probandum

(1) Adeundi Macchiavellus *loco citato*, Brutus *lib. indic. pag.* 285., Volaterranus *lib.* 5. *Commentariorum Urbanorum fol.* 51. *edit.* 1526., & Ammiratus *loco cit.*

(2) *Historia de Pictiana in Laurentium, & Julianum fratres, universamque Mediceam gentem conjuratione pag.* 636. *inter ejus opera edita Basileae* 1553. „ H.c (*Salviatus*) una cum Francisco Pactio, quod propter in„ sitam animo vanitatem ingenteis spes sibi proposuerat, consilium Lau„ rentii, ac Juliani necandi, occupandaeque Reipublicae multo antea „ Romae dicitur agitasse, tandem in suburbana Jacobi Pactii villa, „ quod Montughium dicitur una omnes in facinus conjurant: ejus con„ jurationis formulam Salviatus ipse praescribit. Principes conjura„ tionis post Salviatum Jacobus, & Franciscus Pactii.

(3) Hoc petulantissimum scriptum, in Gallicam quoque linguam translatum, & quibusdam brevibus annotationibus auctam praesenti anno 1770. iterum vulgatum est sine editionis loco hujusmodi titulo: *Synodus Florentina contra Sixtum IV. in favorem Laurentii de Medicis, & domus ejus in occasione conjurationis familiae de Pazzis*. Dixi iterum vulgatum, nam doctissimus Lamius *Catalogo Codd. MSS. Bibliothecae Riccardianae pag.* 358. 152. postquam observavit in eadem Bibliotheca hujus scripti apographum MS. servari, affirmat in Bibliotheca item Stroctiana illius exemplar typis editum extare. Ob occisionem Francisci Salviati, & reten-

dum in medium afferuntur verba Joannis Baptistae a Montesicco, qui post tragicum scelus, quod juxta condictum per-

retentionem Cardinalis Riarii Laurentio Mediceo excommunicato, totaque Urbe Sacris a Sixto interdicta Florentinos Concilium celebrasse narrat Macchiavellus *op. cit. pag.* 292. his verbis : *fecero un Concilio in Firenze di tutti i Prelati Toscani, che all' imperio loro ubbidivano, nel quale appellarono dall' ingiurie del Pontefice al futuro Concilio* ; & post Macchiavellum Brutus *op. cit. lib.* 7. *pag.* 325., Pagius *in vita Sixti IV. num.* 46. Duobus ab hinc annis satyrici hujus libelli exemplar mihi comparavi descriptum ex apographo, quod est in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 37. *Cod.* 48. apud Franciscum Cionacciu.n *Istoria MS. della Chiesa Fiorentina T. II.*, cumque illud diligenter pervolvissem nunquam animum inducere potui, idem scriptum esse Acta memorati Concilii. In primis enim ne umbram quidem in iis apparet ejus formae, qua uti solent Episcopi in judiciis Ecclesiasticis ferendis. Deinde nullae sunt Antistitum, qui adfuerunt subscriptiones. Praeterea ex maximo discrimine, quod intercedit inter scriptum hoc, & Acta Concilii, quod Episcopi Florentini, suadentibus Urbis Proceribus, anno 1409. celebrarunt, in eoque definierunt, non amplius obtemperandum esse Gregorio XII., evidenter colligitur idem scriptum decretum Episcoporum Florentinorum dici non posse. De laudato Concilio disserui *in Alamanno Adimario pag.* 123. Tandem Reipublicae Florentinae litterae scriptae post orta dissidia ad Sixtum IV. contendentem, ut Laurentius Urbe expelleretur, etsi non omnino moderatae, acerbae tamen, & impudentes vocari non possunt, ut videre est apud Antonium Gallum, qui eas refert *de rebus Genuensibus T. XXIII. S. R. Ital. col.* 293. Quod si modeste sese gesserunt cum Sixto viri Urbis principes, qui occasione conjurationis maximum vitae periculum subierant, & postmodum aliis poenis vexabantur, quis unquam persuadere sibi poterit contumeliosissima verba in citatis pseudoactis contenta in Christi Vicarium protulisse sex catholicos Episcopos in Concilio congregatos ? Hi enim nullam injuriam, quantum scitur, acceperant a Sixto; immo eorum quidam imprimisque Nicolaus Pandulphinius Florentinus Ecclesiae Pistoriensis Antistes eidem deditissimus erat, ut perhibet Ughellius in ejusdem Ecclesiae Historia. Narrat quidem Antonius Gallus memoratus, quod eo tempore Florentini nullo *in Pontificem conviciorum genere temperabant*, quodque *ejus majestatem probosis, sacrilegisque scriptis etiam non dubitabant incessere*. At his verbis Auctor noster indicat Satyras a privatis, clancularii sque Poetis contra Sixtum confectas, non scriptum ab Episcopis simul congregatis dictatum. Itaque in ea sum opinione, ut credam, scripti, de quo disputatur, architectum fuisse aliquem ex impudentissimis Laurentii, & Juliani assentatoribus, qui ut lectoribus suis fucum faceret scriptum illud sic exorditur : *Florentina Synodus in luce illa Spiritus Sancti congregata &c.* terminat vero his verbis : *Datum in Ecclesia nostra Cathedrali Sanctae Reparatae* 20. *Julii* 1478. Profusissimae in duos fratres laudes, ita de illius scripti Auctore judicandum esse, demonstrant.

perpetrare ipse contra Laurentium debebat, a Florentinis captus, fassus est, se ab Archiepiscopo Salviato, & Hieronymo Riario audivisse, Sixtum approbasse, ut Medicei fratres necarentur. Tametsi rumor in vulgus sparsus a nonnullis Mediceorum fautoribus postquam Laurentius Sacris interdictus est, perferret, Sixtum ipsum coniuratorum consiliis adhaesisse, Positianus tamen, qui de Pactiana in Laurentium, & Julianum fratres, universamque Mediceam gentem coniuratione historiam ex professo scripsit, ac perplura maledicta aspere, & ferociter, & libere dicit in omnes crudelissimi ausi participes, de Sixto ne verbum quidem in ea facit: Historici verò, & ii quidem magni, atque nobiles, Brutus (1) nimirum, & Nardius (2), qui memoriae prodiderunt, fuisse quosdam per ea tempora adeo perversè de Pontifice Maximo sentientes luculenter ostendunt, se id haud certò credidisse. Sed & non defuisse ea aetate, qui Sixtum a tanti sceleris infamia vindicarent affirmat idem ipse Brutus (3). Quamobrem existimo subscribendum esse Odorico Raynaldo, qui in suis Annalibus (4) Ecclesiasticis ait; *passim ab Historicis etiam Pontificio nomini addictis carpitur Sixtus ut coitionis in Mediceos particeps, quamquam illum patrandi flagitii ratio ultimò a coniuratis concepta latuit; sed quod Mediceos, quos saepius hostes senserat, a Reipublicae Florentinae gubernaculis depelli percuperet*. Neque aliter probat Joannis Baptistae a Montesicco

(1) *Lib. 6. pag. 285.* „ ac quamquam, *inquit*, ut ferebatur, haud penitus „ erat Xistus ab eorum consiliis aversus „ Vide item eundem Brutum *pag.* 292.

(2) *Lib. 1. delle Historie Fiorentine pag. 11. edit. Florent.* 1584. „ dagli sdegni di „ queste due famiglie (*Pactiae, & Salviatae in Mediceam*) fu causata „ la infrascritta perniziosa congiura mediante il favore del Conte Gi„ rolamo Riario nipote di Papa Sisto, e Signore d' Imola, e di Forlì. „ E secondo, che allora si diceva, non senza saputa del medesimo Pon„ tefice „.

(3) *Pag.* 285.

(4) *Ad annum 1478. num.* 3.

teficco testimonium; etenim Sixtum morti inferendae Mediceis consensisse eidem persuasit Hieronymus, ut illum facilius induceret ad Laurentium interficiendum, quod idem ipse Joannes Baptista vir prudens, & rerum non imperitus facere renuebat (1); cumque Summus Pontifex, ob nimium in Hieronymum nepotem amorem ejus voluntati in omnibus obsequeretur, in caussa fuit, cur plures suspicarentur, coniuratis de Mediceis e medio tollendis illum adhaesisse (2).

Sed ad Salviatum redeamus. Hic, aliique conjurati cunctis, quae necessaria sibi videbantur, paratis, Florentiam anno 1478. accedentes, post frustra quaesitam tum in obviis occursibus, tum in conviviis opportunitatem Mediceos occidendi, tandem decreverunt nefarium scelus patrare in Templo majori, quò duos germanos fratres ad audiendam Missam die Dominico 26. Aprilis conventuros sciebant. Itaque conjuratorum partim ad Templum petierunt, ubi statim ac peracta Sacerdotis communio est signo dato Julianum occiderunt, & Laurentium, quem occidere nequiverunt, vulnerarunt; alii numero triginta duce Salviato, qui obtentu invisendae matris suae ceteros comites reliquerat, in Curiam contenderunt, ut viros Reipublicae principes ex altissimis fenestris in subiectum comitiorum campum praecipitarent (3). Interim Salviatus ipse Caesarem Petrutium Vexilliferum, qui

cum

(1) Confer Brutum *Lib. cit. pag.* 290. *& seq.*

(2) *Non desunt tamen, qui Xistum a tanti sceleris infamia vindicent, Hieronymumque affirment, cum ejus auctoritate ad ceteros confirmandos abuteretur, ut haec suspicio in Pontifice haereret, plus aequo illi in omnibus indulgente effecisse.* Brutus *pag.* 285.

(3) Franciscus Philelphus *in litteris ad Sixtum IV.* apud Balutium *T. I. Miscellaneorum pag.* 513. *edit. Lucensis* : Salviatus petiit *Palatium Reipublicae Florentinae triginta munitus emissariis clam armatis, & subdolis, quo ipsos Principes ex altissimis fenestris illis in subiectum comitiorum campum praecipitarent.* Haec vero habent pseudoacta laudata *pag.* 28. *& seq.* „
„ Archiepiscopus simulata salutione matris, relicto in Ecclesia Cardi-
„ nale, domum se contulit. Conventum enim erat inter eos, ut au-

„ ditis

cum collegis prandebat, in colloquium vocavit, *sub praesentandi Brevis Apostolici nomine* (1). At Caesar incostantiam sermonis, vultusque in Salviato videns, dolum suspicari coepit; quocirca sublato clamore, ac familia excitata e cubiculo sese repente proripuit; statimque qui Magistratui assistere consueverant ad tumultum multitudinis clamore excitati Franciscum Salviatum comprehenderunt, & paullo post eum de publico palatii fenestris suspenderunt, cumque vitam finivisset corpus ejus, fracto laqueo, dejecerunt (2).

Hoc mortis genus, Astrologum nescio quem, Salviato praenuntiasse, eumque praedictionem hujusmodi risisse, scribit Simon Majolus apud Dempsterum (3), & Auctor Anonymus Diarii MS., quod est in Bibliotheca Magliabechiana (4) dicens „ cosa di gran considera„ zione fu, che essendo Monsignor Francesco Salviati „ *in minoribus*, sendo a Roma fu da un suo amico „ menato a farsi fare la natività sua da uno, che dopo molte

„ ditis Campanis in elevatione Corporis Christi, emissarii in Ecclesia „ genuflexos, & adorantes fratres trucidarent: Archiepiscopus in Palatio Civitatis curiam, dominos Urbis, ac aditus armatis occuparet. Jacobus Eques Pazzius commissa in Templo caede cum manu „ armatorum populum convocans invasoribus Palatii succurreret. Ingressi enim jam erant tanquam familia Cardinalis Urbem lecti sub „ Joanne Baptista milites. Agrum quoque Aretinum Laurentius Castellanus, Mugellum Tolentinas Imolae Gubernator cum exercitu „ Sixtiano intraverant. Evenit autem, ut in Ecclesia ab elevatione „ ad Communionem res differretur . . . . Ut enim Sacerdos in ejus „ memoriam Calicem sumpsit, ambo inermes, & sine ulla suspicione „ ab armatis sicariis invaduntur: occiditur statim Julianus a Franciscino Pazzio, Bernardoque Bandino lateri ejus haerentibus . . . . „ Laurentius, sive quod pluris faciens Dominus eleemosinas, quam „ simonias Comitis Hieronymi *obumbraverit caput ejus in die belli*, sive „ quod strenue manu, & clamore populi se defenderit, uno tamen „ vulnere accepto hospes in Sacrarium se recepit.

(1) *Eadem pseudoacta pag.* 32.

(2) Sixtus IV. *in litteris contra Laurentium* apud Raynaldum *ad ann.* 1478. *num.* 10.

(3) *De Etruria Regali lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 267.

(4) *Classe* 25. *Codice* 17.

„ molte cose li disse, che sarebbe impiccato. Il Salvia-„ ti se ne fece besse. Sendo di poi fatto Arcivescovo, „ e ricordandosi di quel prognostico, scrisse a quel suo „ amico, che trovassi l'Astrologo, e li dicessi come „ gl'era Arcivescovo di Pisa, e che non si era apposto „ quando li disse, che sarebbe impiccato, perchè gli „ Arcivescovi non si impiccano: l' Astrologo di nuo-„ vo considerato, rispose all' amico: scriveteglì, che „ sarà impiccato ad ogni modo, siccome seguì pochi „ mesi dopo la rinnovazione del prognostico „. Hujus historiae fides sit apud Auctorem suum.

LVII. RAPHAEL RIARIUS.

Savone Urbe Liguriae ortus est patre Antonio Sansonis, matre Violante Riaria Sixti IV. nepte, cujus stemma, & cognomen Raphael noster sumpsit Sixto ipso jubente (1). Adolescens, annos scilicet decem, & otto natus (2), in Purpuratorum collegium a propinquo Pontifice numeratus est anno 1477. die 10. mensis Decembris, quo tempore in hac celebri Pisana Academia Juri Pontificio operam navabat (3).

Anno sequenti cum designatus jam esset Perusiae Legatus Florentiam una cum Salviato Archiepiscopo ivit, ubi summis honoribus affectus est (4). Itionis suae

(1) Oldoinus *T. III. Additionum ad Ciaconium col.* 70.
(2) Nereus Strinatius *Cronichetta pag.* 129. *edit. Mannii*.
(3) Macchiavellus *op. cit. pag.* 283. ait : *haveva il Papa tenuto nello studio Pisano a imparar lettere Pontificie Raffaello di Riario nipote del Conte Girolamo, nel qual luogo ancora essendo, fu dal Papa alla dignità del Cardinalato promosso*. Vide etiam Brutum *lib. 6. op. indic. pag.* 297.
(4) *Pseudoacta Synodi Florentinae pag.* 24. „ creatur interim Cardinalis in „ Studio nostro Pisano suus hic adolescens (*Raphael*) nepos Comitis. „ Venit Montughium Pazziorum villam tamquam profecturus Perusiam „ suae jam Legationis Provinciam : secum erat Archiepiscopus Sal-„ viatus : visitatur publico, privatoque nomine a Civibus universis: „ invitatur Fesulas a magno Laurentio.

consilium tegere curarunt vel petendi Perusiam, vel potius, ut Brutus (1) ait, visendae Urbis, & relaxandi simul animi specie; sed Valorio (2) judice, deductus est, *sive ut conjuratos praesentia sua confirmaret, illisque cum suis satellitibus praesto esset, sive ut sic facilius occultarentur insidiae, quae juvenibus* (Laurentio, & Juliano) *parabantur*. Conscium extitisse conspirationis fidenter asserit Justinianus (3); sed Paullus Jovius, ut ceteros praeteream, scribit, Florentinos arbitratos esse *propter adolescentiam, ac ingenii simplicitatem tantae rei consilium ei minime commissum fuisse* (4). Qua die conjurati in principe Ecclesia Julianum occiderunt, Raphael maximum vitae periculum subiit, quod ut evaderet ad Aram confugit, ibique corona Sacerdotum septus tamdiù fuit, donec populi tumultus sedaretur (5). Ductus postea domum per Civitatis Magistratum, in ea teste Jacobo Volaterrano Auctore synchrono *amantissime, & honorifice custoditus fuit* (6), non vero in vincula conjectus, & indignissime habitus, uti scribit Antonius Gallus (7); nec defuere ex Reipublicae Proceribus, qui eum suspendendum esse arbitrarentur (8); quibus tamen Laurentius respondit: *non patiar quod Florentina Civitas, quae semper Apostolicae Sedis devotissima fuit, nunc tali nota maculetur; & imo trahens de pectore vocem: satis, inquit, superque saevitum est, satis cruoris effusum* (9).

Laurentii cura, & opera Cardinalem superstitem servatum fuisse, ipsemet etiam testatur in his litteris (10) ad

(1) *Ibidem*.
(2) *Vita Laurentii Medicei pag.* 22.
(3) *Annali di Genova lib.* 5. *fol.* 237.
(4) *In vita Leonis X. lib.* 1. *pag.* 7. *edit. Torrentini*.
(5) Confer Brutum *op. cit. pag.* 302.
(6) *Diario Romano T.* XXIII. *S. R. Ital. col.* 99.
(7) *De Rebus Genuensium T. cit. col.* 283.
(8) *Diarium Parmense* apud Muratorium *T.* XXII. *S. R. Ital. col.* 278.
(9) Consule Valorium *op. indic. pag.* 26.
(10) Exstant *in pseudoactis cit. pag.* 58. *& seq.*

ad Sixtum IV. „ Paucis ante diebus, Beatissime Pater, „ Sanctitati Vestrae significavi, mihi abeundi facultatem „ fuisse concessam. Declaravi praeterea quantum huic „ Senatui, & praesertim Laurentio Medici ob mirificam „ in me pietatem essem obnoxius. Postremo Sanctitatem „ Vestram suppliciter obsecrabam, ut pro beneficiis in „ me suo nomine conlatis, beneficio aliquo Florentinos „ nos afficeret. Verum longe me mea fefellit opinio, „ siquidem nuntiatum, populo Florentino, Laurentio „ praesertim Sacris interdictum fuisse. Et quibus bona „ desiderabam, expectabamque, mala nunc, eheu mi„ ser, video contigisse. Mirabitur forte Sanctitas Ve„ stra, quod me modo miserum nuncuparim. Quid mi„ rum? exprimere non possum, Beatissime Pater quan„ to dolore premar, quod vel parum apud Sanctitatem „ Vestram meae preces valuisse putentur, vel in eos in„ gratus existimer, quibus usque adeo gratus esse per„ cupio: ut non prius abire hinc meo quidem judicio „ decere videatur, quam lata in eos sententia retracte„ tur.

„ Si Medicum pietas huic populo manifestissima „ Beatitudini Vestrae satis nota esset, nunquam tanquam „ impios eos execraretur. Quantum laetatus sum, quan„ do me Vestra Sanctitas Cardineis titulis decoravit, „ tantum certe, multoque magis gaudebo, cum sensero „ meo nomine hos Optimates optime de nobis meritos „ aliquando muneribus gratitudinis ornavisse. Tunc ma„ xime Beatitudini Vestrae commendatum esse cognos„ cam, cum Senatum hunc, Laurentiumque nostrum „ inprimis intelligam commendatum. E Monasterio An„ nuntiatae die 11. Junii 1478.

Cum Ecclesia Pisana, mortuo Francisco Salviato, sine Pastore pluribus mensibus fuisset, in ejus Archiepiscopum electus est Raphael anno 1479. die 17. Septem-

consilium tegere curarunt vel petendi Perusiam, vel potius, ut Brutus (1) ait, visendae Urbis, & relaxandi simul animi specie; sed Valorio (2) judice, deductus est, *sive ut conjuratos praesentia sua confirmaret, illisque cum suis satellitibus praesto esset, sive ut sic facilius occultarentur insidiae, quae juvenibus* (Laurentio, & Juliano) *parabantur*. Conscium extitisse conspirationis fidenter asserit Justinianus (3); sed Paullus Jovius, ut ceteros praeteream, scribit, Florentinos arbitratos esse *propter adolescentiam, ac ingenii simplicitatem tantae rei consilium ei minime commissum fuisse* (4). Qua die conjurati in principe Ecclesia Julianum occiderunt, Raphael maximum vitae periculum subiit, quod ut evaderet ad Aram confugit, ibique corona Sacerdotum septus tamdiù fuit, donec populi tumultus sedaretur (5). Ductus postea domum per Civitatis Magistratum, in ea teste Jacobo Volaterrano Auctore synchrono *amantissime, & honorifice custoditus fuit* (6), non vero in vincula conjectus, & indignissime habitus, uti scribit Antonius Gallus (7); nec defuere ex Reipublicae Proceribus, qui eum suspendendum esse arbitrarentur (8); quibus tamen Laurentius respondit : *non patiar quod Florentina Civitas, quae semper Apostolicae Sedis devotissima fuit, nunc tali nota maculetur; & imo trahens de pectore vocem : satis, inquit, superque saevitum est, satis cruoris effusum* (9).

Laurentii cura, & opera Cardinalem superstitem servatum fuisse, ipsemet etiam testatur in his litteris (10) ad

(1) *Ibidem*.
(2) *Vita Laurentii Medicei pag.* 22.
(3) *Annali di Genova lib.* 5. *fol.* 237.
(4) *In vita Leonis X. lib.* 1. *pag.* 7. *edit. Torrentini*.
(5) Confer Brutum *op. cit. pag.* 302.
(6) *Diario Romano T. XXIII. S. R. Ital. col.* 99.
(7) *De Rebus Genuensium T. cit. col.* 283.
(8) *Diarium Parmense* apud Muratorium *T. XXII. S. R. Ital. col.* 278.
(9) Consule Valorium *op. indic. pag.* 26.
(10) Exstant *in pseudoactis cit. pag.* 58. *& seq.*

ad Sixtum IV. „ Paucis ante diebus, Beatissime Pater,
„ Sanctitati Vestrae significavi, mihi abeundi facultatem
„ fuisse concessam. Declaravi praeterea quantum huic
„ Senatui, & praesertim Laurentio Medici ob mirificam
„ in me pietatem essem obnoxius. Postremo Sanctitatem
„ Vestram suppliciter obsecrabam, ut pro beneficiis in
„ me suo nomine conlatis, beneficio aliquo Florenti-
„ nos afficeret. Verum longe me mea fefellit opinio,
„ siquidem nuntiatum, populo Florentino, Laurentio
„ praesertim Sacris interdictum fuisse. Et quibus bona
„ desiderabam, expectabamque, mala nunc, eheu mi-
„ ser, video contigisse. Mirabitur forte Sanctitas Ve-
„ stra, quod me modo miserum nuncuparim. Quid mi-
„ rum? exprimere non possum, Beatissime Pater quan-
„ to dolore premar, quod vel parum apud Sanctitatem
„ Vestram meae preces valuisse putentur, vel in eos in-
„ gratus existimer, quibus usque adeo gratus esse per-
„ cupio: ut non prius abire hinc meo quidem judicio
„ decere videatur, quam lata in eos sententia retracte-
„ tur.

„ Si Medicum pietas huic populo manifestissima
„ Beatitudini Vestrae satis nota esset, nunquam tanquam
„ impios eos execraretur. Quantum laetatus sum, quan-
„ do me Vestra Sanctitas Cardineis titulis decoravit,
„ tantum certe, multoque magis gaudebo, cum sensero
„ meo nomine hos Optimates optime de nobis meritos
„ aliquando muneribus gratitudinis ornavisse. Tunc ma-
„ xime Beatitudini Vestrae commendatum esse cognos-
„ cam, cum Senatum hunc, Laurentiumque nostrum
„ inprimis intelligam commendatum. E Monasterio An-
„ nuntiatae die 11. Junii 1478.

Cum Ecclesia Pisana, mortuo Francisco Salviato, sine Pastore pluribus mensibus fuisset, in ejus Archiepiscopum electus est Raphael anno 1479. die 17. Septem-

 bris,

bris, uti liquet ex litteris (1) Sixti IV. Obtinuit etiam ab eodem Pontifice *Commendae* loco Monasterium S. Donnini prope Pisas; quod manifestum est ex aliis Sixti litteris, quibus ille anno 1481. die 12. mensis Julii mandat Episcopo Chalcedonensi, & Abbati S. Michaelis *de Burgo*, ut curent restituenda Monasterio superius laudato multa ejus bona, quae nonnulli clanculum possidebant (2).

Archiepiscopus noster ad Ecclesiam suam nunquam accessit, sed hanc gubernavit per Vicarios suos, nimirum Robertum Strozzium, Bartholomaeum de Morrona, Thomam Grassolinium, Balthassarem Carduccium, Vierium Medicem, Joannem de Turchinio, P. Simeonem de Martinis Abbatem Monasterii S. Michaelis *de Burgo*, & alios, de quibus fit mentio in monumentis Pisanis: Sacras vero Ordinationes, & alia munera, quae solius Episcopi propria sunt, gessit suo nomine Chalcedonensis Antistes Zacharias Palmerius Pisanus, qui *Suffraganeus* dicitur Cardinalis S. Georgii *ad velum aureum* Pontificis Pisani in duabus tabulis, quarum altera (3) anno 1487. die 25. Martii; altera (4) post quadriennium die 28. Maii scripta est. Jura quoque Archiepiscopatus tuebatur, ejusque possessiones administrabat idem ipse Zacharias, ut ex Actis (5) eorum temporum patet, in quibus dicitur Judex delegatus, & Commissarius Apostolicus, conservator jurium, & bonorum Pisani Archiepiscopatus a Summo Pontifice Sixto IV. anno 1481. specialiter electus.

Anno 1499. hujus Ecclesiae regimen dimisit; & anno 1521. Neapoli extremum diem morte confecit. De ani-

(1) *In Appendice monumentorum*.
(2) Exstant hae litterae in Tabulario Archiepiscopii *num.* 2679.
(3) In eodem Tabulario *num.* 2698.
(4) *Ibidem num.* 2708.
(5) *Ex Actis Civilibus num. 6. fol.* 275.

animi dotibus, quibus Raphael ornabatur, de quamplurìbus Ecclesiis ab ipso administratis, de Legationibus, muneribus, aliisque rebus gestis, ac de adversis eventis, quae illi acciderunt, legatur eruditus Oldoinus (1).

LVIII. CAESAR RIARIUS.

Patriam (2), & familiam communem habuit cum Raphaele, in cujus locum suffectus est anno 1499. die 3. mensis Junii, ut narrat Ughellius. Ad biennium, & ultra productam esse Caesaris consecrationem liquet ex instrumento (3), quo ipse anno 1501. die 11. Octobris vendidit quasdam possessiones Matthaeo Joannis Blasii del Rosso Blentinensi; ibi enim dicitur Archiepiscopus *electus*. Ex eodem instrumento constat, Archiepiscopum nostrum tunc versatum esse Florentiae, siquidem laudatum instrumentum confectum fuit ea in Urbe *in Palatio olim Laurentii de Medicis*. Ibidem manebat etiam anno sequenti mense Januario, quo Doctorum insignia contulit Francisco Lachio *Priori* Ecclesiae Sancti Ni-

(1) *Col. citata & seq.*

(2) In libro inscripto *Praesentationes*, *Electiones*, *Institutiones*, *Collationes ab anno* 1500. *ad* —05. *n.* 13. *fol.* 2. 8. Caesar dicitur de Forolivio; id verò factum esse censeo, quoniam domus Riaria ad annum usque 1500. in eadem Civitate dominata fuerat, ut narrat Raynaldus *Annalibus Ecclesiast. ad ann.* 1499. *n.* 23. In eodem libro *fol.* 142. 164. Caesar ipse vocatur *vices Comes de Riario;* quocirca non dubito quin Savone ortus sit. Crediderim fuisse fratrem, vel patruum Thomae Canonici Decani Pisani paullo post memorandi, qui Savonensis dicitur *Protocollo* 33. *litt. X. fol.* 138., *& Protocollo* 40. *lit. F.*

(3) Extat Florentiae in Archivo Generali *in Protocollis Alexandri quondam Raynaldi de Bracceosis fol.* 225. In eodem instrumento haec leguntur verba, ex quibus erudimur, his quoque temporibus flumen Arnum inter Blentinam, & Calcinariam interfluxisse: *staria centum viginti ad cordam, vel circa terrae laborativae in confinibus Bientinae, in loco, ubi dicitur* alla Fratta, sive Chiasso bujo *juxta flumen Arni, & in populo Plebis S. Justi de Bientina dictae Dioecesis* (Pisanae), *quibus bonis a primo dictum flumen Arni via mediante, secundò via publica, qua itur ad oppidum montis Calvoli &c.*

Nicolai ultra Arnum (1). Academia enim Pisana ob rebellionem Pisis factam Carolo VIII. Galliae Rege in Tusciam adveniente, primò ad oppidum Pratum, deinde Florentiam translata est. Archiepiscopus verò Pisanus ejusdem Academiae Magnus Cancellarius auctoritatem acceperat tum anno 1496. ab Alexandro VI., tum a Julio II. anno 1504. conferendi vel per seipsum, vel per suum Vicarium Generalem, vel per alium ab ipsomet delegatum *gradum*, *& insignia Doctoratus*, *Magisterii*, *Bacalaureatus*, *aut aliorum graduum* quocunque in loco esset memorata Academia (2).

Pisas venisse ad Archiepiscopatus sui possessionem ineundam ex monumentis, quae ipse vidi, non constat; hinc existimo, Florentia Romam profectum esse, ubi in domo Cardinalis Raphaelis Riarii habitasse manifestum est ex pluribus Pisanis tabulis. Absens Ecclesiam suam rexit per Vicarios, Antonium scilicet Loranum Lucensem, Michaelem Angelum Aloysium, Nicolaum Bergum Canonicum Pisanum, Franciscum Campanum Praepositum Fesulanum, & alios; illius verò reditus administravit primò nobilis vir Thomas filius Joannis de Riario Savonensis Decanus Capituli Pisani, deinde ab anno 1512. Balthassar de Balducciis Civis, & Mercator Florentinus.

Scribit Ughellius, Caesarem, quo tempore factus est Pontifex Pisanus, fuisse Patriarcham Alexandrinum. Id ego inficiari non ausim, etsi in tabulis (3) hujus Archiepiscopii Patriarchae titulo ad annum 1512. duntaxat ornatur.

De rebus a Caesare gestis, deque beneficiis gregi suo collatis nullum extat Pisis vestigium. Illud notum est ex lit-

(1) Confer Fabbruccium *Historia Academiae Pisanae Opusculo XI. pag.* 10.
(2) Pontificum litterae apud eundem *Opusculo cit. pag.* 14. *& seq.*
(3) *Protocollo* 37. *litt. B B. in principio*, *& Protocollo* 41. *litt. D. fol.* 1.

litteris (1) Leonis X., Caesarem ipsum sub anno 1516. licentiam permisisse Monialibus Sanctae Annae, quae Archiepiscoporum Pisanorum jurisdictioni suberant, sese conformandi Clero Pisano in Divini Officii, & Horarum Canonicarum recitatione, festorumque observantia *pro eo quod in Civitate Pisana*, ita Summus Pontifex eandem licentiam confirmans laudatas Moniales alloquitur, *Monasteria virorum vestri Ordinis* non sunt, *in quibus regula, & observantia illius ad praesens vigeat*, ideoque *circa observationem Officii Monastici in eadem Civitate consilium habere* nequitis, *vosque Presbyteros Ecclesiae Pisanae in vestros Confessores, & Cappellanos ut plurimum habere solitae* estis.

Anno 1518. hanc Ecclesiam commutavit cum Maleacensi in Regno Granatensi. Sepultus jacet Paduae in Monasterio S. Antonii in ea parte, quae dicitur *Capitulum*; ac in ejus marmoreo tumulo sequens epitaphium legitur:

Caesari Riario Patriarchae Alexandrino Episcopo Malacitano F. Firmus Comes Mag.

Sub hoc Archiepiscopo, anno scilicet 1511. exeunte celebratum est Pisis a quibusdam Cardinalibus, & Episcopis Gallis Conciliabulum contra Julium II. Summum Pontificem. Sed nondum effluxerat mensis ab ejus inceptione cum translatum est Mediolanum summa jucunditate Florentinorum, Pisanorum, & Concilii Patrum teste Guicciardinio (2); nam Florentini, & Pisani aegro animo laudatos Patres ferebant; hi vero Pisis invite manebant, propterea quod, ut scribit Julius memoratus (3), Urbs, ejusque ager vastatus, ac fere deso-

(1) Extant in tabulario Monasterii Sanctae Annae *num.* 15.
(2) *Historia d' Italia lib.* 10. *fol.* 287. *edit. Ven.* 1580.
(3) In litteris convocationis Concilii Lateranensis T. *XIX. Conciliorum col.* 685., & apud Raynaldum *ad ann.* 1511. *num.* 13.

desolatus iis temporibus erat: *cum Civitas ipsa desolatione habitationibus pro Concilio non sit fulta, cum ager vastitate sit desolatus.*

LIX. ONUPHRIUS BARTHOLINUS DE MEDICIS.

Florentiae patre Leonardo Bartholino viro apprime nobili, qui post initium seculi decimi sexti Vexilliferi munere functus est; matre Francisca Tornabona Leonis X., & Clementis VII. sobrina ortum habuit anno circiter 1500., ut recte conjicit clarissimus Pellius (1). Eruditus tum litteris, quibus puerilis aetas informari solet, tum saluberrimis praeceptis, quae ad probe, pieque vivendum pertinent, militiae Ecclesiasticae adscribi voluit; hinc primo Canonicus patriae Ecclesiae majoris, deinde anno 1518. Administrator Archiepiscopatus Pisani factus est, cum eo, ut quando per aetatem liceret, scilicet viginti septem annos natus esset, Archiepiscopus crearetur, quemadmodum constat ex litteris ab Ughellio (2) vulgatis, quibus Hadrianus VI. eum commendat principibus Reipublicae Florentiae viris.

Anno 1522. die mensis Octobris 24. Florentiae manens quasdam constitutiones (3) fecit pro reformanda Ecclesiastica disciplina, eaque sarta tecta servanda. Has improbarunt Canonici, defunctoque Onuphrio decreto abrogarunt, ut narrat Abrahamius (4) eorum temporum monumentis innixus: *Onophrius Bartholinus Medices jam Pisanus Antistes sui regiminis tempore quasdam proprio marte constitutiones edidit contra veteres, ac laudabiles tum*

(1) *Elogio di Monsig. Onofrio Bartolini Salimbeni.*
(2) *T. III. col.* 482.
(3) Exstant MSS. in publico Archiepiscopii tabulario in libro inscripto: *Praesentationes, electiones &c. ab anno* 1500. *ad* 1506. *fol.* 207. *num.* 13.
(4) *Op. MS. alibi citato T. III. cap.* 8. *fol.* 105.

tum Pisanae Ecclesiae, tum Capituli nostri consuetudines, duras quidem nimis, & ipsorumet Sacrorum Canonum dispositionibus etiam contrarias; quare eodem vita functo, sedeque Pisana vacante, Capitulum nostrum generali indicto congressu, ac aliis primum circa factum praedictum diligenti demandato examine, maturaque postmodum discussione praehabita, illas prorsus abrogavit. At memoratas constitutiones veluti contrarias Sacris Canonibus haud agnovit Antonius *de Pretis*, in Pisana Academia Juris Pontificii Professor, & Vicarius generalis Joannis Medicei Cardinalis, hujusque Ecclesiae Archiepiscopi, qui ut constat ex ejus litteris (1) ad eundem Antonium, illas observandas esse voluit.

Clemens VII. ex Mediceorum familia, cui Archiepiscopus noster utpote propinquitate conjunctus quandiu vixit favit, eum adscivit sibi familiarem, tantoque studio prosequutus est, ut non solum *Beneficia* Ecclesiastica, imprimisque Sancti Galgani *Abbatiam* ei concesserit, sed etiam stegmate, cognomineque suo donaverit (2), quo ille semper usus est, ut apparet ex monumentis Pisanis. Gratissimus idcirco in Clementem omni tempore fuit Onuphrius, adeo ut ne in maxima quidem pericula adduci illius causa recusaverit, quemadmodum accidit anno 1527. in celebri illa Urbis Romae depopulatione, quando ab eodem Clemente obses datus militibus Caesareis solvendae pecuniae manifestissimum vitae discrimen una cum aliis quinque nobilibus viris adiit, quod Paullus Jovius narrat his verbis „ Res autem eo deducta est, ut Clemens longe carissimos, atque honestissimos ex familiaribus, qui secum erant repraesentandae pecuniae obsides frementibus, deposcentibusque Germanis, tradere sit coactus. Hi fuere

(1) *Lib.* 3. *pag.* 451.
(2) Consule Pellium *loc. cit.*

„ Joannes Maria Montanus Archiepiscopus Sipontinus,
„ & Honuphrius Bartholinus Pisanus Archiepiscopus;
„ Episcopi verò Antonius Puccius Pistoriensis, & Joan-
„ nes Matthaeus Gibertus Veronensis. His accessere, uti
„ pecuniosi, nobilesque, & arcta propinquitate Ponti-
„ fici coniuncti Jacobus Salviatus Joannis Cardinalis
„ pater, & Laurentius Ridulphus Nicolai Cardinalis fra-
„ ter germanus. Horum sacratis manibus illicò minaces
„ barbari cathenas iniecerunt, & tanta truculentia ad
„ exprimendum aurum terruerunt, ut in campo Florae
„ ad erectas, dicatasque latronum suspendiis furcas da-
„ mnatorum mòre cathenati perducerentur, parato
„ ibidem ad lege agendum carnifice, si paulò asperior
„ concionis fremitus annuisset. Per hunc modum mise-
„ re pallentes, & extremo supplicii metu perfusi, ter-
„ que in concionem producti, praeclara ope magni Nu-
„ minis servati sunt, cum spes auri vel in efferatis diu-
„ turna immanitate animis, misericordiam exprimeret.
„ Siquidem paulo post in carcere, custodibus ex insti-
„ tutae coenae crapula multoque falerno consopitis,
„ cathenas exuerunt, & per vaporarium foci tubum in
„ summa Riariae domus tecta extracti funibus evaserunt
„ tanta felicitate, ut pedibus egressi Urbem ad Urbina-
„ tis castra, quae tum erant in Umbriae finibus confu-
„ gerent, ubi non diù miseri tamquam illudente fortu-
„ na, in aliud prope discrimen incidere, quum eos Lau-
„ rentius Martellius Florentinis praepositus copiis com-
„ prehendendos vesana temeritate censuisset. Sed hujus
„ impii, perversique hominis amentiam Feltrius, & Boz-
„ zolus severissimis verbis retuderunt (1) „. Idem pro-
dit Jacobus Bonaparte (2), qui lacrymabili scenae ad-
fuit. Aliud

(1) *Historiarum sui temporis Tom. II. lib. 25. pag. 27. edit. Torrentini.*
(2) *Ragguaglio Storico di tutto l'occorso giorno per giorno nel sacco di Roma pag. 131. & seq. edit. 1756.*

Aliud etiam gravissimum incommodum attulit Onuphrio amicitiae necessitudo, quam habebat cum domo Medicea; anno enim 1529. videntes Florentini, Clementem VII. animo volvisse illorum Rempublicam evertere, diem dixere quampluribus Civibus, quos inter fuit Archiepiscopus noster, qui cum non comparuisset patriae rebellis declaratus est, & bonorum proscriptione multatus, ut refert Benedictus Varchius (1). Hoc ipso anno die 26. Aprilis Onuphrius in patria erat, ut compertum est ex ejus tabulis, quae confectae dicuntur *Florentiae in domo habitationis dicti Reverendissimi domini Archiepiscopi in populo Sanctae Mariae supra portum* (2). Ex iisdem tabulis erudimur, tunc consecratum nondum fuisse; nam ibidem dicitur *electus*. Exul, atque extorris ab solo patrio, non dubito quin ad Urbem redierit. In ea certe manebat anno 1530. die 20. mensis Decembris; instrumentum enim, quo ea die constituit syndicum suum nobilem virum Bernardum Gambarellum Clericum Florentinum, scriptum est *Romae in camera domus habitationis dicti Reverendissimi domini constituentis sita in loco dicto Monte Cavallo regionis montium* (3). His circiter temporibus factus est *perpetuus Commendatarius Abbatiae Sancti Donnini prope, & extra muros Pisanae Civitatis*; ac hujusmodi titulo ornatur in monumentis (4) Pisanis anni 1532.

Comitatus est Neapolim anno 1535. mense Decembri (5) Alexandrum Mediceum, cui carissimus erat, eo profectum ad immortalem Augustum Carolum V. salutandum, a quo habuit in matrimonio Margaritam filiam

(1) *Storia Fiorentina lib. 10. ad eum annum pag. 293. edit. Colonien. 1721.*
(2) *Protocollo num. 44. litt. CC. fol. 2.*
(3) *Protocollo n. 46. litt. A. fol. 3.*
(4) *Protocollo n. 45. litt. B. fol. 8.*
(5) Consule Varchium *op. cit. lib. 14. pag. 540.*

suam, obtinuitque imperii summam in Etruria. Gratiam quoque iniit Onuphrius ad Cosmum I., qui Alexandro successerat.

Anno 1550. die 30. mensis Maii Julius hujus nominis III. Onuphrio commendavit Petrum Franciscum Pallavicinum Genuensem Canonicum Albingaunensem familiarem suum, quem fecerat adjutorem Francisco Episcopo Aleriensi in Insula Corsicae (1). Archiepiscopi nostri tempore Patres Humiliati penitus amiserunt Monasterium Pisanum; ipse enim anno 1552. die mensis Martii 27. Pisis manens Joannem Tabacchium domesticum suum subrogavit in locum Fratris Ambrosii *de Serraglis* Florentini Ordinis Humiliatorum Ecclesiae Sancti Torpetis Praepositi, qui paullo ante decesserat (2).

A Carolo V., apud quem in magna erat existimatione, designatus est Archiepiscopus Malacitanus in Regno Granatensi, cumque iter ad Ecclesiam recenter obtentam visitandam compararet e vita migravit (3) Florentiae, non quidem anno communi 1556., ut Ughellius, Martinius, & Orlendius arbitrantur, sed anno 1555. die 27. mensis Decembris, quod colligitur ex eorum temporum monumento (4) in publico tabulario Archiepiscopii exstante. Sepultus est in principe Florentina Ecclesia, deinde ejus ossa translata sunt Pisas, reconditaque in Archiepiscoporum tumulo in Campo Sancto.

Quandoquidem fere semper Pisis abfuit, gregem sibi commissum gubernavit per probos, doctosque viros, quos Vicarios suos renuntiavit; Petrum Bartholinium Foroli-

(1) Julii litterae *in Append. monument.*
(2) Vide *Acta MS. collationum, confirmationum &c. ab anno* 1544. *n.* 15. *fol.* 58.
(3) Pollius *ibidem*.
(4) *In Actis citatis fol.* 2. haec leguntur: Die 27. *Decembris* 1556. *obiit in Civitate Florentiae Reverendissimus dominus Honophrius Archiepiscopus Pisanus*. Ex verbis, quae sequuntur, & mox adducentur, apertum est, hic annos computari juxta veterem consuetudinem Pisanorum.

rolivienſem Archidiaconum Piſanum, & in Academia Juris Pontificii Profeſſorem, Franciſcum Silvaticum Volaterranum de Comitibus Guidiis, Gregorium Leolium, & Franciſcum Perignanum Canonicos Piſanos, Bonſignorum de Bonſignoriis Canonicum Forolivienſem, Paullum de Marcato Genuenſem, patriae Eccleſiae S. Georgii Praepoſitum, & alios in tabulis Piſanis memoratos. Multis, iiſque pretioſis ſacris ſupellectilibus Eccleſiam ſuam ditavit, & Archiepiſcopium pulchrius fecit.

LX. SCIPIO I. REBIBA.

Geſſerat diverſa munera, Prothonotarii ſcilicet Apoſtolici, Epiſcopi Mutilenſis, adjutoris Petro Cardinali Caraffae Pontifici Neapolitano, & Praetoris Urbis cum anno 1555. inter Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyteros Cardinales titulo S. Pudentianae allectus, & anno ſequenti die 10. menſis Aprilis Archiepiſcopus Piſanus creatus eſt Scipio noſter natus anno 1504. in Sicilia in vico S. Marci inter montes Meſſanenſes poſito. Eodem menſe exeunte, die nimirum 29. Archiepiſcopatum capeſſivit per Joannem Antonium *de Advocatis* Vercellenſem (1). Sub menſis Julii finem anni 1556. ſuperius citati Pontifex noſter elegit (2) in principem procuratorem, & commiſſarium ſuum Jacobum Lomellinum, natione Graecum, qui menſe Octobri ejuſdem anni dicitur Dei, & Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopus electus Guardienſis in Provincia Beneventana.

Anno

(1) *In Actis modò citatis* poſt laudata verba haec ſubiunguntur „ & Reverendus dominus Franciſcus Perignanus hic Vicarius dictae Curiae „ perſeveravit in dicto Vicariatu nomine Capituli Piſani majoris Eccleſiae uſque ad diem 29. Aprilis 1557. eodem ſtilo Piſano, qua die „ dicitur, quod Reverendiſſimus Cardinalis Scipio Rebiba mediante „ perſona domini Joannis Antonii de Advocatis de Vercelli intravit in „ poſſeſſionem majoris Eccleſiae „.

(2) Vide *Protocollum n. 49. litt. E. fol. 1.*

Anno 1557. missus est Legatus *de Latere* in Hispaniam ad Philippum II. Regem (1); indeque in Italiam reversus procul dubio venit Pisas, ubi commorabatur anno sequenti mense Majo, quo in gravissimum morbum incidit, ab eoque prodigiosè convaluit, quemadmodum narrat Abrahamius veteris tabulae (2) auctoritate fultus, „ quantum verò, *inquit idem Abrahamius*, Purpuratus „ hic Eminentissimus Deo carus extiterit praeclarissimi „ facti evidentia demonstratur. Etenim biennio post su- „ sceptam Pisani Pontificatus administrationem, ac re- „ gimen, cum in gravem, peneque desperatum morbum „ incidisset, Divinae confisus misericordiae, ejusdemque „ Sanctissimae voluntati omnino resignatus, aquam fru- „ sti cujusdam spineae Jesu Christi coronae tactu san- „ ctificatam deglutiens protinus convaluit, ac biduo post „ ad sacrum, pro gratiarum actione peragendum in Sa- „ cello Sanctae Mariae de Spina hujus Civitatis, ubi „ pretiosus ille thesaurus asservabatur, summa cum de- „ votione, nudisque pedibus se contulit, tota illum co- „ mitante Civitate, ac prae laetitia lacrymas quam innu- „ meras profundente (3) „.

Hac Ecclesia se abdicavit anno 1560., quo factus est Episcopus Trojanus in Apulia Daunia. Obtinuit postea Episcopatum Albanensem, tum Sabinensem, ut narrat Oldoinus (4). Obiit Romae, ac in Ecclesia S. Silvestri in monte Quirinali jacet cum hac inscriptione:

D. O. M.

(1) Confer Oldoinum *in additionibus &c. T. III. col.* 849.
(2) *T. III. op. cit. cap.* 8. *pag.* 106. *& seq.*
(3) *T. indic. cap.* 7. *pag.* 86.
(4) *Loco citato.*

D. O. M.
Scipioni Rebibae Siculo Episcopo Sabinensi
S. R. E. Cardinali Pisarum
Integritate, Doctrina, Religione praestanti,
Haereticae pravitatis Inquisitori Summo
Fidei Orthodoxae acerrimo Propugnatori.
Prosper Rebiba Patriarcha
Constantinopolitanus
Et Troiae Civitatis Episcopus patruo
Bene Mer. moestissime posuit.
Vixit annis 73. Obiit die 24. julii
MDLXXVII.

LXI. JOANNES IX. MEDICES.

Doctissimus Mabillonius (1) ait, quod Prosper Santacrucius Romanus, qui postea Sanctae R. E. Cardinalis creatus est, *cum in Galliam secundo rediit, erat tum Episcopus Pisanensis*. Idem prodit Santacrucius ipse in suis de Civilibus Galliae dissensionibus Commentariis, ita scribens,, dum haec animo volvit Pontifex [*Pius IV.*] ,, Ptolomaeus Gallius Pontificis Secretarius: & quid, in-,, quit, tandiù haesitamus in deligendo nuntio in Gal-,, liam mittendo, cum Prosperum Santacrucium Episco-,, pum Pisanensem habeamus virum exercitatum, magni ,, animi, multarum litterarum, eloquentem magnaeque ,, apud Gallos auctoritatis, quod apud Henricum secun-,, dum Galliarum Regem nuntium Pontificium annis jam ,, duodecim summa cum prudentiae laude egisset (2),,? Cum Prosper in Galliam secundò iverit anno 1561. mense Septembri, ut sibi ipse testis est (3), inferri posse ex hoc

(1) *Observatione praevia in Comment. de Civilibus Galliae dissentionibus Prosperi Santacrucii* apud Martene, & Durand. *T. V. vet. SS. & monum. col.* 1428.
(2) *Lib.* 2. *col.* 1464.
(3) *Lib. cit. col.* 1465.

Anno 1557. missus est Legatus *de Latere* in Hispaniam ad Philippum II. Regem (1); indeque in Italiam reversus procul dubio venit Pisas, ubi commorabatur anno sequenti mense Majo, quo in gravissimum morbum incidit, ab eoque prodigiosè convaluit, quemadmodum narrat Abrahamius veteris tabulae (2) auctoritate fultus, „ quantum verò, *inquit idem Abrahamius*, Purpuratus „ hic Eminentissimus Deo carus extiterit praeclarissimi „ facti evidentia demonstratur. Etenim biennio post su„ sceptam Pisani Pontificatus administrationem, ac re„ gimen, cum in gravem, peneque desperatum morbum „ incidisset, Divinae confisus misericordiae, ejusdemque „ Sanctissimae voluntati omnino resignatus, aquam fru„ sti cujusdam spineae Jesu Christi coronae tactu san„ ctificatam degluttiens protinus convaluit, ac biduo post „ ad sacrum, pro gratiarum actione peragendum in Sa„ cello Sanctae Mariae de Spina hujus Civitatis, ubi „ pretiosus ille thesaurus asservabatur, summa cum de„ votione, nudisque pedibus se contulit, tota illum co„ mitante Civitate, ac prae laetitia lacrymas quam innu„ meras profundente (3) „.

Hac Ecclesia se abdicavit anno 1560., quo factus est Episcopus Trojanus in Apulia Daunia. Obtinuit postea Episcopatum Albanensem, tum Sabinensem, ut narrat Oldoinus (4). Obiit Romae, ac in Ecclesia S. Silvestri in monte Quirinali jacet cum hac inscriptione:

D. O. M.

(1) Confer Oldoinum *in additionibus &c. T. III. col.* 849.
(2) *T. III. op. cit. cap.* 8. *pag.* 106. *& seq.*
(3) *T. indic. cap.* 7. *pag.* 86.
(4) *Loco citato.*

D. O. M.
Scipioni Rebibae Siculo Episcopo Sabinensi
S. R. E. Cardinali Pisarum
Integritate, Doctrina, Religione praestanti,
Haereticae pravitatis Inquisitori Summo
Fidei Orthodoxae acerrimo Propugnatori.
Prosper Rebiba Patriarcha
Constantinopolitanus
Et Troiae Civitatis Episcopus patruo
Bene Mer. moestissime posuit.
Vixit annis 73. Obiit die 24. julii
MDLXXVII.

LXI. JOANNES IX. MEDICES.

Doctissimus Mabillonius (1) ait, quod Prosper Santacrucius Romanus, qui postea Sanctae R. E. Cardinalis creatus est, *cum in Galliam secundo rediit, erat tum Episcopus Pisanensis.* Idem prodit Santacrucius ipse in suis de Civilibus Galliae dissensionibus Commentariis, ita scribens,, dum haec animo volvit Pontifex [*Pius IV.*] ,, Ptolomaeus Gallius Pontificis Secretarius: & quid, inquit, tandiù haesitamus in deligendo nuntio in Galliam mittendo, cum Prosperum Santacrucium Episcopum Pisanensem habeamus virum exercitatum, magni ,, animi, multarum litterarum, eloquentem magnaeque ,, apud Gallos auctoritatis, quod apud Henricum secundum Galliarum Regem nuntium Pontificium annis jam ,, duodecim summa cum prudentiae laude egisset (2),,? Cum Prosper in Galliam secundò iverit anno 1561. mense Septembri, ut sibi ipse testis est (3), inferri posse ex hoc

(1) *Observatione praevia in Comment. de Civilibus Galliae dissentionibus Prosperi Santacrucii* apud Martene, & Durand. *T. V. vet. SS. & monum. col.* 1428.
(2) *Lib. 2. col.* 1464.
(3) *Lib. cit. col.* 1465.

hoc videtur, post Scipionem Rebibam Ecclesiae Pisanae regimen suscepisse Prosperum ipsum. Certum tamen est, anno superius memorato fuisse Archiepiscopum Joannem Medicem; quocirca non dubito, quin error sit in nomine Episcopatus, quem tenuit Santacrucius; sed eundem errorem emendare difficillimum existimo, quoniam nec Oldoinus in ejus vita, nec Ughellius in Historia Pontificum Albanensium, nec alia monumenta indicant, quem Episcopatum ille obtinuerit, antequam in amplissimum Purpuratorum Senatum numeraretur.

Omisso igitur in Pontificum Pisanorum serie Santacrucio, de Joanne, quem proxime successisse Scipioni clara monumenta demonstrant, disseramus. Is parentes habuit Cosmum Etruriae Ducem, & Eleonoram Toletanam. Ab Antonio Bargaeo iis artibus, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, eruditus est (1). Initio adolescentiae, annos scilicet decem, & septem natus inter Diaconos Cardinales titulo S. Mariae *in Domnica* numeratus est anno 1560. postrema mensis Januarii die a Pio IV., qui non tam ut patris voluntati satisfaceret tanto honoris gradu Joannem nostrum in ea aetate ornaverat, quam quod mirifica quaedam de illo (2) conceperat animo; erat enim Joanne Baptista Adriano (3) teste, *di maturo giudizio, e savio più che a quell' età non si conveniva: & era d' aspetto tale, che più grazioso di lui non si sarebbe agevolmente potuto trovare; costumato, e di bontà senza pari.*

Pileolum sibi a Summo Pontifice missum accepit Florentiae coram Cardinalibus Ludovico Guisio, & Gui-

(1) Vide Blanchinium *Elogi degli Uomini illustri della Famiglia, e Casa dei Medici*; & Sebastianum Sanleolinum *lib. 1. Cosmianarum actionum fol. 54. edit. Florent.* 1578.

(2) Petrus Victorius *Oratione funebri de laudibus Joannis Medicis S. R. E. Cardinalis.*

(3) *Istoria de' suoi tempi lib. 16. pag. 637. edit. Junctarum* 1583.

Guidone Ascanio Sfortia, qui ad eam Urbem accesserant Cosmum Ducem visitaturi (1). Romam deinde concessit, eoque pervenit 5. calendas Apriles, ac die sequenti Galerum rubrum obtinuit, ut ipse scribit ad Lucretiam sororem suam Ferrariae Ducem (2). Sub his temporibus factus est perpetuus Administrator Ecclesiae Pisanae, cujus novi muneris possessionem iniit die 30. Aprilis per Antonium de Catignano, quod manifestum est ex libro (3) in Tabulario Archiepiscopii servato, in quo haec leguntur „ Illustrissimus, & Reverendissimus „ dominus dominus Joannes filius Illustrissimi, & Ex- „ cellentissimi domini domini Cosmi de Medicis Ducis „ Florentiae, & Senarum, Dei & Apostolicae Sedis „ gratia tituli S. Mariae in Domnica S. R. E. Cardi- „ nalis accepit realem, & pacificam possessionem dicti „ Archiepiscopatus mediante persona Reverendi domi- „ ni Antonii de Catignano Canonici Pisani sui Procu- „ ratoris die 30. Aprilis 1561. dicto stilo Pisano „.

Quo tempore Joannes Romae fuit in omni sermone, colloquioque cum Pio IV. tantam prudentiam, & gravitatem ostendit, ut Pontifex eum adamaverit (4), valdeque cupierit, ut Diaconatus Ordinem susciperet; sed renuente patre nihil factum est (5). Post mensis Junii medietatem in Etruriam rediit, ac fere semper Florentiae versatus est usque ad initium mensis Novembris, quo una cum Patre, Matre, & Garzia fratre (6) Romam secundò concessit; inde discedens anno 1561. ineunte venit Senas, tum Liburnum, deinde Pisas ad propriam

(1) Confer Adrianum *ibidem*.
(2) Inter alias Joannis litteras editas Romae a J. B. Catena *lib. 1. pag.* 54.
(3) Inscripto *Collationes, & Confirmationes Beneficiorum &c. ab anno* 1557. *ad* 1573. *n.* 16. *fol.* 1.
(4) Petrus Victorius *ibidem*.
(5) Confer *Joannis epistolam lib. cit. pag.* 108.
(6) Ex *epistolis lib.* 2. *pag.* 127. *ad* 261.

Ecclesiam primò visitandam die 9. mensis Martii. In Appendice monumentum vulgabo, quod splendidum, magnificumque apparatum describit, quo Pisani Joannem exceperunt.

Antonius Parrages Pontifex Calaritanus, exemplum quorundam decessorum suorum sequutus, Primatem, ac Legatum Apostolicae Sedis in Sardinia, & Corsica sese injustè inscribebat. Id ubi rescivit Joannes confugit anno superius laudato die 25. Junii ad Pium IV., eumque rogavit, ne permitteret, ut Ecclesiae Pisanae antiqua jura laederentur: *La Santità vostra sarà opportunamente informata di là dagli agenti miei d' un aggravio, che mi vien fatto dall' Arcivescovo di Cagliari in Sardegna, con cercar d' usurparmi il titolo della Primazia, & altre promozioni, che mi competono in quell' Isola, e nella Corsica come Arcivescovo di Pisa per privilegi antichi concessi a quella mia Chiesa, come appare per Bolle di più Papi. La qual cosa comunque che in ogni tempo mi potesse parer grave, sotto il felice Pontificato di vostra Santità tengo per grandissima, & importabile per molti rispetti: però supplico la Santità Vostra umilmente, che si voglia degnare porgermi in questa causa & del consiglio, & dell' ajuto suo, sicche io non abbia a ricevere una tale indignità, e diminuzione* (1). Ex litteris ad Franciscum Babbium manifestum est, Joannem litem Archiepiscopo Calaritano intendisse, & Pontificem Turritanum (2) favisse Pisano in hac caussa, quam tamen sopitam, non decisam iis temporibus ostendunt quae alibi (3) narravi.

Quandoquidem per ea tempora Summi Pontifices consueverant iis praesertim, quos in amplissimorum Antistitum ordinem retulerant legationis munus committe-

re,

(1) *Epist. lib. 3. pag. 460.*
(2) *Lib. cit. pag. 424. 451. 457. 512. 523. 535.*
(3) *T. I. hujus Historiae pag. 65. & seq.*

re, ideo Joannes etiam idem munus exercendum maxime in ditione Perusina, ac in Etruriae Ducis Imperio obtinere a Pio IV. cupiebat; quocirca die 20. Octobris scripsit ad Everardum Seristorium patris sui apud Sedem Apostolicam oratorem, ut oblata sibi occasione Pontifici significaret, simulans tamen se id facere de sua sententia, gratum futurum Cosmo Duci, si eo munere Joannes filius ornaretur (1). Morem gessit Seristorius (2), sed cur Archiepiscopus noster voti compos factus non fuerit, me latet.

Anno 1562. die mensis Junii 21. mandavit Vicario suo, ut jurisdictioni Pontificis Pisani subiiceret Monasterium Sancti Joseph, quod antea *sub cura Fratrum Jesuatorum S. Hieronymi de Pisis* fuerat, sed tunc illius regimen dimiserant (3). Non modò Archiepiscopatum Pisanum, verum plura etiam Monasteria administravit, nimirum S. Pauli de Ripa Arni, S. Donnini, S. Savini, S. Stephani de Cintorio, S. Salvatoris de Fontana Thaonis, & S. Stephani de Carraria (4).

Eodem, quem superius laudavimus, anno, mense Novembri, ut apparet ex Pii IV. litteris (5), non verò die 12. mensis Decembris, ut Ughellius, Dempsterus, Martinius, Orlendius, & Oldoinus (6) posterorum memoriae mandarunt, Pisis e vita migravit. De illius mortis genere non una est Historicorum opinio. Censet Ammiratus (7) in lethalem morbum incidisse ob infectum aerem litoris Tyrrheni, ubi tempore aestivo diu fuerat una cum Duce patre. Ex aeris infectione, *vel ex potione aquae in-*

(1) *Lib. indic. pag.* 528.
(2) Vide *epistolam pag.* 535.
(3) Ex libro MS. cui titulus *extraordinaria ab anno* 1551. *ad* 74. *num.* 10. *fol.* 26. Extat in Archivo publico Archiepiscopii.
(4) Vide *librum cit. fol.* 54. *& seq.*
(5) Extant *in eodem libro fol.* 59. In his scriptis calendis Decembris Joannes Cardinalis dicitur defunctus *de proximo praeterito mense Novembri*.
(6) *T. III. op. indic. col.* 890.
(7) *Historie Fiorentine T. III. lib.* 35. *pag.* 534.

cujusdam rustici casa apud Campilium inventae originem habuisse gravissimam Joannis aegrotationem putat Oldoinus (1). Verum ea aetate fama ferebat (2), non sua, sed violenta morte mortuum esse, occisum nimirum ab invido fratre germano Gartia; quod etiam perhibet Jacobus Augustus Thuanus (3), & ex illorum temporum incorruptis monumentis constare testatur clarissimus Adamius (4). Summis laudibus ornatus est a Petro Victorio soluta, a Petro Angelio Bargaeo (5), Benedicto Varchio, aliisque litteratis viris ligata oratione, quorum scripta iterum vulgavit Romae anno 1752. Joannes Baptista Catena (6).

Ejus cadaver translatum est Florentiam, ac humatum in Aede S. Laurentii una cum cadaveribus Gartiae gladio perempti a patre, ut iniuriam Cardinali illatam ulcisceretur, & Mariae Cosmi Matris. Ad eorum sepulcrum haec apposita fuit inscriptio:

D. O. M.
Maria Salviata Cosmi Medicis Florentiae
Et Senarum Ducis Mater
Et Joannes S. R. E. Cardinalis
Una cum Garcia fratre
Ambo mirificae indolis adolescentes
Et ejusdem Cosmi filii
Hic ad tempus quiescunt.

Joannis mortem vehementer doluerunt non modo populi Etrusci, sed etiam Pius IV., & Principes Cardi-

(1) *Ibidem*. Alias item causas, cur in morbum inciderit Joannes, excogitasse assentatores Mediceorum notat Joannes Baptista Cinius *vita di Cosimo I. Medici lib. 7. pag. 449.*
(2) Confer Muratorium *Annali d' Italia ad eum annum.*
(3) *Lib. 32. Historiarum T. II. pag. 159. edit. Geneven.*
(4) *Dissertazione 2. sopra l' Istoria Fiorentina l. 3. pag. 53.*
(5) Vide *lib. 2. Carminum pag. 359. edit. Rom. 1585.*
(6) *Initio Collectionis epistolarum Joannis Cardinalis.*

dinales, quibus carissimus erat ob egregiam virtutis indolem, & honestissimam vivendi rationem, quam perpetuò servavit duce praesertim Alexandro Strocio Florentino viro egregio, cui adolescentem nostrum Cardinalem creatum regendum tradiderat Cosmus (1).

Quanto studio, ac diligentia Ecclesiam Pisanam administraverit difficile dictu est. Ex ejus litteris erudimur, ipsi summopere cordi fuisse Divinorum Templorum conservationem, ornatum, Cleri splendorem, catholicae fidei, morumque integritatem, & Ecclesiasticam disciplinam. Paullo post obtentum hujus Ecclesiae regimen (2) Synodum Dioecesanam celebravit, quam tamen ipse quamdiù vixit non confirmavit, ut legitur in Actis MSS. Synodi habitae ab Angelo Niccolinio illius successore „ insuper per praefatum Reverendissimum do„ minum Archiepiscopum confirmatae fuerunt Constitu„ tiones Synodales editae, & publicatae tempore Illu„ strissimi, & Reverendissimi domini domini Joannis „ Cardinalis de Medicis praedecessoris sui, ab eodem „ Illustrissimo, & Reverendissimo domino Cardinale „ tunc justis de causis non confirmatae (3) „

Cum ille juxta damnandam eorum temporum consuetudinem abesset propria Ecclesia, ipsius vice functi sunt vir doctus, & in hac celebri Academia Juris Pontificii professor (4) Antonius de Praetis a Consilice Canonicus Ravennatensis, ac Prothonotarius Apostolicus; nec non Hieronymus a Vecchiano Pisanus, qui post diversa

(1) Adeundi Franciscus Bocchius *Elogiorum quibus viri clarissimi nati Florentiae decorantur lib. 2. in vita ipsius Alexandri pag. 8.*, & Cinius *lib. cit. pag.* 443.

(2) Sic enim Joannes scribit ad Vicarium suum anno 1560. die 15. Novembris *epistola libri 2. pag.* 219. „ Se vi pare a proposito di fare al„ cuna riformazione, e mettere in osservanza l' ordine delle Costituzio„ ni Sinodali, si potrà fare. „

(3) *Lib. indic. fol.* 144.

(4) Consule Fabbrucium *Historia ejusdem Academiae Opuscula* 14. *pag.* 7.

versa officia Romae, aliisque in locis gesta, Episcopatum Wlturariensem in Provincia Beneventana anno 1542. obtinuit, eique nuncium remisit anno 1550. Ughellio (1) teste; has enim litteras misit Archiepiscopus noster anno 1560. die 19. mensis Novembris ad memoratum Antonium Vicarium suum: *Per maggiore onore, e commodità di cotesta nostra Chiesa, e de' nostri Diocesani abbiamo fermato per suffraganeo nostro in essa Monsignor il Vescovo da Vecchiano, il quale per le sue onorate qualità siamo persuasi, che ci debba portare buono, e onorato servizio. E perchè se ne viene a cotesta volta, e sarà latore di questa, vi diciamo, che non manchiate ammetterlo a quel carico, & prestargli alla giornata tutti quegli onori, & ajuti, che bisogneranno a quel ministerio* (2).

Item ipse Hieronymus anno 1561. mense Augusto, a Pio IV. jussus est, ut ad Concilium, quod Tridenti habebatur, peteret (3); hinc Joannes statuit in ejus locum sufficere Leonem Ursinium Romanum, Pontificem Forojuliensem in Gallia Narbonensi (4); sed cum hic Tridentum profectus esset (5), arbitror Hieronymum in eodem officio perstitisse; nam & Tridentum ad Concilium ire recusabat (6), & ex illius Actis non liquet eo concessisse.

Manifestum ex his est, in errore versari Ferdinandum Ughellium, qui Dempsterum (7) sequutus asserit, Joannem factum Archiepiscopum Pisanum vices suas commisisse Ludovico Beccadello Antistiti Ragusino: *dum interim*

(1) *T. VIII. col.* 395.
(2) *Lib.* 2. *pag.* 226.
(3) Confer *epist. Joannis lib.* 3. *pag.* 485.
(4) *Lib. nunc. cit. pag.* 490.
(5) *Ex Actis Concilii Tridentini* apud Martene, & Durand. *T. VIII. Vet. SS. & monum. col.* 1139.
(6) *Eodem lib. pag.* 497.
(7) *De Etruria Regali lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 267.

terim inter momenta prudentiae adolesceret Ludovicum Beccadellum Bononiensem virum doctrina, & sanctimonia clarum Archiepiscopum Ragusinum admovit : eo vel maxime quod, ut apparet ex Actis (1) Concilii superius memorati Ludovicus anno 1562. die mensis Julii 6. adhuc Tridenti erat, inque iis Patribus numeratur, qui ad Summum Pontificem ea die scripserunt, Episcopos jure Divino teneri in propriis Dioecesibus manere. Fortassis tamen postremis mensibus, quibus Joannes vixit, hujus *Suffraganeus* ille fuit; nàm & Pisas venisse Ludovicum, & ibi extitisse etiam post Joannis obitum demonstrat sequens monumentum (1) anno 1563. die Dominico mensis Martii 5. scriptum, quod referre hoc loco libet,, Ludovicus Beccatellus Bonomensis, Dei &
,, Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Ragusinus u-
,, niversis, & singulis praesentes litteras inspecturis sa-
,, lutem in Domino sempiternam; notum facimus per
,, praesentes, quod nos hodie infrascripto die Domini-
,, co, & in infrascripto loco servatis servandis requisiti
,, a Reverendissimo domino Hieronymo de Gaddis de
,, Florentia Dei, & Apostolicae Sedis gratia electo Cor-
,, tonensi, ut vigore suarum litterarum Apostolicarum
,, sibi a Sanctissimo domino nostro Papa Pio IV. conces-
,, sarum, datarum Romae apud S. Petrum anno Incarna-
,, tionis Dominicae 1562. 17. calendas Januarii sui Pon-
,, tificatus anno tertio in vim Bullarum in forma auten-
,, tica Romanae Curiae expeditarum cum auctoritate in
,, eisdem Bullis expressa ultra provisionem, & collatio-
,, nem dictae Ecclesiae Cortonensis sibi factam, ut a
,, quocunque ipse maluerit Catholico Antistite gratiam,
,, & communionem Sedis Apostolicae obtinente accitis
,, ab eodem Antistite duobus, vel tribus ex Catholicis
,, Episcopis munus consecrationis Episcopalis recipere

,, va-

(1) *Tom. citato col.* 1269.
(2) Extat *in lib. cit. Extraordinar. fol.* 72.

„ valeat, praestito tamen prius per eum solito juramento fidelitatis, prout in dictis litteris Apostolicis a nobis visis, & auditis, & penes ipsum Reverendissimum dominum electum Cortonensem existentibus latius continetur. Et sic assistentibus nobis Reverendissimo domino Hieronymo Vecchiano Pisano Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopo Wlturariensi, & Reverendissimo domino Julio Gallettio etiam Pisano eadem gratia Episcopo Alezanensi praefatum Reverendissimum dominum Hieronymum electum Cortonensem in Episcopum consecravimus, sibique munus Episcopalis consecrationis impendimus juxta formam, & consuetudinem Sanctae Romanae Ecclesiae &c. Datum, & actum in Civitate Pisarum in Ecclesia Monasterii Monialium Sanctae Annae &c. „ Habes ex hoc monumento certum tempus, quo Hieronymus Gaddius renuntiatus est, & consecratus Episcopus Cortonensis.

LXII. ANGELUS NICCOLINIUS.

Cum a Joannis Medicei obitu duodeviceni menses jam transiissent, nondumque Ecclesia Pisana novum obtinuisset Pontificem, Petrus Camajanus Episcopus Fesulanus anno 1564. die 25. Maii, jussus a viro integritate morum, ac pietate praestantissimo Carolo Borromaeo Cardinali scripsit nomine Pii IV. ad Canonicos, ut nisi ad eam diem Sacras precationes in Urbe, ac Dioecesi faciendas indixissent, illas indicere quam ocyssime non omitterent, quo Summus Pontifex Divino Spiritu afflatus optimum Pastorem populo Pisano concederet (1). Re Divina rite per-

(1) Episcopi Fesulani litterae sunt *in lib. indic. fol.* 77. ac ita se habent „ „ Molto Reverendi Signori miei Osservandissimi. Essendomi stato commesso d'ordine di N. S. per lettere di Monsig. Illustrissimo, e Reverendissimo Cardinale Borromeo, che in conformità de' decreti del „ Sa-

perfecta, Pius paullo post huic Ecclesiae praefecit Angelum Niccolinium. Natus hic erat Florentiae anno 1502. die 29. mensis Junii patre Matthaeo generis nobilitate Senatoria, aliisque dignitatibus clarissimo (1). Vix ex ephebis excesserat cum primo in Senensi, tum in Pisana Academia operam dedit litteris diligentissimam; atque in hac, non vero in illa, ut Negrius (2) ait, publicum

„ cro Concilio di Trento io pigli informazione, e formi processo sopra l'occorrente per la provvisione di un buon Pastore, che S. S. vuole promovere a cotesta Chiesa di Pisa; & dovendo io per eseguir tal commissione di S. B. sapere, che dalle Signorie vostre, e loro Venerando Capitolo siano ordinate, e fatte supplicazioni, e preci pubbliche, e privata a Dio Onnipotente, che alla Città, e popolo Pisano li conceda un buon Pastore, che regga il suo gregge, e lo indirizzi alla salutare, & eterna vita; ho voluto con la presente mia lettera pregar le Signorie vostre, che non l'avendo fatto fin quì, non manchino d'indire publiche Processioni, & orazioni così nella Chiesa loro Metropolitana, come nel resto della Città, & anco nell'altre parti, & Chiese della Dioceſi Pisana, supplicando alla Divina Maestà, che inspiri il suo Santissimo Vicario in terra N. S. Papa Pio IV. al provveder opportunamente a cotesta Sede vacante: & dipoi le Signorie vostre si degneranno mandarmi fedi autentiche per mano di publico Notaro da esser messe nel processo, che formarò, che tali supplicazioni, & orazioni publiche, & private siano state fatte costà secondo la mente Santissima di S. B. per la osservanzia de' decreti del Santo Concilio di Trento; del che anco io ne restarò con obligazione a Vostre Signorie, nella bona grazia delle quali mi offero, & raccomando con pregar Iddio, che le conservi, & prosperi. In Fiorenza li 25. di Maggio 1564. Di V. S. molto Reveren. come Fratello, & servitore P. Vescovo di Fiesole „. Sunt etiam *ibidem fol.* 78. Bartholomaei Concini ad eosdem Canonicos litterae, ex quibus liquet, Cosmum Ducem etiam optasse, ut publicae praecationes fierent „ Molto Reverendi Signori miei Osservandissimi. Essendo pervenuta qua l'alligata lettera per cotesto Rever. Capitolo di Monsig. Vescovo di Fiesole, mi è parso d'inviarla a VV. SS. con dir loro, che tutto quel che in essa si tratta è con participazione di Sua Eccellenza; acciocchè non solo non abbino a ritardare l'esecuzione, ma siano tanto più caldi, e solleciti in mandarl' a effetto, con che io mi raccomando nella lor buona grazia, e prego Dio, che li conservi felici. Da Livorno li 29. di Maggio 1564. „

(1) Confer Mannium *Serie de' Senatori Fiorentini pag.* 68., & Fabbruccium *Opusculo* 10. *op. cit. col.* 157. *& seq.*

(2) *Istoria de' Scrittori Fiorentini pag.* 45.

utriusque Juris examen subiit, virtutisque accepit insignia (1) anno circiter 1523. In hac ipsa Academia Jus Caesareum aliquot annos declaravit (2), quam provinciam postea dimisit, aliis gravissimis muneribus a Cosmo Duce, apud quem in magna erat existimatione, decoratus, Legati nimirum ad Paullum III. Pontificem Maximum, & Carolum V. Imperatorem, Senatoris, intimique Consiliarii.

Anno 1559. Cosmus, in cujus potestatem Civitas, ditioque Senensis venerant, ejusdem Gubernatorem renuntiavit Angelum nostrum, qui eo in officio ita se Duci suo prudentia, fide, integritate probavit, ut anno 1560. exeunte Romae commorans Pium IV. deprecatus fuerit, ut Angelum ipsum, cujus uxor jam tum defuncta erat, in S. R. E. Principum Cardinalium numerum referret; sic enim legitur in Codice (3) quodam seculi decimi sexti, descriptionem itineris Cosmi ad Urbem complectente: *Se bene il Duca Cosmo de' Medici sapeva, che Messer Agnolo Niccolini, gentiluomo Fiorentino, e suo Governatore a Siena aveva condotta quella Città, tanto sfrenata, col governo, e modo suo a tanta tranquillità, e unione, che si era interamente scordata delle sue ricevute battiture . . . . . e il Duca essendo stato infinite volte al segreto con sua Santità sopra più importanti negozj, e particolarmente sopra la Religione de' Cavalieri di Santo Stefano, e pregatolo strettamente, che volessi far Cardinale Messer Agnolo Niccolini suo Governatore a Siena per averlo trovato molto fedele nelle occorrenze sua, il Papa glielo promesse*. Verum Summus Pontifex non nisi post quinquennium datam fidem liberavit, ut mox narrabimus.

Itaque

(1) Tabulae apud Fabbruccium *Opusculo* 12. *pag.* 131.
(2) *Tabulae cit.*
(3) Apud Lamium *Catalogo Codicum MSS. Bibliothecae Riccardianae pag.* 27. *& sequenti*, Vide etiam Cinium *vita di Cosimo I. Medici lib.* 7. *pag.* 449.

Itaque Angelus in Gubernatoris munere mansit ad annum usque 1564., quo pridie idus Julii (1), Pius IV., Medicea domo favente (2), in Archiepiscopum Pisanum eum elegit.

Novam dignitatem iniit eodem anno feria sexta die 8. mensis Septembris per Martinum Buonfantium de S. Cassiano Vallis Elsae Juris utriusque Doctorem (3). Die 30. mensis Octobris Concilium Tridentinum, a Pio IV. die 26. Januarii confirmatum, Pisis, ac in tota Dioecesi publicavit (4). Anno sequenti Pisis commorans die 20. Januarii indixit Synodum Dioecesanam celebrandam post integrum mensem (5), quod factum est. Hic obiter no-

(1) *Litterae Pii IV. in Append. monumentorum.*

(2) Vide Ammiratum *Hist. Fiorent. T. III. lib.* 35. *pag.* 534. In Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *Cod.* 250. extat MS. haec Angeli epistola ad Cardinalem Ferdinandum Mediceum: *Reverendissimo, & Illustrissimo Monsignore, & Padrone mio Osservandissimo. La degnità, & administrazione dell' Arcivescovado di Pisa so io assai bene, che m' e stata conceduta da N. S. in grazia di VS. Reverendissima, e della sua Illustrissima Casa, però da loro confesso interamente di riconoscerla, & a me ha apparere assai favore, che la mi reputi in quella Chiesa suo Vicario, perchè io l' ho a conservar fino a che a N. S., & a lei piacerà; con la quale occasione mi verrà tal volta fatto un' altro acquisto assai maggiore di haver facultà di servirla, & reverirla più spesso, siccome sommamente desidero per vivere perpetuamente sotto la protezione, e benignità di V. S. Illustrissima, la quale supplico, che si degni accettarmi per creatura, sua mantenendomi nella sua desideratissima grazia, alla quale umilissimamente mi raccomando baciandole con somma reverenza le mani. Di Siena li 18. di Luglio 1564.*

Di V. S. Reverendiss., & Illustrissima

Umilissimo Servitore Agnolo Niccolini.

(3) *Extraordinaria cit. fol.* 81. *& seq.*

(4) Confer Librum *Edictorum ab anno* 1561. *ad* 1698. *n.* 8. *fol.* 48.

(5) „ Angelus de Niccolinis Dei, & Apostolicae Sedis gratia Archiepisco-
„ pus Pisanus Sardiniae, & Corsicae Primas, & dictae Sedis in eis
„ Legatus. Sanctorum Patrum, & praedecessorum nostrorum vestigia
„ sequentes, atque iis, quae olim a Sacris Canonibus, & nuper ab
„ Oecumenico Concilio Tridentino constituta, innovata, & decreta,
„ & à Sanctissimo domino nostro Pio divina providentia Papa IV. re-
„ ligiosè, & sanctè confirmata, atque executioni mandari jussa fue-
„ runt parere volentes, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam,
„ ad Pisanae Ecclesiae utilitatem, & salutem, ad Ecclesiasticam di-
„ sciplinam restituendam, & confirmandam, atque ad ea omnia pu-

„ bli-

to, ex hujus Synodi Actis constare, ad eandem vocatos fuisse tres Episcopos, patria Pisanos, nimirum Jacobum Gallettium Pontificem Alexanensem, seu Leucadiensem sub Archiepiscopo Hydruntino; Raynerium Ceulium (quam Ecclesiam hic gubernaverit me fugit) & Hieronymum de Vecchiano, cujus superius meminimus; hi enim propriis ovibus relictis nonnullas Parochias hujus Pisanae Dioecesis administrabant; primus Parochiam S. Petri *de Ischia* communiter S. Appolloniae; secundus Parochiam S. Martini *ad petram*, & Plebem de Calcinaria; tertius Plebem Sanctorum Victorii, & Bartholomaei *de Campo*. Vocatus etiam fuit ad eandem Synodum

„ blicanda, intimanda, & perficienda, quae a praedicto Sacrosancto „ Concilio sancita, & praecepta fuerunt; hujus edicti, & decreti nostri tenore Dioecesanam Synodum indicimus, annuntiamus, & convocamus; ideoque omnes, & singulos Rectores, & Parochos Ecclesiarum, Clericos, & Presbyteros cujuscumque condictionis, & dignitatis Pisanae Civitatis, & Dioecesis, qui de jure, consuetudine, vel privilegio Synodis Dioecesanis interesse debent, ac solent; nec non reliquos omnes exemptos, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subdunt, eosque etiam, qui Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum etiam annexarum curam gerunt, quicunque illi sint, requirimus, hortamur, & monemus, & sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis, jure, aut consuetudine in celebrationibus hujusmodi Conciliorum Dioecesanorum, & praesertim Pisanae Ecclesiae contra non accedentes ferri, & proponi solitis, mandamus, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo nobis legitimè fidem facere debeant alias per substitutos suos ad Dioecesanam Synodum a nobis indictam, & in Metropolitana Ecclesia celebrandam decimo calendas Martii, quae erunt die 20. Februarii proximè futuri, accedere, atque interesse, & usque ad ipsius perfectionem permanere debeant, & teneantur: ad cujus Synodi tamen celebrationem, & prosequutionem omnino procedetur, absentium, & negligentium contumacia, & inobedientia non obstantibus. Utque edictum, & decretum hoc nostrum, & quae in eo continentur ad notitiam cunctorum, quorum interest, perveniant, ne quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, publicari, & affigi, omnibusque, & singulis, quorum interest, significari, & intimari juxta solitum, & hucusque observatum Pisanae Ecclesiae morem jussimus, & mandavimus. In quorum fidem &c. Datum Pisis in Palatio nostro Archiepiscopali die 20. mensis Januarii 1565. more Pisano, Pontificatus praelibati Sanctissimi domini nostri Papae Pii IV. anno sexto „ Extant hae litterae *in cit. lib. edictorum fol. 50., & in extraordinariis laud. fol. 113.*

nodum Antistes Guidus de Guidii Florentinus Praepositus Pisciensis nullius Dioecesis, qui *Plebanus* item erat Ecclesiae Liburnensis.

Pius IV. Collegium S. R. E. Cardinalium augere optans praestantissimis viris, anno 1565. die mensis Martii undecima ad amplissimum gradum promovit Archiepiscopum nostrum, beneficio praesertim Sancti Caroli Borromaei, quod illius ad hunc litterae disertissimè ostendunt: *erano molti*, inquit Angelus, *e grandi gli onori, & i benefici, che io aveva per lo passato ricevuti da VS. Illustrissima, ma la nuova dignità del Cardinalato conferitami da N. S. per bontà sua, ajutata dal favore, e dall' autorità di lei, gli ha tanto accresciuti, che sono diventati infiniti, & indeterminati*. Extant hae Niccolinii litterae apud Bartholomaeum Zucchium (1), ubi etiam aliae ejusdem leguntur ad Summum Pontificem, ad Philippum II. Regem Hispaniae, ad Catharinam Mediceam Galliae Reginam, ad plures Cardinales, & Episcopos.

Defuncto Pio superius memorato anno 1565. mense Decembri, Angelus Romam profectus est, interfuitque Concilio Pontificio, quo Pius V. Summus Ecclesiae Pastor creatus est. Tanta fuit opinio, quam ea occasione Cardinales de Angelo ipso conceperunt, ut actum ab iis sit de illo eligendo in Pontificem Maximum, quemadmodum Spinellus Bencius litteris consignavit (2). Cum novus Pontifex sui regiminis initio vellet, ut juxta Synodi

(1) *Idea del Segretario part. 1. pag. 383.*

(2) *Storia di Montepulciano lib. 5. pag. 128. edit. 1646.* haec de Angelo nostro habet: *divenne per la sua virtù in tanto concetto del Sacro Collegio, che nel Conclave dopo la morte di Pio IV. si trattò di esaltarlo al Pontificato, se il troppo sapere* (falsa omnino ratio, cum & ante haec tempora, & postea etiam in Summos Pontifices electi sint viri doctissimi, quos inter Clemens XIV., quem D. O. M. diu superstitem, felicemque servet) *e l'essere tanto congiunto d' un Principe* (Cosmi Etruriae Ducis) *sì grande non gli havesse nociuto.* Confer item Eugenium Gamurrinium *Storia Genealogica delle famiglie nobili Toscane, & Umbre. T. I. pag. 518.*

nodi Tridentinae decreta, omnes Episcopi in propriis Dioecesibus manerent, die 23. Januarii anno 1566. designavit Angelum, duosque alios S. R. E. Cardinales, *qui hanc suam voluntatem notificarent omnibus Episcopis Romae commorantibus, & si quis eorum aliqua excusatione uteretur, audirent, & Sanctitati Suae referrent* (1).

Pisas deinde reversus litteras (2) accepit anno 1567. mense Februario a Michaele Bonellio, Cardinali Alexandrino vocato, quibus ei nomine Summi Pontificis jubebatur, ut promulgaret Constitutionem Pontificiam, *revocatoriam omnium Indulgentiarum etiam perpetuarum, pro quibus consequendis manus adiutrices sunt porrigendae, & quae questuandi facultatem quomodolibet continent.*

Obiit eodem anno 1567. mense Augusto Senis, Ughellio teste, seu potius Pisis ut scribit Dempsterus, ejusque corpus translatum est Florentiam, ac sepulturae traditum in Sacello familiae Niccoliniae, quod est in magno Sanctae Crucis Templo, cum hoc elogio:

Ange-

(1) Cardinalis Farnesius *in Diario* apud Jacobum de Laderchio *in Annal. Ecclesiast. ad ann.* 1566. *n.* 47.

(2) Extant *in extraordinariis cit. fol.* 113. ,, Illustrissimo, & Reverendissimo Sig. mio Osservandissimo. L' alligata Bolla è revocatoria, come ,, VS. Illustrissima, vedrà di tutte le Indulgenzie questuarie, che si trovano essere state concesse fin' a quest' ora, la quale havendo N. S. ,, fatta pubblicar novamente quì in esecuzione del Sacro Concilio di ,, Trento, che le damna tutte come scandalose, & come piene d' abusi, S. S. vuole similmente, che ella la faccia publicare per tutta la giurisdizione, & diocesi sua con questa intenzione medesima, ,, facendola però prima autenticare in quella forma, che nel fine di ,, detta Bolla si ordina; che tale è la mente di N. S., in nome del ,, quale li mando le alligate stampe con quest' ordine. Non mi occorrendo altro che baciarle humilissimamente le mani per fine di ,, questa, pregando il Signor Dio, che la conservi. Di Roma a' 22. ,, di Febbrajo 1567.
,, Di VS. Illustriss. e Reverendiss.
,, Humiliss. servitore il Cardinale Alexandrino. ,,

Angelo Nicolino Matthaei filio
Angeli nepoti Juris Caesarei Doctori
Ac Senatori clarissimo,
Cosmi Hetruriae Magni Ducis Consiliario,
Qui primò ad Paulum III. Pontif. Maximum,
Et Carolum V. Imperatorem
Legationibus egregie functus
Deinde Senarum gubernationi praepositus
Itemque Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus
Postremo a Pio IV. in Cardinalium Collegium cooptatus
Integritatem, & innocentiam suam omnibus probavit.
Obiit anno salutis MDLXVII
Aetatis LXVI.
Joannes filius legitimo matrimonio procreatus
Patri optimo posuit.

De Angelo mentionem honorificentissimam faciunt viri non pauci. Petrus Victorius (1) impense celebrat illius doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes. Extant (2) Antonii Angelii Bargaei litterae heroicis versibus ad ipsum scriptae, quae sic incipiunt: *Eximium clarae patriae decus Angele.* Adrianus ita scribit „ Messere Agnolo Niccolini già molti anni Governatore, e „ Luogotenente del Duca Cosimo nella Città, e Stato „ di Siena, persona stimata molto savia, e ne' governi „ di Stato molto avveduto, e vie più chiaro per la „ professione delle Leggi, nelle quali tutta l' età sua s' e„ ra esercitato (3) „. Morerius (4) ait, sibi comparasse *la reputation de celebré Orateur, et de savant Jurisconsulte.* In antiquo codice, cujus verba recitat Augustinus Oldoi-

(1) Confer *ejus litteras lib. 5. pag. 126. edit. Florent. 1586.*
(2) *Inter Poemata Petri ejus fratris pag. 279. edit. cit.*
(3) *Istoria de' suoi tempi lib. 18. pag. 712. edit. Florent. 1583.*
(4) *Dictionnaire Historique verbo Niccolini.*

nodi Tridentinae decreta, omnes Episcopi in propriis Dioecesibus manerent, die 23. Januarii anno 1566. designavit Angelum, duosque alios S. R. E. Cardinales, *qui hanc suam voluntatem notificarent omnibus Episcopis Romae commorantibus, & si quis eorum aliqua excusatione uteretur, audirent, & Sanctitati Suae referrent* (1).

Pisas deinde reversus litteras (2) accepit anno 1567. mense Februario a Michaele Bonellio, Cardinali Alexandrino vocato, quibus ei nomine Summi Pontificis jubebatur, ut promulgaret Constitutionem Pontificiam *revocatoriam omnium Indulgentiarum etiam perpetuarum, pro quibus consequendis manus adiutrices sunt porrigendae, & quae questuandi facultatem quomodolibet continent*.

Obiit eodem anno 1567. mense Augusto Senis, Ughellio teste, seu potius Pisis ut scribit Dempsterus, ejusque corpus translatum est Florentiam, ac sepulturae traditum in Sacello familiae Niccoliniae, quod est in magno Sanctae Crucis Templo, cum hoc elogio:

Ange-

(1) Cardinalis Farnesius *in Diario* apud Jacobum de Laderchio *in Annal. Ecclesiast. ad ann.* 1566. *n.* 47.

(2) Extant *in extraordinariis cit. fol.* 113. ,, Illustrissimo, & Reverendissimo Sig. mio Osservandissimo. L' alligata Bolla è revocatoria, come ,, VS. Illustrissima, vedrà di tutte le Indulgenzie questuarie, che si trovano essere state concesse fin' a quest' ora, la quale havendo N. S. ,, fatta pubblicar novamente quì in esecuzione del Sacro Concilio di ,, Trento, che le damna tutte come scandalose, & come piene d' abusi, S. S. vuole similmente, che ella la faccia publicare per tutta la giurisdizione, & diocesi sua con questa intenzione medesima, ,, facendola però prima autenticare in quella forma, che nel fine di ,, detta Bolla si ordina; che tale è la mente di N. S., in nome del ,, quale li mando le alligate stampe con quest' ordine. Non mi occorrendo altro che baciarle humilissimamente le mani per fine di ,, questa, pregando il Signor Dio, che la conservi. Di Roma a' 22. ,, di Febbrajo 1567.
,, Di VS. Illustriss. e Reverendiss.
,, Humiliss. servitore il Cardinale Alexandrino. ,,

Angelo Nicolino Matthaei filio
Angeli nepoti Juris Caesarei Doctori
Ac Senatori clarissimo,
Cosmi Hetruriae Magni Ducis Consiliario,
Qui primò ad Paulum III. Pontif. Maximum,
Et Carolum V. Imperatorem
Legationibus egregie functus
Deinde Senarum gubernationi praepositus
Itemque Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus
Postremo a Pio IV. in Cardinalium Collegium cooptatus
Integritatem, & innocentiam suam omnibus probavit.
Obiit anno salutis MDLXVII
Aetatis LXVI.
Joannes filius legitimo matrimonio procreatus
Patri optimo posuit.

De Angelo mentionem honorificentissimam faciunt viri non pauci. Petrus Victorius (1) impense celebrat illius doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes. Extant (2) Antonii Angelii Bargaei litterae heroicis versibus ad ipsum scriptae, quae sic incipiunt: *Eximium clarae patriae decus Angele.* Adrianus ita scribit „ Messere Agnolo Niccolini già molti anni Governatore, e „ Luogotenente del Duca Cosimo nella Città, e Stato „ di Siena, persona stimata molto savia, e ne' governi „ di Stato molto avveduto, e vie più chiaro per la „ professione delle Leggi, nelle quali tutta l'età sua s'e„ ra esercitato (3) „. Morerius (4) ait, sibi comparasse *la reputation de celebré Orateur, et de savant Jurisconsulte.* In antiquo codice, cujus verba recitat Augustinus Ol-

doi-

(1) Confer *ejus litteras lib. 5. pag. 126. edit. Florent. 1586.*
(2) *Inter Poemata Petri ejus fratris pag. 279. edit. cit.*
(3) *Istoria de' suoi tempi lib. 18. pag. 712. edit. Florent. 1583.*
(4) *Dictionnaire Historique verbo Niccolini.*

doinus (1) dicitur *in jure Civili valde doctus*. Vir eloquentissimus vocatur a Jacobo Rillio (2) in monumentis litterariis, & historicis Academiae Florentinae, cui Angelus noster ascriptus erat. Narrat Ughellius illius favore, beneficioque non modo pacem in Tuscia, sed litteras etiam in Pisana, & Senensi Academia renatas esse. Paganinus Lycinianensis apud Ughellium ipsum ita eum affatur:

„ *Est in te virtus, in te prudentia summa*
„ *Qua recte, ac juste te, populosque regis.*
„ *Nil igitur mirum est, tantum virtutis amanti*
„ *Cosmo, & prudenti si Angele docte places;*
„ *Si te hic divitiis, si te auget honoribus, ac te*
„ *Si Flora, & Senae, totus & orbis amat,*
„ *Si te Pontifices mirantur, debita jamque*
„ *Si caput exornat Purpura pulchra tuum.*
„ *Si vox una hominum te dignum dicit honore*
„ *Qui superas claudit, qui reseratque fores:*
„ *Vos Florentini, & Senenses discite, tuque*
„ *Orbis, quem surgens sol videt, atque cadens*
„ *Tantae virtuti quanta est sapientia juncta*
„ *Quae nobis tanta, & talia ferre potest.*

LXIII. JOANNES X. RICCIUS.

Natus est in oppido Montepolitano, patremque habuit Petrum Antonium Riccium nobili genere virum. Pluribus legationibus, aliisque praeclaris muneribus gestis, Ecclesiis Sipontina, & Clusina administratis, anno 1551. Sacra Purpura obtenta (3), Joannes Angelo successit anno 1567. die 3. mensis Septembris (4), paulloque post die

(1) *T. III. vit. PP. & CC. col.* 949.
(2) *Pag.* 85.
(3) Adeundi Ughellius *in Archiepiscopis Pisanis*, Oldoinus *T. cit. col* 771. Benedus *op. Indic. lib.* 5. *pag.* 105., ubi plura de Joanne Riccio habent.
(4) *Ex litteris Pii V. in Appendice monumentorum.*

die nimirum ejusdem mensis 15. legit *magnificum dominum Bartholomaeum Concinum primarium Secretarium Excellentissimi Ducis Florentiae, illustrem, & reverendum dominum Hugolinum Griphonem Magistrum generalem Altipassus, & magnificum dominum Petrum Mariam Tingoli Riminensem Camerarium suum*, qui Ecclesiae Pisanae possessionem nomine suo adirent (1).

Tametsi juxta Concilii Tridentini, & Pii V. decreta ne Episcopi quidem inter Cardinales relati liberi essent a debito regendi per seipsos proprium gregem, Joannes tamen ab eodem Pio Ecclesiastica lege solutus est anno 1568. die septima mensis Aprilis, *tum propter ejus jam ingravescentem aetatem, tum propter suam Cardinalatus dignitatem, ob quam adstringitur assistere Sanctissimo domino nostro Papae* (2). Itaque Pisanum populum gubernandum commisit Antonio Laurentino a Montepolitiano, de quo cum Bencius, & Ughellius nimis parce loquantur, nonnulla breviter dicam, innixus monumentis MSS. in tablino hujus Archiepiscopii servatis.

Antonii pater fuit Joannes Baptista, mater nobilis femina e domo Cervinia. In lucem susceptus est anno circiter 1514. Adolescens Senis operam navavit Juri Caesareo, deinde inter familiares numeratus Marcelli Cardinalis Sanctae Crucis, hunc Tridentum ad Concilium, Bononiam, & postea Romam comitatus est. Constant haec ex Balduino de Balduinis, patria Pisano, Episcopo Aversano, qui anno 1568. die 7. Aprilis interrogatus utrum Antonium Laurentinum nosceret, *respondit se cognovisse praefatum dominum Antonium usque de anno 1535. vel 36. in circa in Civitate Senarum, ubi ipse Reverendissimus dominus Episcopus operam dabat artibus, & medicinae, & ipse dominus Antonius Juri Caesareo, & postea*

(1) Confer *extraordinaria laud. fol.* 149.
(2) *Ibidem fol.* 152.

eu ipsum cognovit, & magnam familiaritatem habuit tam in Civitate Tridentina, quam Bononiae de anno 1546. dum ipse Reverendissimus esset Medicus physicus bonae memoriae Papae Julii III. tunc temporis Cardinalis de Monte, & Legati Concilii Tridentini, & ipse dominus Antonius erat familiaris bonae memoriae Marcelli II. tunc temporis Cardinalis de Sancta Cruce ibidem Legati, & in ejus domo pondus, & estus diei gerebat, & postmodum vidit, & cum eo conversationem habuit intrinsecam Romae tempore Pontificatus Julii III., sicut usque in praesentem diem temporibus interpositis (1). Eodem mense Aprili renuntiatus Antistes Caesareae, paullo post a Joanne creatus est Episcopus *Suffraganeus*, & Vicarius Ecclesiae Pisanae, ejusque redituum administrator. Antonii opera in hoc ipso munere usus item est Petrus Jacobus Borbonius (2), quo defuncto, obtinuit ille anno 1575. die mensis Decembris 2. Episcopatum Assisiensem, quem biennio tenuit (3). Anno sequenti 14. die mensis Februarii adhuc Pisis erat, & Ludovico Antenoreo Pontifici Pisano defuncto duxit exequias.

Ad Archiepiscopum nostrum redeamus. Hic licèt, ut antea diximus, solutus esset ab onere gubernandi per se populum sibi creditum, voluit nihilominus Pisas accedere initio anni 1568. Synodum Dioecesanam celebraturus. Hanc porrò habuit postremis mensis Aprilis diebus (4), in eaque plures constitutiones fecit ad mores, & Ecclesiasticam disciplinam reformandam utilissimas. Extant in Tabulario Archiepiscopii una cum litteris, quas ipse post Synodum ad gregem suum scripsit (5).

Eo

(1) *Ibidem fol.* 154.
(2) Vide *extraordinaria ab anno* 1575., & 76. *fol.* 8.
(3) Ughellius *T. I. n.* 54. *col.* 484.
(4) *Extraordinaria n.* 10. *fol.* 197.
(5) Litterae illae sic incipiunt „ Cum inter caetera, quae nobis ex iniun„ cto officio peragenda incumbunt, illud imprimis necessarium esset, „ ut Provinciarum Synodum celebraremus; id tamen nobis difficile, „ & im-

Eo item anno Pisis aedificavit Collegium, in quo octo juvenes Politianenses a familia Riccia eligendi alerentur, quibus onus imposuit liberalibus disciplinis in Academia operam navandi, Doctorisque nomen, & insignia sumendi. Super illius portam haec extat inscriptio:

Collegium Riccium Politianum
Joannis Riccii Cardinalis Politiani
Patriaeque patris pietate
Ac in Cives suos liberalitate
Institutum
An. D. CIↃIↃLXVIII.

Ferdinandus Medices S. R. E. Cardinalis, perpetuus *Commendatarius*, & administrator Abbatiae Sancti Donnini, facultate obtenta a Cosmo patre, qui tunc in Etruria clavum imperii tenebat; concesserat PP. *Cappuccinis* eandem Abbatiam *una cum parvo admodum Oratorio a certis annis citra de novo constructo, muris dictae Abbatiae contiguo, & coniuncto, vocato vulgariter* la Madonna di Santo Donnino, *ac domo ibidem contigua, & coniuncta etiam de novo constructa, ac claustris dictae Abbatiae existentibus dirutis, ac etiam cum uno petio terrae ex pluribus stariorum decem & octo in circa ibidem contiguo pro conficiendo horto, & nemore*. Anno igitur 1569. mense Januario P. Matthaeus a Montetopori, missus a P. Marco Vicario generali, venit Pisas, eique Antonius Laurentinus antea laudatus nomine Joannis Riccii Archiepiscopi consensit, ut PP. Cappuccini sedem suam prope hanc Urbem figere possent (1).

„ & impossibile fuit propter ingens periculum transfretationis, & Piratarum, quod Suffraganeis nostris in Insulis Corsicae, & Sardiniae existentibus imminere videmus; unde illud saltem omittere non debuimus, ut generalem Synodum Praelatorum, & Clericorum Civitatis, & Dioecesis Pisanae in ipsa Ecclesia Pisana congregaremus &c. „

(1) Confer *extraordinaria ab anno 1557. &c. n. 16. fol. 232.*

Etsi Joannes noster factus est anno 1570. Episcopus Albanensis, & postea Sabinensis, Pisanam tamen Ecclesiam administravit ad annum usque 1573., quo e vita migravit Romae cum apud omnes magnam auctoritatem, gratiam, & benevolentiam sibi antea conciliasset.

LXIV. PETRUS JACOBUS BORBONIUS.

Bartholomaeus ex Marchionibus Montis S. Mariae, & Pantasilea Vitellia parentes fuerunt Petri Jacobi. Romam a juventute profectus Abbas Commendatarius Sancti Chrysogoni Jaderae in Dalmatia renuntiatus est; ex Urbe postea discedens nonnullas ditionis Pontificiae Civitates prudentissime administravit; deinde Romam rediens inter eos Praesules numeratus est, qui Collegium illud constituunt, quod *Consultam* appellant.

Cosmo I. Magno Etruriae Duce soluto corporis carcere anno 1574. die 21. Aprilis, Gregorius XIII. Summus Pontifex Petrum Jacobum Legatum misit Florentiam ad Franciscum Cosmi filium, & successorem, ut illi nomine suo significaret, se multum doloris coepisse ex tanti Principis morte (1). Romam reversus idem ipse Petrus Jacobus in locum Joannis Riccii subrogatus est paullo post, die scilicet 19. mensis Maji (2), ac die 28. ejusdem mensis in possessionem venit dignitatis novissime obtentae per Thaddeum Borbonium Magni Etruriae Ducis cubiculariorum decurionem (3). Ipse verò ad Ecclesiam suam non accessit nisi die mensis Novembris 9., qua Urbem ingressus est magno comitatu in monumentis Pisanis descripto (4); atque a mense Majo usque ad tem-

(1) Vide Gamurrinium *I storia Genealogica delle famiglie nobili Toscane, & Umbre* T. I. *pag.* 180.
(2) Ex litteris Gregorii XIII. *in extraordinariis anni* 1575., & 76. *fol.* 6.
(3) Ex eisdem *extraord. fol.* 5.
(4) *Ibidem fol.* 9.

tempus illud Romae permansisse inferre licet ex ejus litteris (1), quibus in Vicarium suum elegit Franciscum Centium Pistoriensem; has enim scriptas ait *Romae in aedibus nostris calendis Augusti*.

In Urbe, ac Dioecesi Pisana Parochos invenit, qui grege sibi commisso relicto extra propriam Paroeciam commorabantur; quocirca Sacri Concilii Tridentini decretis inhaerens, die mensis Decembris 8. praecepit eis sub poenis ab eodem Concilio statutis, ut intra octo dies *personaliter ad suam Ecclesiam residentiam facerent*, & *successive omnia*, & *singula alia* exercerent, quae ad illorum officium spectabant (2). Synodum quoque celebravit (3) anno 1575. die mensis Maji 27., ut alios abusus propria dioecesi eliminaret.

Quandoquidem Civitas Pisana non modo antequam a Florentinis occuparetur, sed postquam etiam sub illorum imperium, ditionemque cecidit, plura egerat, quibus se in Censuras Ecclesiasticas incurrisse timebat, nec ab iis solutam fuisse recordabatur, idcirco anno superius laudato Jubilaeo recurrente illius Senatus optans omnem dubitationem a Civitate penitus eximere, & curas tristes, fluctuante animo, extinguere, ad Summum Pontificem confugere decrevit solutione a Censuris pro universis Civibus impetraturus (4). Itaque Petrus Jacobus, cui Senatus rem totam patefecerat, Romam legavit clarissimum virum P. Jacobum Tavantium de Ordine Servorum Beatae Virginis, in Pisana Academia Sacrae Theologiae professorem, comitantibus eum Pisanis Civibus no-

(1) *Ibidem fol.* 8.
(2) *Ibidem fol.* 48.
(3) *Ibidem fol.* 33.
(4) Gregorius in litteris ad Archiepiscopum Pisanum *ibidem fol.* 67. & *seq.*
„ Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores, & populus Civi-
„ tatis Pisanae, quod olim dum ipsa Civitas potiretur libertate quae-
„ dam externae triremes per sinum Pisanum transeuntes, in quibus
„ dicebatur vehi nonnullos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,
„ etiam

nobilissimis, tum Sacerdotibus etiam honestissimis (1), qui Gregorio ejusdem Senatus desiderium aperuit; Gregorius autem die 16. Septembris Antistiti nostro commisit, ut Civitatem exsolveret, ac publicaret, qua die expiatio fieret, licere omnibus, qui Ecclesiam *Primatialem* visitassent, *piasque ad Deum preces pro pace, & unione inter Christianos Principes conservanda, haeresumque extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ibidem* effudissent, *plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem* consequi (2). Ad memoratam Romanam legationem spectant plures in-

„ etiam forsan Sedis praedictae de Latere Legatos dum idem sinus per „ classem ejusdem Civitatis ab hostibus tueretur, per ejusdem classis „ triremes una cum eisdem Cardinalibus, & aliis, qui in eis vehebantur, submersae fuerunt; nec non succedente tempore absque dictae Sedis licentia, & forsan contra illius expressa mandata, dum in „ Ecclesia Dei magnum schisma vigeret nonnullos Praelatos schismaticos, qui Conciliabulum celebrare in eadem Civitate de facto satagebant, receptarunt, eisque auxilium, consilium, vel favorem forsan praestiterunt; quibus, aliisque forsan de causis iidem omnes excommunicationis, anathematis, & interdicti poenas contra talia praesumentes, vel committentes inflictas, & tam a jure, quam ab homine „ latas damnabiliter incurrerunt, easdemque dictis, & aliis forsan de „ causis incurrisse, & in eis incidisse iidem nunciati, & declarati fuerunt. Verum sicut eadem expositio subiungebat, quia non est, qui „ ob lapsum tanti temporis de absolutione obtenta ab hujusmodi Censuris recordetur, & quia forsan propter bella, quae tunc viguerunt, & varia Sedis praedictae incommoda, ac dictae Civitatis calamitates, Priores ipsius Civitatis tunc existentes non curarunt, nec „ potuerunt absolutionem praedictam impetrare, sed bona fide, non „ tamen in contemptum Clavium postmodum hucusque forsan Censuris praedictis ligati, & interdicto hujusmodi non parendo in Divinis se immiscuerunt, propterea nuper pro parte Priorum, & populi praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut hoc praesenti anno „ Jubilaei eorum conscientiae securitati, animarumque saluti more „ pii Patris opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c. „ Extant *in extraordin. cit. fol. 67.*

(1) Vide Franciscum Bocchium *Elogiis clarissimorum virorum, qui Florentiae eluruerunt lib. 2. pag.* 37. Una cum Tavantio Romam petierunt Societates sub invocatione S. Juliani, S. Salvatoris, S. Francisci, S. Joannis *de Spazzavento*, & S. Luciae *de Ricucchi*. Consule *eadem extraord. fol.* 71.

(2) *Ex litteris citat.*

inscriptiones, quae Pisis leguntur. Inscriptio, quae est super portam Ecclesiae Sancti Juliani una cum insignibus Urbis Pisanae ita se habet.

Cum Pisana Civitas anno Jubilaei MDLXXVI.
Tota Religionis amore flagraret
Hortatuque etiam Sanctissimi ejus Antistis
Romam mißßet,
Ut a Gregorio XIII. Pontifice Maximo
Suorum peccatorum venia imploraretur,
Et a vinculo Excommunicationis,
Quo jam diù obstricta fuerat,
Pontificia Benedictione solveretur,
Suique voti compos facta eßet,
Confraternitatem hanc Divi Juliani unam ex coeteris
Ad id muneris electam,
Grati obsequii officium recognoscens,
Hoc publico suo insigni donare decrevit:
Cujus tanti in se collati beneficii non immemores Fratres
Insigne id perpetuum tantae liberalitatis testimonium
Hoc in loco ponendum curarunt
Anno a Partu Virginis 1576.

Sacra caeremonia peracta ab Archiepiscopo est die Novembris 13., in cujus memoriam ea ipsa die fit quotannis ab utroque Clero per Urbem religiosa supplicatio. Post biduum in morbum ille incidit, ac die 22. pleuritide decessit 36. annis natus, sepultusque est in majori Ecclesia (1). Dicitur a Sansovino

(1) *In extraord. laudatis fol. 73.* haec leguntur: *Piacque a quello, che il tutto può, sà, e vuole, che il soprascritto Monsignor Arcivescovo si partisse di questa presente vita doppo la predetta opera santa senza fare troppa lunga dimora. E così a dì 22. di Novembre soprascritta circa ore 13. esso Monsignore passò dolcemente a miglior vita, che fu il septimo noto giorno del suo male chiamato mal di punta in la sua età di anni trentasei. E a dì 23.* di

no (1) vir doctus, prudens, piusque; & a Ludovico Jacobillo inter Scriptores refertur, quoniam *reliquit eruditum volumen epistolarum* (2).

LXV. LUDOVICUS II. ANTENOREUS.

Ex praeclara Florentina familia Antenorea originem duxit. Vix ex ephebis egressus Pisas venit artibus liberalibus operam daturus. In Philosophia praeceptore usus est viro doctissimo Chiriaco Stroctio Florentino, atque ex iis discipulis ejus fuit, qui Magistrum suum *egregie illustrarunt* (3). Nomine, & insigniis Doctoris in utroque Jure ornatum fuisse colligitur ex Sanleolino (4) scribente, quod Ludovicum nostrum

Insignem gemini prudentia maxima Juris
Fecerat . . . .

In sortem Domini vocatus Ecclesiastico ordini ascribi voluit, quo in gradu constitutus pietatem, ac litteras impensius excolere coepit; adeo ut ob magnam virtutis opinionem, quam de illo conceperat Pius IV., missus ab ipso fuerit anno 1563. ad Patres Concilii Tridentini, *illos hortaturus, ut propemodum jam spectans ad finem Concilium absolverent; insecutoque anno ab eodem Pontifice jussus* iverit *in Gallias cum Rege acturus, ut ibi decreta ad mores corrigendos, Christianamque disciplinam constabilien-*

di detto mese circa hore 12. fu more Pontificali solennemente il suo Corpo con grande accompagnatura, & pompa di Ecclesiastici, & Primati Seculari, & multitudine di populo dal Palazzo Archiepiscopale alla Chiesa maggiore portato da Reverendi Sig. Canonici di detta Chiesa sotto il Baldacchino portato da Magnifici Sig. Priori della Communità, & populo Pisano, & da altri Ciptadini Pisani, e li furon fatte le exequie solemnemente &c.

(1) *Dell' origine & de' fatti delle famiglie illustri d' Italia pag.* 261.

(2) *De Scriptoribus Provinciae Umbriae vol. I. pag.* 236. *edit.* 1658.

(3) Confer Franciscum Bocchium *op. cit. pag.* 17.

(4) *Lib.* 5. *Carminum varia continentium fol.* 125.

biliendam publicarentur observanda; & licet, *refragantibus Ughonottis, legationi felix exitus non responderit, quaedam tamen ad Avenionensem legationem spectantia feliciter cum Rege transegit* (1).

Cum e Galliis ad urbem remigrasset carissimus item fuit Pio V., qui nihilominus ei permisit, ut ad suos lares rediret, Cosmo I. Magno Etruriae Duce rogante, a quo in Germaniam legatus est ad Imperatorem, electum arbitrum dissensionis ortae inter Cosmum ipsum, & Ferrariae Ducem (2). Germanica legatione nondum perfecta primo Volaterranus anno 1568., deinde post sexennium Pistoriensis Antistes renuntiatus est. Brevi Pistorii fuit, nam Franciscus I. qui Cosmo successerat, anno 1574. eum nuntium misit in Hispanias, ut Philippo II. Regi ejusdem Cosmi mortem significaret (3), & Gregorius XIII. anno 1575. die 2. mensis Decembris (4) ad Pontificatum Pisanum evexit. Hujus possessionem iniit die 25. ejusdem mensis per Constantinum germanum suum Ecclesiae Sancti Laurentii Canonicum (5). Ille verò per se anno sequenti die 25. Januarii populum suum visit (6), paulloque post e vita migravit teste Sanleolino (7) auctore aequali:

(1) Ughellius *T. I. n. 72. col.* 1461. Vide etiam J. B. Adrianum *Istoria de' suoi tempi lib.* 17. *pag.* 709.
(2) Adeundi Adrianus *op. cit. lib.* 20. *pag.* 804., & Ammiratus *Historie Fiorentine T. III. lib.* 35. *ad ann.* 1570. *pag.* 548.
(3) Consule Sanleolinum *Cosmianarum Actionum lib.* 4. *fol.* 96.
(4) *Ex ejus litteris in extraordinariis cit. fol.* 83.
(5) *Ibidem fol.* 81.
(6) *Ibidem fol.* 89. haec habentur: *Reverendissimus dominus dominus Ludovicus Antinorus de Florentia Archiepiscopus Pisanus suprascriptus se personaliter contulit ad Civitatem Pisanam, & introivit in ejus Palatium Archiepiscopale associatus a pluribus Reverendis dominis Canonicis dictae Pisanae Ecclesiae, ac a multis Civibus Pisanis, & aliis habitantibus in Civitate Pisana, partim existentibus in cocchiis more nunc solito, & partim super equis sine cocchiis, hac die vigesima quinta mensis Januarii hora vigesima tertia in circa 1576. stilo Pisano.*
(7) *Lib.* 5. *fol.* 129.

Ingreditur Pisana novus dum Templa Sacerdos
[Proh dolor] offensum vix primo in limine vita
Dignum Antenoriden majori parca necavit.

Ex veteri libro (1), qui est in publico hujus Archiepiscopii Tabulario, constat, vitam cum morte commutasse die 13. mensis Februarii; sic enim ibi legitur „ Nota, quod suprascriptus Reverendissimus dominus „ Ludovicus Archiepiscopus obiit die tertia decima Fe„ bruarii dicti anni 1576. hora tertia decima in dicto „ ejus Palatio Archiepiscopali, in quo stetit aegrotus „ per dies decem, & septem in lecto, & ejus aegritudo „ fuit, ut vulgo dicitur, *mal di petecchie; &* habuit „ magnum gubernium ordine Serenissimi Francisci Me„ dices Magni Ducis Hetruriae prout quotidie dicebat „ toto dicto tempore. Die 14. dicti mensis Februarii cor„ pus suum fuit portatum more Pontificali a dominis „ Canonicis in Pisana majori Ecclesia cum magna co„ mitiva ultra Clerum, & Regulares, ac Societates „ Magnatum, ac nobilium Civium Pisanorum, & Flo„ rentinorum, & cum magna multitudine personarum „ dictae Civitatis Pisanae utriusque sexus, & fuerunt „ dicta, facta, & gesta omnia, & singula, quae in si„ milibus solita sunt fieri more dictae Pisanae Ecclesiae, „ ac cantata Missa per Reverendissimum dominum An„ tonium Laurentinum Politianum dudum Suffraganeum „ dictae Pisanae Ecclesiae, & nunc Episcopum Sisien„ sem; & de laudibus praefati Reverendissimi defuncti „ facta tunc etiam fuit magna concio. „

Sebastianus Sanleolinus superius memoratus amplissimis monumentis consecravit memoriam nominis hujus Pontificis. Carmen (2), quod in ipsius obitum composuit, recitare placet, quippe quod munera, ac dignitates, quas sustinuit, exprimit: *Hoc*

(1) Nimirum *ex extraordinariis cit. fol. laud.* (2) *Loc. cit.*

Hoc Antenorius sub marmore clauditur heros:
Priscum Troia genus: Florentia mater eidem:
Tergeminae virides decorarunt tempora vittae:
Pistorium, Volaterra sacros, Pisaeque vetustae.
Pascentem videre greges, Arasque colentem
Caecina, Brana, Arnus nunc cassum lumine lugent.
Sequana cum Rhodano charis pro Civibus illum
Audiit orantem: pro Magno nuper Hetrusco
Danubiusque ferox, Rhenusque, Tagusque potentem
Saepius ad Reges placidi obstupuere loquentem.
Thybris & ipsa pater saepe auscultavit utrasque
Mulcentem ripas; triplicique ornavit honore
Tum certo, celerique gradu ad majora volantem
Purpureo immitis privavit parca Galero.

LXVI. BARTHOLOMAEUS JUNIUS.

Bartholomaeus Dominici filius Florentinus non minus animo, quam gente nobilis, decem & octo annos natus inter Canonicos Ecclesiae patriae relatus est. Quantum ex Synodorum Florentinorum actis (1) liquet examinator Synodalis, Capituli sui Decanus, & Prior Paroeciae Sancti Romuli in platea fuit. Ex litteris Petri Bembi (2) ad Laelium Torellum, Cosmi Etruriae Ducis a secretis, Auditoremque primarium, & Caroli Strozii (3) ad Benedictum Varchium constat, Bartholomaeum anno 1546. Romae habitasse, & favore Nicolai Ardinghelli Cardinalis obtinuisse a Summo Pontifice Ecclesiam *de Miransu* titulo *Plebis* ornatam. In patriam deinde reversus, anno 1555. a Marcello II., ad cujus amicitiam, quo tempore in Urbe fuit, accesserat, Ro-

(1) Confer Cerrachinium *Fasti Teologali pag.* 288.
(2) *T. III. epp. vol. 3. lib. 8. pag. 301. edit. Ven. 1729.*
(3) *Scelta di Prose Fiorentine vol. 2. par. 4. n. 47. pag. 94.*

mam vocatus est, quo pervenit, Marcello ipso defuncto. Arbitror tamen, Bartholomaeum diu ibidem mansisse, etsi is e vita jam migrasset, a quo multis beneficiis affici poterat; nam cum anno 1564. in amplissimum Purpuratorum Senatum relatus esset Ferdinandus Medices, qui postea Magnus Etruriae Dux fuit, aulicam vitam sectatus ille est apud eundem, ut narrat Ughellius..

Anno 1571. die 5. mensis Quintilis cooptatus est in Florentinorum Theologorum Collegium, teste Cerracchinio (1); & post quinquennium 20. mensis Februarii die renuntiatus est Archiepiscopus Pisanus a Gregorio XIII., cumque die 17. mensis Martii per Antonium germanum suum (2) possessionem iniisset, ipse Pisas venit die 23. Maji, & 28. primò in Ecclesiam suam introiit (3). Senex aetate summa octoginta nimirum quatuor annos habens mortem obivit Pisis anno communi 1577. die 26. mensis Junii; haec enim habentur in codice MS. hujus Archiepiscopii: *Reverendissimus dominus Bartholomaeus Junius Archiepiscopus Pisanus suprascriptus obiit die 26 mensis Junii hora 22. 1578. stilo Pisano in Civitate Pisarum in Palatio Serenissimi domini Petri de Medicis Principis Florentiae, & Senarum sito secus Arnum in Cappella Sancti Georgii portae maris in quo iverat pro rehabenda sanitate, quia erat aegrotus malis petrae. Die 27. dicti mensis hora 23. in circa fuit sepultus in Pisana majori Ecclesia more Archiepiscopali cum solito magno honore &c.* (4).

Non modo de Ecclesia Pisana, verùm de patria eti-

(1) *Ibidem*.

(2) *Extraordinaria cit. fol.* 89. „ nota quod die 17. Martii 1576. stilo Pisano Reverendissimus dominus Bartholomaeus Junius de Florentia „ novus Archiepiscopus Pisanus accepit possessionem dicti Pisani Archiepiscopatus mediante ejus Procuratore per rogitum Notarii Florentini, quem dominus Antonius Junius frater, & Procurator suprascripti Reverendissimi secum duxerat a Civitate Florentiae. „

(3) *Extraordinaria n.* 14. *ab anno* 1577. *ad* 1583.

(4) *Eadem extraordinaria*.

etiam optimè meritus extitit; quocirca a Sanleolino (1) in iis numeratur, quorum statuas Cosmus I. Medices collocandas decreverat Florentiae in excavatis columnarum orbibus ad nova Magistratuum aedificia:

Nec procul (a Ludovico Antenoreo) *hinc Junius Pisanae Praesul & Urbis*
Scalptus, & aeterno marmore lectus erit.

Philippus Cherubinius (2) hoc elogio Archiepiscopum nostrum exornat: *Bartolomeo Giugni versato in ogni scienza fu promosso l'anno 1576. dal Sommo Pontefice al nobile, e ricco Vescovado di Pisa il dì 20. di Febbraro. Governò quel gregge con somma pietà, e prudenza fino all'anno 1577.*

LXVII. MATTHAEUS RENUCCINIUS.

Summo loco Florentiae natus est. Ughellio teste vir fuit *litteratura clarus, praestantissimique consilii*, cumque *prius in aula Romana trepida, implicitaque negotia sapientissime explicuisset* Archiepiscopatum Pisanum obtinuit anno 1577. die 23. Augusti, uti liquet ex Gregorii XIII. litteris (3), in quibus Pontifex eum dicit Juris utriusque Doctorem, & *perpetuum Cappellanum ad Altare Sancti Pauli, situm in Parochiali Ecclesia Sancti Laurentii de Monterappuli Florentinae Dioecesis*. Alexander Renuccinius Ordinis Praedicatorum in Monasterio Pisano Sanctae Catharinae *Prior* possessionem accepit die 3. mensis Septembris nomine Matthaei fratris sui, qui venit *personaliter ad Pisanam Civitatem die Sabbati decima sexta Novembris hora 23.* (4). Eodem mense die 27. contulit Angelo Perutio Antistiti Caesariensi, &

Pon-

(1) *Cosmianarum Actionum lib. 2. fol. 62.*
(2) *Cronologia degli Uomini insigni, che sono usciti dall' antica, e nobile famiglia de' Giugni di Firenze pag. 13. edit. Lucens. 1723.*
(3) *In extraordinariis cit.*
(4) Vide *eadem extraordinaria.*

Pontificis Bononiensis *Suffraganeo*, qui anno 1570 factus est Episcopus Sallenatensis, Ecclesiam, sive Abbatiam vocatam *la Badiola*, *sub titulo Sanctorum duodecim Apostolorum* sitam in Dioecesi Pisana *prope locum collis Salvetti* (1). Extant in pubblico Archiepiscopii tabulario litterae (2) Gregorii XIII. ad Matthaeum nostrum anno 1578. die mensis Martii 14. scriptae, quibus Summus Pontifex eidem commendat Christophorum Guidicciomum Lucensem Episcopum Adiacensem in Corsica.

Magnopere optans abusus e Dioecesi tollere, ac disciplinam Ecclesiasticam restituere, eamque restitutam servare, anno 1580. die prima Junii Synodum celebravit, cujus Acta MSS. sunt in Bibliotheca *Seminarii* Pisani. Die ejusdem mensis 14. jurisdictionem exercere coepit (3) in Coenobio Monialium Sancti Bernardi, siquidem Gregorius litteras nonnullis ante mensibus publicaverat, quibus a Patribus Cistercie nsibus illae eximebantur, & Episcopis subiiciebantur.

Expiravit animam Pisis anno 1582. die 8. mensis Junii, sepultusque est in principe Ecclesia cum hac inscriptione, post plures annos ab ejus morte ibidem exculpta.

Matthaeo Rinuccinio
Variis Ecclesiae Romanae muneribus
In Italia
Atque Hispania functo
Deinde Archiepiscopo Pisano
Alexander Rinuccinius
Serenis. Cosmi II. Depositarius Generalis
Patruo meritissimo P.
Obiit anno Domini
MDLXXXII.

San-

(1) Adi *extraordinaria indic.*
(2) Has dabimus *in Append. monument.*
(3) *Ibidem.*

Sanleolinus Matthaeum inter eos refert (1), qui de Republica Florentina benemeriti fuerunt, &

. . . . quorum virtutibus olim
Decernet statuas Florida grata parens.

Celebris Academia linguae Etruscae custos, & conservatrix, a Cosmo I. Florentiae instituta, in numerum suorum adscivit; quocirca Jacobus Rillius (2) elogio eum illustravit. Cherubinius (3) item perhonorificam mentionem de illo facit in historia familiae Juniae, ubi ita scribit: *Matteo Rinuccini nobil Fiorentino Prelato di somma bontà, prudenza, e scienza.*

LXVIII. CAROLUS ANTONIUS PUTEUS.

Carolus Antonius ortum habuit Bugellae in Pedemontio anno aerae Christianae 1547. die 30. mensis Novembris. Parentes nactus est nobilissimos Franciscum Demarchum Romagniani, Comitemque Ponderani, & Amedeam Scagliam ex Comitibus Vervensibus, qui omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium imbui curarunt. Erat autem in eo docilitas, & ingenium ita ut celeriter arriperet, quae tradebantur. Qua ex re illud accidit, ut non solum graecè, latineque loqueretur, sed Philosophiam etiam, ac Theologiam calleret.

Patria relicta Pisas accessit Jurisprudentiae operam navaturus, in qua facultate optimis usus praeceptoribus magnos progressus fecit. Petiit hinc Bononiam, ubi anno 1566. doctrinae insignia (4) accepit ab Hannibale Mon-

(1) *Loco cit.*
(2) *Notizie Letterarie, e Istoriche dell' Academia Fiorentina par. 1. pag. 145.*
(3) *Pag. antea cit.*
(4) Franciscus Augustinus ab Ecclesia *Chronologica Historia S. R. E. Cardinalium, Archiepisc. Episcoporum, & Abbatum Pedemontanae regionis cap. 49. pag. 367.*

Monteruntio. Inde Taurinum concessit, qua in Urbe cum lites egregie perorare coepisset in ora hominum venit. Itaque Cosmus I. Magnus ille Etruriae Princeps in provehendis omnium disciplinarum cultoribus benignissimus eum Florentiam advocavit, locavitque in Rotae, ut ajunt, praeclaro Auditorio. Cùm eo in munere ita se gessisset Carolus Antonius, ut nemo quid haberet, quod de illo jure quereretur, a Francisco I., qui post Cosmum clavum Etrusci Imperii tenuit, patrimonii sui judex renunciatus est, & adscitus in numerum intimorum consiliariorum.

Francisci Magni Ducis favore Gregorius XIII. eum in defuncti Matthaei locum substituit anno 1582. die mensis Septembris 17., quod ex ejus litteris (1) fit manifestum. Roma, ubi Pontifex Pisanus consecratus est, in Etruriam reversus primum sacrum celebravit apud PP. Camaldulensium *Eremum*. Paullo postquam in Archiepiscopum electus est, Vicarium suum fecit insignem virum Nicolaum Calefatum Pisanum utriusque *Signaturae Referendarium*, ad quem die 30. mensis Septembris scripserat Franciscus superius memoratus eundem exhortans, ne munus, quod novus Pisanus Antistes ipsi committere animo volvebat, recusaret (2). Successit Nicolao Sebastianus ex Comitibus Guidiis Volaterranus Prothonotarius Apostolicus, coram quo anno 1584. die 26. Junii, Archiepiscopo Pisis absente, Joannes Baptista filius Dominici e praeclara domo Centuriona Genuensi Antistes Savonensis in Liguria electus, consuetam fidei catholicae professionem emisit, & Romanae Ecclesiae obedientiam sacramento spopondit (3). Commendavit etiam Sebastianus eo ipso anno die 21. Julii iis omnibus, qui Pontifici Pisano parebant, Patres Sancti Francisci *de*

Paul-

(1) Apud Abrahamium *op. MSS. alias cit. T. III. cap. 12. pag.* 141.
(2) *Extraordinaria num.* 15. *fol.* 1.
(3) Vide *eadem extraordinaria fol.* 385.

Paulla, quos *Minimos* vocant, ut eleemosinas illis suppeditarent ad Monasterium Sancti Torpetis fere dirutum, quod tunc obtinuerant, resarciendum (1).

Tametsi Carolus Antonius vices suas commisisset idoneis diligentibusque viris, saepissime tamen Pisas veniebat, diuque commorabatur, ut per seipsum gregem suum gubernaret, ac mores disciplinae Ecclesiasticae contrarios extirparet, & funditus tolleret; quod vel primis sui regiminis annis facere curasse, luculenter ostendunt plura decreta ab ipsomet edita tum auctoritate ordinaria, tum sibi delegata a Joanne Baptista Castellio Episcopo Ariminensi, qui in Urbe, ac Dioecesi Pisana munus gesserat Visitatoris Apostolici (2).

Magna item fuit Ferdinandi I. opinio de Archiepiscopo nostro, magna commendatio prudentiae. Etenim ille statim ac ad regendos imperio Etruscos anno 1587. accessit, hunc retulit inter consiliarios suos, adhibuitque per viginti fere annos in tota Etruria administranda. Hoc in munere sapientiam, integritatemque suam ita probatam reddidit liberalissimo Principi, ut hic optans ejus gloriam augere non semel rogaverit Pontifices Maximos de illo Sacra Purpura ornando. Multae, eaeque gravissimae civiles curae, quibus distentus erat Antistes Pisanus, nunquam impedimento ei fuerunt, quominus esset semper in officio diligentis Pastoris. Assiduam operam dabat pascendis ovibus sibi commissis, nec alia omittebat, quae religionem, pietatemque suam clarius ostendunt. Anno 1594. Sacellum Deo in honorem Sancti Hieronymi dicavit, quod ipse in Campo Sancto aedificaverat, ubi voluit, ut singulis diebus praeterquam feria quinta res divina fieret, quo sua

(1) *Ibidem fol.* 48.
(2) Videatur *Liber executionum Reverendissimi domini Visitatoris Apostolici n.* 16. *litt. A.* Extat in tabulario publico Archiepiscopii.

anima corporis ergastulo liberata sempiterna beatitate celeriter frueretur. Extant in eodem Sacello hae inscriptiones:

DIVO HIERONYMO SACRVM
CAROLVS ANTONIVS PVTEVS
ARCHIEPISCOPVS PISANVS
DICAVIT
ANNO CIↃIↃXCIII.

D. O. M.
CAROLVS ANTONIVS PVTEVS
ARCHIEPISCOPVS PISANVS
CLERI POPVLIQVE PRECIBVS
SE COMMENDATVM CVPIENS
SACELLO HOC A FVNDAMENTIS ERECTO
CAPPELLANIAM PERPETVAM
EX PONTIFICIA CONCESSIONE
INSTITVIT ET DOTAVIT
CVIVS RECTOR ET SACERDOS
PER SEIPSVM SINGVLO DIE
EXCEPTA QVINTA FERIA
MISSAM DEFVNCTORVM
IN ANIMAE FVNDATORIS REFRIGERIVM
CELEBRARE TENETVR
EX INSTRVMENTO ROGATO
IOANNE BAPTISTA CATANTIO CIↃIↃC.

Concessit Ferdinandus anno 1595. Clericis Regularibus Sancti Paulli Ecclesiam, & Monasterium Sancti Frigdiani, rogante Archiepiscopo nostro, qui singulis annis donec vixit tercentos nummos aureos pro alendis iisdem Clericis Regularibus subministravit: anno 1597. dono

dono dedit eorum Ecclesiae plures sacras supellectiles, ac tabernaculum, ut in eo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservarent: & post sexennium expendit 1125. nummos aureos in lacunanda media ejusdem Ecclesiae parte. In inferiore laudati Monasterii androne videtur Archiepiscopi effigies cum hac inscriptione:

CAROLVS ANTONIVS A PVTEO
ARCHIEPISCOPVS PISARVM
APVD FERDINANDVM I.
MAGNVM ETRVRIAE DVCEM
PRO INDVCENDA PISIS
CONGREGATIONE NOSTRA
PROMOTOR
INTRODVCTA VERO PATER EXTITIT. (1)

Restaurata principe Ecclesia Pisana, quae anno 1595. ab incendio multum detrimenti passa fuerat, Carolus collocandam curavit super illius Altare majus Jesu Christi Crucifixi imaginem aeneam, ut nos docet monumentum in marmore incisum, cujus haec sunt verba.

Dd 2 POST

(1) Carolo Antonio Ecclesiam regente aedificatum est anno communi 1590. Ptocotrophium, in cujus fronte hoc legitur monumentum.

FERDINANDO MEDICES MAGNO DVCE ETRVRIAE
ET CAROLO ANTONIO PVTEO ARCHIEPISCOPO PISANO
AETERNITATIS HOSPITALE AD PAVPERES EXCIPIENDOS
A BALTHASSARE LVDOVICI DE SANCTO CASSIANO
NOBILI PISANO CONDITVM AC DOTATVM VT IN ACTIS
NICOLAI TRONCI NOTARII PISANI ANNO SALVTIS
MDXCI. V. NONAS OCTOBRIS CVIVS PRIMVS XEN. DOCVS
CVRTIVS EXCELLENTIS VINCENTII FERRINI PISANVS
FVNDATORIS MANDATVM EXEQVENS HVNC MEMORIAE
LAPIDEM AFFIXIT ANNO MDCII. MORE PISANO

POST SACRAS AEDES
AB INCENDIO RESTAVRATAS
IESV CHRISTI CRVCIFIXI
LIBERATORIS IMAGINEM
CAROLVS ANTONIVS PVTEVS
ARCHIEPISCOPVS
EREXIT ET DONO DEDIT
ANNO MDCII.

Munificus quoque fuit erga Cives suos, pro quibus instituit in hac Urbe Collegium (1), ubi voluit, ut plures adolescentes Vercellenses, Bugellenses, & habitantes oppida Puteae Familiae subiecta ab eadem Familia designandi alerentur, & in Academia ad liberales artes incumberent. Super illius portam haec inscriptio legitur.

COLLEGIVM PVTEANVM
PIETATE ET LIBERALITATE
CAROLI ANTONII PVTEI
ARCHIEPISCOPI PISANI
FVNDATVM ET DOTATVM
ANNO MDCV.

Praeter haec religionis, ac pietatis suae argumenta, aliud etiam gravissimum exhibuit: scilicet *ad medicinam pauperum infirmorum Pisis commorantium, & ad hospitale accedere nolentium certum reditum constituit, Medicos, Chirurgos, & Aromatharios destinavit, quod pium opus enixe*

(1) Ex monumentis in archivo illius Monasterii, & ex Paullo Troncio *in Historia Antistitum Pisanorum* apud Abrahamium *op. MS. alibi cit.* T. III. *cap. 7. pag. 97.*, qui observat, opus illud Troncii exstare MS. Pisis penes nobiles viros *del Torto*, quod etiam notatur in catalogo operum illius edito initio Annalium Pisanorum. Sed ego cum idem opus apud eos quaesivissem, invenire non potui.

enixe commendavit magnificae domui Misericordiae *Pisarum* (1).

De illius amore in litteras, & viros litteratos dicendum nunc est. Nullus fere dies transibat, quo octo saltem horas studiis suis non vacaret, ratus, ut ego quidem arbitror, *hominem, qui in octo saltem horas non posset lectionem, meditationemque producere, haud multum posse inter litteratos excellere;* quod affirmare consuevisse immortalem Norisium perhibent Fratres Ballerini (2). Quare haud mirum est, si disciplina praesertim Juris civilis eruditissimus evasit. Duos scripsit Tractatus alterum *de Pote-*

(1) Confer Julianum Vivianum *de Jure Patronatus lib.* 3. *c.* 2. *num.* 53. Troncius, qui eo tempore vivebat, *loco cit.* idipsum confirmat sic scribens: *lasciò il fondo di sei mila scudi, acciò dell' entrata, e rendita di essi si dessero le medicine alli poveri della Città, li quali anno quanto li bisogna nelle loro infermità con poliza del Curato d' essersi confessati; e quest' opera santa è appoggiata alla pia casa di misericordia di Pisa, e li Medici per detti poveri sono salariati.* Idem ipse Troncius narrat *ibid.*, Archiepiscopum nostrum quotannis multa quoque donasse domui, quam Charitatis dicunt, & Brephotrophio Pisano: *contribuì annualmente grosse limosine straordinarie sotto nome proprio allo Spedale de' Trovatelli, & alla casa della Carità, & alcune volte limosine altre straordinarie sotto nome d' incerto benefattore.* Assensit etiam, ut domus aedificaretur, in qua per aliquot dies alerentur recentes a morbo, ut patet ex inscriptione, quae est in illius fronte.

D. O. M.
OB CONVALESCENTIVM VTILITATEM
CONGREGATIO CLAVORVM
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
HOC HOSPITALE EREXIT
ECCLESIASTICVM VOLVIT
DECRETO FIRMANDVM STABILIENDVMQVE CVRAVIT
XII. KALENDAS NOVEMBRIS MDCVII.
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DD.
CAROLO ANTONIO PVTEO ARCHIEPISCOPO PISANO
PERHVMANITER COMPROBANTE.

(2) *In vita Norisii T. IV. opp. pag.* 41. *edit. Veronensis.*

Potestate Principis, alterum *de Feudis* in tredecim libros tributum, ubi multas, & festivas controversias digessit judice Ughellio. Vereor tamen, ne duo illi Tractatus vulgati a Carolo fuerint. Etenim Antonius Thesaurus postquam narravit, Cassianum Puteum Senatus Pedemontani Praesidem plura volumina quaestiones legales complectentia MSS. reliquisse, ita subiungit: *cum hanc provinciam* (laudata volumina publicandi) *Carolus Antonius nepos inter Jurisconsultos doctissimus peragendam suscepisses, in ipso limine defecit, dum in Tusciam a Magno Hetruriae Duce Cosmo evocatus, & patrimonii illius Magni Ducis procurator factus, deinde Serenissimo Francisco requirente ad Archiepiscopatum Pisanum, Corsicae, & Sardiniae Primatum evectus, nunc etiam Magni Ducis Ferdinandi ab intimis consiliis ita Principum, & publicis, ac demum propriarum Ecclesiarum negotiis occupatus ad coeptum opus patrui, aut ad ipsius propria, quae parabat doctissime scribenda, praestitum tempus non fuit* (1).

Familiarissimi, atque intimi Archiepiscopo nostro fuerunt Caesar Mazzonius, Franciscus Buonamicus insignes Philosophi, Rodericus Fonseca, Hieronymus Borrius celebres Medici, Alexander Raudensis, & Jacobus Angelus Bargaeus nobiles Jurisconsulti, aliique plures in Academia Pisana Professores. Idem ipse Bonamicus, & Jacobus Mazzonius quosdam ex iis, quos vulgarunt libros, illi nuncuparunt.

Sexagenarius decessit anno 1607. in oppido Serravictia in Versilia, ubi aliquando rusticari solebat; ejusque cadaver inde Pisas translatum, humatum est die 15. mensis Quintilis (2) in sepulcro, quod multis ante mortem annis aedificandum sibi curaverat in Sacello Sancti Hie-

(1) *Praefatione ad novas Decisiones sacri Senatus Pedemontani fol. 1.*
(2) *Ex Necrologio in Archivo Paroeciae Primatialis Ecclesiae lit. A. fol. 5.*

Hieronymi superius memorato, ut liquet ex hac inscriptione.

D. O. M.
CAROLVS ANTONIVS PVTEVS
FRANCISCI COMITIS PONDERANI FILIVS
ARCHIEPISCOPVS PISANVS
DIEM MORTIS
ET VNIVERSALIS RESVRRECTIONIS
COGITANS
LOCVM HVNC VIVENS SIBI STATVIT
PRO CADAVERE SVO REPONENDO
QVANDO DIVINAE CLEMENTIAE VISVM FVERIT
IPSVM AB SECVLO NEQVAM ERIPERE
ANNO SALVTIS CIↃIↃC.

In eodem tumulo hoc inscripsit elogium Amedeus Caroli Antonii nepos.

HIC A PRIMA IVVENTA
OB EXIMIAM IVRISPRVDENTIAE COGNITIONEM
A COSMO MAGNO ETRVRIAE DVCE
FLORENTIAM ACCITVS
IN SVPREMO ROTAE PRAECLARO AVDITORIO
ITA SATISFECIT VT A FRANCISCO COSMI FILIO
SVMMVS SVI PATRIMONII IVDEX FVERIT DESIGNATVS
ET INTER INTIMOS CONSILIARIOS ADSCRIPTVS
ATQVE INDE AD ARCHIEPISCOPATVM PISANVM ASSVMPTVS
DEMVM APVD FERDINANDVM FRANCISCI FRATREM
MAXIMI PATRITIATVS MVNVS ANNIS PENE XX.
SVMMA CVM FIDE SVSTINVIT
ET IMMATVRO ADHVC FATO SVBLATVS TRISTE
SVI DESIDERIVM TVM PRINCIPI TVM POPVLIS RELIQVIT
AD BEATIOREM VITAM EVOLANS AETATIS SVAE LX.
SALVTIS VERO MDCVII.
AMEDEVS PETRVS DEMARCHVS
VIQVERIAE PONDERANI REANI ET BONVICINI COMES
EX FRATRE NEPOS ET EX ASSE HAERES SCRIPTVS
PATRVELI OPTIMO OBSERVANTIAE GRATITVDINISQVE
M. P.

Con-

Conspicitur etiam ibidem hoc Epigramma, cujus Auctor ignoratur.

Clara subalpinis populis hunc Tuscia dempsit
Invida virtuti scilicet illa viri
Judicio nam sanctus erat, sanctissimus Urbi
Praesul, & hic summa vir pietate fuit
Hic sumptu proprio jam diruta Templa refecit
Atque Dei cultu splendida dona tulit
Hic miseratus opus parvis collegia struxit
Pharmaca cum Medicis, & sine merce dedit
Hic tandem occubuit, vivit tamen, inclyta fama
Extinctum terris, nam super astra canit.

Pisis oratione funebri Carolum Antonium commendavit Curtius Cintoletta *Primatialis* Ecclesiae Canonicus. Florentiae vero apud Academicos Etruscae linguae custodes, in quibus ascriptus ille erat summis laudibus eum extulit die 30. mensis Septembris Attilius Corsius Florentinus.

LXIX. SALLUSTIUS TAURUSIUS.

Sallustius in oppido Montepolitiano praeclaro sanguine in lucem venit. Romam profectus diu ibidem mansit, ac plura munera gessit, in quibus magnam gloriam sibi peperit. Et primo quidem renuntiatus est utriusque Signaturae Referendarius, tum a secretis fuit sacri illius Magistratus, qui Episcopis, & Regularibus praeest; deinde factus est a Clemente VIII. Commendatarius Sancti Spiritus *in Saxia*, Reformator, & Visitator Apostolicus (1).

Obiit interea Synulphus Bencius Episcopus Politianensis; quocirca Summus Pontifex Sallustio patriam Eccle-

(1) Confer Spinellum Bencium *Storia di Montepulciano lib. 6. pag.* 172.

clesiam regendam commisit anno 1600. die mensis Januarii decimo. Brevi tempore per seipsum eandem Ecclesiam gubernavit; nam Ferdinandus I. Medices illum Legatum suum misit in Hispanias ad Philippum III., quod officium longe gravissimum tanta fide, ac sapientia quinque annis sustinuit, ut & Magni Ducis, & Regis Catholici voluntatem omnino expleverit. Post suum in Etruriam reditum a Paullo V. rogante Ferdinando, in locum Caroli Antonii Putei suffectus est anno 1607. die primo mensis Octobris (1).

Cum Paullus Troncius Annalium Pisanorum Auctor, cujus in hoc Opere saepius memini, Sallustio per litteras significasset, Sacrae Rotae Romanae Auditorem, ut ajunt, propediem adjudicaturum esse caussam Archiepiscopo Calaritano de titulo Primatis, & Legati nati in Regnis Sardiniae, & Corsicae litiganti cum Pontifice Turritano, Sallustius ipse optime videns, hujusmodi judicium summum antiquis Ecclesiae suae juribus detrimentum allaturum fore, Romam statim commigravit ad colligenda monumenta, quibus Archiepiscopatus Pisani ornamenta sarta tecta servaret (2). In Urbe commorabatur anno 1611. ut idem ipse Troncius (3) testis est. In-

(1) Hujus Archiepiscopi tempore anno scilicet 1610. aedificatum est a Christina Ferdinandi I. uxore Monasterium pro meretricibus, quae ad bonam frugem se receperunt, quod nos docet monumentum super ejusdem portam situm.

CHRISTINA LOTARENA FERDINANDI
MAGNI ETRVRIAE DVCIS TERTII VXOR
MONASTERIVM HOC SVMMA PIETATE
AC LIBERALITATE SVIS SVMPTIBVS
CONSTRVENDVM CVRAVIT
DOTAVIT ORNAVITQVE ANNO SALVTIS
MDCX.

(2) Vide T. I. *hujus Historiae cap.* 4. *Differtat. pag.* 69.
(3) Troncius *ad annum* 1224. *pag.* 184.

de tamen Pisas reversus erat anno veniente, quo sacrum fecit Templum PP. Carmelitarum, ubi haec inscriptio conspicitur.

D. O. M.
ILLVSTRISSIMVS ET REVERENDISSIMVS
IN CHRISTO PATER ET DOMINVS DOMINVS
SALLVSTIVS TAVRVSIVS
PISARVM ARCHIEPISCOPVS
NECNON REGNORVM CORSICAE
ET SARDINIAE PRIMAS
ET IN EISDEM REGNIS LEGATVS NATVS
ECCLESIAM HANC ET ARAM MAXIMAM
IN QVA RELIQVIAS SANCTORVM APOSTOLORVM
THOMAE ET BARTHOLOMAEI
AC SANCTI ALBERTI CARMELITAE
CONFESSORIS CONDIDIT
MAGNA POPVLI FREQVENTIA SACRIS RITIBVS
IN HONOREM NATIVITATIS BEATAE MARIAE
SEMPER VIRGINIS CONSECRAVIT
DOMINICO DIE DECIMOTERTIO KALEND. IVNII
ANNO A NATO DOMINO MDCXII.
ET IPSO CONSECRATIONIS DIE
VNIVERSIS VTRIVSQ. SEXVS CHRISTI FIDELIBVS
HANC ECCLESIAM VISITANTIBVS
VNVM ANNVM ANNIVERSARIO AVTEM
SINGVLIS ANNIS QVADRAGINTA DIES
DE VERA INDVLGENTIA
IN FORMA ECCLESIAE CONSVETA CONCESSIT.

Quandoquidem incommoda valetudine Sallustius tenebatur, in patriam remeavit, ut convalesceret, sed cum mor-

morbus in dies ingravesceret, ibidem ille decessit anno 1613. die decimo mensis Augusti, & in majori Ecclesia sepultus est. In palatio publico Politianensi hoc monumentum Sallustio positum fuit.

SALVSTIO TAVRVSIO EPISCOPO POLITIANO
OB SINGVLAREM IN AGENDIS NEGOTIIS EXCELLENTIAM
PER QVINQVENNIVM PRO SERENISSIMO ETRVRIAE DVCE
APVD REGEM CATHOLICVM LEGATO
MOX ARCHIEPISCOPO PISANO
QVI OBIIT ANNO DOMINI MDCXIII. X. AVGVSTI.

LXX. FRANCISCUS IV. BONCIANIVS.

Franciscus in lucem susceptus est Florentiae, parentesque habuit Paullum Boncianium, & Honestam Nasiani, utrosque nobilitate insignes. Ingenium acutum, & ferax a natura ille obtinuerat, quod vel a pueritia praeferebat. Quare parentes, ut primum per aetatem licuit, eum erudiendum tradiderunt viro doctissimo Petro Victorio (1), quo duce in humanitatem, politioresque litteras, ad quas potissimum factus videbatur, tanta diligentia incubuit, tantosque in iis progressus fecit, ut in locum principum Oratorum, ac Poetarum venerit. Celebres proinde patriae Academiae, quarum primam *Alteratorum*, secundam communiter *Florentinam* dicunt, non solum in suorum numerum adscripserunt Franciscum, verum etiam haec Consulatum, illa semel, iterum, ac tertio *Regentis* munus eidem detulit (2). In utraque Aca-

 demia

(1) Vid. clariss. Bandinium *in vita Petri Victorii pag.* 29.
(2) Confer Mannium *Memorie dell' Academia degli Alterati pag.* 12., & Salvinum Salvinium *Fasti Consolari dell' Accademia Fiorentina pag.* 320.

demia plures orationes habuit, semperque omne litteratorum hominum tulit punctum. Jucundissima, & ornatissima (1) ea fuit, quam fecit anno 1579. ad Beatae Mariae Virginis *de Ricciis* cum Academiae Florentinae nomine laudandum suscepisset Joannem Baptistam Adrianum celebrem Historicum, qui paullo ante e vita migraverat.

In Hispaniam concessit una cum Oratore Magni Etruriae Ducis (2), eratque Madritii anno 1584. die 20. mensis Octobris, ut eruditur ex illius litteris (3) ad Baccium Valorium Pisarum Praetorem. In patriam reversus intermissa litteraria exercitia revocavit, annoque 1589. funebri laudatione extulit Catharinam Mediceam Galliae Reginam defunctam (4). Rogatus quoque fuit, ut commendaret in utraque Academia Philippum Salsettum virum egregium; at Franciscus id facere recusavit, non quod libentissimo animo supremum hoc officium Academico praestantissimo, sibique necessario haud persolveret, sed ut locum cederet aliis sociis ostendere cupientibus, se arte copiose, apte, ornateque dicendi pollere (5).

Cum Ecclesiasticae militiae nomen dedisset, anno 1596. majoris Ecclesiae Florentinae Canonicus factus est. Post triennium Collegium Theologorum Florentinorum inter suos eum retulit communi consensione, quippe quod publico facto periculo ad Sancti Salvatoris coram Alexandro Mediceo S. R. E. Cardinali, & Archiepiscopo, qui postea Leo XI. fuit, luculenter ostenderat se multum, ac diligenter in rerum Divinarum studiis exercuisse (6). Anno 1600. Archidiaconi dignitatem obtinuit, & in

(1) Salvinius *pag.* 321.
(2) *Prose Fiorentine T. III. par. 4. in praefat. pag.* 11.
(3) *Eodem Tom. Prosarum pag.* 108.
(4) Salvinius *ibidem*.
(5) Vide *ejus litteras loc. cit.*
(6) Cerracchinius *Fasti Theologali pag.* 346.

& in Concilio anno 1603. Florentiae habito Examinatoris, & Judicis Synodalis munus gessit.

Rara doctrina, prudentia, ceterisque virtutibus, quibus Franciscus fulgebat, permotus Cosmus II. Magnus Etruriae Dux rogavit Paulum V., ut Ecclesiae Pisanae, quae mortuo Sallustio pastore carebat, illum praeficeret. Annuit Summus Pontifex anno 1613. die 6. Novembris, quo Boncianius in Urbe commorabatur; etenim die ejusdem mensis septimo, potestate a Romano Pontifice accepta, siquidem nondum consecratus erat, instrumento Romae in Palatio Oratoris Magni Etruriae Ducis confecto, instituit Flaminium *dal Borgo* Civem Pisanum procuratorem suum, ut possessionem Archiepiscopatus nomine suo iniret. Ipse vero Flaminius id muneris commisit Raphaello Roncionio Archipresbytero Pisano, qui munus illud exequutus est die 23. citati mensis Novembris (1). Cum Franciscus ad Ecclesiam suam accessisset confirmavit anno 1614. die 20. mensis Februarii Constitutiones factas a Christina Ferdinandi I. Medicei uxore pro Coenobio ab ipsamet quadriennio ante aedificato, ut superius diximus, Monialium institutum Sancti Augustini sectantium, quas *Convertite* appellant: totam Dioecesim suam visitavit, annoque venienti disciplinam Ecclesiasticam in ea sanxit celebrata Synodo diebus 11., atque 12. mensis Novembris, cujus acta anno 1616. typis edita sunt Pisis a Joanne Fontano.

Occiso anno 1617. Concino Concinio Marchione Ancorano, qui regnante in Gallia Maria Medicea, Ludovico XIII. ejus filio nondum ad Imperium apto, odium omnium procerum in sese concitaverat, Cosmus legavit (2) ad Mariam ipsam Franciscum. Huic in Italiam rede-

(1) Vid. *Acta Beneficialia num. 34. litt. R. fol. 37. & seq.*

(2) Id accidit post medium mensem Majum, ut constat ex his litteris Scipionis Cardinalis Burghesii ad Franciscum Archiepiscopum, quae extant

redeunti Regina dedit diversa vasa argentea deaurata magni pretii, quibus uti posset in re divina solemniter peragenda; quaeque ipse Pisas perveniens Ecclesiae suae donavit. Paullus Troncius, qui Francisci nostri aliquandiu Vicarius fuit rem hanc testatur in Historia MS., quam de Pontificibus Pisanis confecit, his verbis : *sendo stato mandato* (Boncianius) *dal Serenissimo Granduca Cosimo II. al Re, e Regina Madre di Francia in quel tempo, che era stato trucidato il Marescial, e Marchese d' Angiò* (legendum *d' Ancre*) *per la causa a tutti assai nota : quando Monsignore dopo la sua ambasceria fu per tornare in Italia, dalla detta Regina gli fu data in dono una sontuosissima Credenza di argenti tutti dorati, e di gran valuta, storiati con bassi rilievi, figure, e altri intagli bellissimi per l' intiero servizio d' una Cappella di qualsivoglia gran Prelato; onde egli arrivato a Pisa subitamente gli donò alla sua Chiesa* (1).

Erga pauperes liberalissimus fuit (2). Litteratos homines summo amore prosequutus est, quibus etiam suppeditabat libros ex copiosissima Bibliotheca, quam maximo

stant in libro MS. cui titulus : *Extraordinarius num.* 22. *fol.* 1514.
„ Molto Illustre, e Reverendissimo Signore come Fratello. Havendo il „ Serenissimo Granduca fatto supplicare Nostro Signore, che volesse con- „ cedere a V. S. licenzia di trasferirsi in Francia, si è contentata la „ S. S. di condiscendere all' istanza di S. A., & a V. S. permettere, „ che per tale occasione di passare in Francia possa stare assente dalla „ sua Chiesa per il tempo di sei mesi. A lei nel resto si ricorda il la- „ sciar buoni ordini per modo, che il servizio della stessa sua Chiesa „ non possa patire. Con che io me le offero, pregandole il buon viag- „ gio, & ogni contentezza.
Di V. S. Di Frascati li 9. Maggio 1617.

Come Fratello Affezionatissimo
Il Cardinal Borghese.

(1) Apud Abrahamium *op. MS. alibi cit. cap.* 17. *pag.* 189.
(2) Troncius *ibidem*.

mo sumptu ipse collegerat. Referam hic, quod anno circiter 1617. scripsit Thomas Dempsterus ad calcem catalogi Archiepiscoporum Pisanorum: *sedet nunc Franciscus Boncianus vir patricia Florentiae familia, morum suavitate, ac in litteratos mira animi propensione, doctrinaque non vulgari, supellectili librariae notae melioris sumptu immenso undique in studiosorum, non sui tantum compendium comparata* (1). Eandem Bibliothecam Franciscus testamento reliquit Patribus Dominicanis Monasterii Florentini *Sanctae Mariae Novellae*, ut ostenderet singularem benevolentiam suam erga P. Dominicum Gorium illius Monasterii alumnum.

Post sapientissime gubernatam sex annis Ecclesiam Pisanam naturae debitum reddidit anno communi 1619. die 28. mensis Novembris. Die veniente ejus corpus ad Ecclesiam *Primatialem* delatum est consueta pompa funeris, cumque ibidem ad secundam usque noctis horam expositum extitisset, locum sepulturae ei dederunt in pavimento Sacelli (2), quod olim *Incoronatae*; nunc S. Raynerii appellant, ubi hoc elogium inscriptum est:

HIC SITA SVNT OSSA
FRANCISCI BONCIANI FLORENT.
ARCHIEP. PIS.
OBIIT AN. D. MDCXX.

Honorificentiori elogio italice scripto eum ornavit Alexander Adimarius a Salvinio relato, ac est hujusmodi.

Fran-

(1) *De Etruria Regali T. II. lib. 5. cap. 2. pag. 268.*
(2) *Necrologium Ecclesiae Primatialis fol. 32.*

Francesco Bonciani
Patrizio Fiorentino
In cui fiorirono in grado eminente
La bontà, e la dottrina
Applicatosi al servizio della Chiesa
Divenne della paterna Metropoli
Canonico, & Arcidiacono
Indi scoprendosi in lui mirabile
Prudenza, e valore
Fu promosso all' Arcivescovado di Pisa
E salito in grandissima stima appresso
Al sommo Pontefice
E a' Serenissimi di Toscana
Visse impiegato in Ambascerie alla Corona
Di Francia
Et in altri nobilissimi affari.
Il Tebro facilmente l' avrebbe visto
Maggiore che non lo vide l' Arno,
Se morte così presto non s' interponeva
Al suo felicissimo corso.

Inter Scriptores Florentinos optimo jure refertur a P. Julio Negrio (1), siquidem non modo quas superius laudavimus Orationes, sed alias etiam, duosque Tractatus

(1) *Istoria de' Fiorentini Scrittori pag.* 188.

tus composuit, de quibus mentionem faciunt Salvinius, Cerracchinius, cum primis vero Joannes Maria Mazzucchellius (1) in Opere eruditissimo de Scriptoribus Italicis.

LXXI. JULIANUS II. MEDICES.

Julianus natus est Florentiae anno 1574. patre Raphaele, viro generis antiquitate, Equestri Stephaniano, & Senatorio ordine clarissimo. Apud Magnos Etruriae Duces maxime floruit existimatione prudentiae, ac in rebus tractandis dexteritatis. Quare diversas legationes eidem commiserunt, nimirum ad Rodulphum Caesarem, Matthiam Ungariae, Ferdinandum Boemiae, Sigismundum Poloniae, & Philippum Hispaniae Regem. His feliciter gestis, candore, aequitate, ceterisque animi dotibus favorem, & benevolentiam Cosmi II. ita sibi comparavit, ut munificentissimus ille Princeps non solum curaverit, ut Paullus V. anno 1620. die 15. Junii Archiepiscopum Pisanum eum renuntiaret, sed etiam ipse postero anno e vita migrans testamento reliquerit, ut qui post mortem suam Etruriam gubernarent, Juliani nostri consilio in ea gubernanda uterentur.

Utroque munere incredibili diligentia functus ille est; nam res Etruriae publicas curaturus legationem quidem obiit ad Sabaudiae, Mantuae, & Mutinae Duces (2), necnon ad Ludovicum XIII. Galliarum Regem, quem etiam summa, qua pollebat, eloquentia adduxit ad victorem exercitum suum ab Italia retrahendum, cui superatis alpibus ille minabatur; numquam tamen omisit quae ad optimi Pontificis officium attinent. Totam Dioe-

(1) *Volum. II. par. 3. pag. 1569. & seq.*
(2) Troncius apud Abrahamium *cap. cit. pag.* 191.

cesim suam peragravit, eaque occasione multa decrevit, quae ad Dei cultum augendum, ad rectam vivendi rationem, & ad Ecclesiasticam disciplinam servandam conferre posse intelligebat; ac probe videns quantum universae reipublicae utilitatis, & Ecclesiastico Ordini splendoris afferat Clericorum institutio ingenuis artibus, castisque moribus, Seminarium juxta Concilii Tridentini mentem aedificavit; cumque pecuniam, quae sibi satis ad idem opus perficiendum esset, non haberet, propriam supellectilem argenteam divendidit. In Seminarii fronte conspicitur inscriptio, ex qua quo anno terminatum illud fuerit apparet.

SEMINARIVM PISANVM
SINGVLARI . LIBERALITATE . RELIGIOSISS.
PRAESVLIS
IVLIANI . MEDICES . PISARVM . ARCHIEP.
AD . SAPIENTIAE . PIETATISQVE . CVLTVM
EXTRVCTVM
ANNO . DOMIN. INCARN. MDCXXVII.

Per idem tempus, vel paullo post construere coepit Coenobium pro Patribus Ordinis Minorum, quos dicunt *de Observantia*, extra Pisas, juxta Ecclesiam Sancti Petri *ad gradus*; quod tamen ob mortem absolvere nequivit (1). Eodem anno 1627. sacram fecit Patrum Cappuccinorum Ecclesiam recenter fabricatam. Est ibidem hoc monumentum secundum morem computandi annos apud Pisanos expressum.

D. O. M.

(1) V. Troncius *Annali Pisani pag.* 3.

D. O. M. A.
ÆDEM HANC
ANTIQVIS IAM TEMPORIBVS DIRVTAM
NVNC DENVO PIORVM ELEEMOSINIS
AD MELIOREM HANC FORMAM REDACTAM
AC FERE IN TOTVM
A FVNDAMENTIS REEDIFICATAM
VNA CVM MAIORI ARA
ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.
IVLIANVS MEDICES
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPVS PISANVS
CORSICAE ET SARDINIAE PRIMAS
ET IN EISDEM LEGATVS NATVS
BENIGNISS. IN HONOREM S. DONNINI MARTIRIS
DEDICAVIT
PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS
ANNO DOMINI M DC XXVIII.

Existimabat Julianus ovibus suis non bene consulere, munerique sibi commisso haud plene satisfacere nisi optima praecepta tum in peragranda Dioecesi, tum cunctis in rebus Pisano populo tradita, omnibus nota, firma, atque stabilia fierent. Quare anno 1628. Synodum primo habuit, in qua multa decrevit, maxime vero ut in tota sua Dioecesi Festa Sanctorum Torpetis Martyris 3. calendas Majas, Raynerii 15. calendas Julias, Francisci 4. nonas Octobris, Ephysii, & Potiti idibus Novembris, & dies 26. mensis Septembris, quo Ecclesia *Primatialis* consecrata est ita celebrarentur, ut unusquisque iis diebus rei Divinae interesset, & a quocumque opere, ut ajunt, servili sese abstineret.

Quod quidem Decretum moderatum est in altera Synodo anni 1634; ubi definitum fuit vim in sola Urbe illud obtinere (1). Non plurimum tamen fortasse fallar si dixerim idem decretum etsi temperatum, vel nunquam executioni mandatum, vel paullo post antiquatum fuisse quod attinet ad memoratos dies festos, excepto illo Sancti Rainerii. Etenim in Synodo habita a Scipione proximo Juliani successore anno 1638; ubi *de festorum dierum observatione* agitur, sic decernitur: *inter alia vero festa, quae ex praecepto Ecclesiae publica veneratione coluntur, volumus eodem modo ab operibus supradictis immunia sub eisdem poenis coli debere, & servari uti festa de praecepto etiam a Regularibus quomodolibet exemptis in nostra quidem Dioecesi festa S. Raynerii Confessoris Pisani 15. calendas Julii* (2).

Summum studium, quod Antistes noster in custodiendis sanctissimis Ecclesiae sanctionibus adhibebat non in Etruria solum, verum Romae etiam perspectissimum erat. Cum itaque Magistratus ille, cujus munus est, Concilii Tridentini statuta sarta, tectaque servare audivisset, nonnullos Etruscos Antistites diutius quam par esset, propriis Ecclesiis abesse, Robertus Ubaldinius S. R. E. Cardinalis, eidemque Magistratui praefectus anno 1628. septimo calendas Majas ad Julianum scripsit, ut illorum singulis significaret, laudatum Magistratum velle, nisi intra viginti dies ad proprias Sedes remeassent, Ecclesiasticos reditus licite percipere eos non posse (3).

Quae hactenus diximus ostendunt quidem, Julianum optimum fuisse Pontificem, clarius tamen idipsum demonstrant, quae mox narraturi sumus. Anno communi

(1) Vide *Librum Edictorum ab anno* 1561. *ad* 1638. *pag.* 79. *n.* 8.
(2) *Cap.* 15. *pag.* 24.
(3) Confer *eumdem Librum pag.* 74.

muni 1629. gerulus nescio quis litteras quorumdam Pisanorum mercatorum pertulit Florentiam, ubi pestilentia strages jam faciebat. Is rediens inde Pisas mense Septembri statim obiit, paulloque post universa Civitas morbo contagioso laborare coepit. Duobus annis, & octo mensibus mortifera clades duravit, plusque sex hominum millia in sola Urbe decesserunt, ut narrat testis oculatus Jacobus Arrostius: a qua tandem Pisani, multa vota Deo pro patria nuncupantes (1), & ad Sancti Torpetis eorum Civis deprecationem confugientes (2), liberi facti sunt. Difficile dictu est quanta cura, quantaque sollicitudine toto eo tempore se

(1) Jacobus Arrostius Civis Pisanus *Croniche di Pisa MSS. fol.* 244. „ fecero li Pisani in detto anno (1631.) voto alla Santissima Madonna del Duomo, che liberandoli da tale influenza ogn'anno che a tal voto si obbligorno, far dire a Monsig. Arcivescovo Giuliano de' Medici, che in quel tempo era, e doppo a suoi successori in perpetuo una Messa dello Spirito Santo solenne con musiche, scarcerare prigioni, e maritare fanciulle di elemosine, che i Priori, che saranno in quel tempo andranno ad accattare per la Città in segno della grazia, che riceveranno, e dopo ricevuta la grazia, che fù liberata la Città, el Contado, il lunedì dopo la prima Domenica fatto Pasqua si cominciò a dire la detta Messa, e per la settimana santa si cominciò a fare l' accatto, e così è ito seguendo fino al giorno d' oggi „.

(2) Idem Arrostius *fol.* 245. „ alla fine alli 29. di Aprile 1633. (*Pisano.*) i Padri di San Turpè dell' Ordine di San Francesco di Pavola si risolverno portare a Pricissione la testa di San Turpè Martire Pisano: gran cosa il dire, che in questo giorno, che si fece detta Pricissione restò totalmente libera la Città di Pisa, che da quel tempo in quà non si è sentita altra novità, & nel Contado andò sempre allegierendo a segno, che in breve restorno liberi del tutto, che cominciava poi la Città a dare pratica al Contado. Et in segno di gratitudine a una grazia tale ricevuta da nostro Signore per i meriti di questo benedetto Santo, tutto il Capitolo del Duomo in tal mattina si parte processionalmente, e ci và a dire ogni anno la Messa grande con musiche, dove ci interviene ancora i Priori della Città, & adesso che siamo nel 1655. si segue a fare il medesimo; & in fino a detto giorno si fece il conto in anni dua e mesi otto, che si era stato in dette calamità morissi nella Citta di Pisa solamente circa sei mila persone, e di passo tra huomini, donne, grandi, e piccoli. „

se gesserit Julianus erga miserrimum populum. Ipse Pisis nunquam discedere voluit, sed praesentia sua eum consolabatur, pecunia sustentabat, qua cum demum ob pauperum multitudinem caruisset, rursus supellectilem argenteam vendidit: quotidie eum locum visitabat, ubi illi manebant, qui de pestilentia suspectiores erant: quotidie aderat conventibus, in quibus de ratione conservandae sanitatis agebatur: *Monsignore Arcivescovo*, inquit Arrostius de Juliano loquens, *il quale ci era affezionatissimo, e ne dette le dimostrazioni, perchè in tempo del contaggio mai l'abbandonò, ma questo buon Prelato non solo l'ajutò con le sue entrate, ma perchè quelle non sussistevano per amore della quantità de' poveri, e carestia grande, che ci era, vendè tutte le sue argenterie per sovvenire a tal miseria, & ad altro non pensava che di dì, e di notte per la salute della Città* (1). Troncius vero ait: suppeditavit nummos aureos propemodum infinitos *alli poveri di ogni sesso, e condizione, massime in tempo del contagio, dove non lasciò di mettere molte volte a pericoli manifesti a guisa di buon pastore la propria vita; visitando ogni giorno il Lazzaretto, e dando udienza continua per ajuto del popolo con assister giornalmente al Magistrato della sanità, che si ragunava nel suo Palazzo* (2).

Maxima liberalitas, quam Julianus eâ praesertim occasione praesetulit cum Ferdinando II. Magno Etruriae Duci innotuisset, beneficus Princeps ei mille scutatos dedit, ut esset unde ipsi sumptus necessarii interim suppeditarentur: quos tamen hic recusavit, *ratus*, Ughellio teste, *satius fore, si in Florentino Pietatis monte ad lucrum collocarentur, ut ex eo censu in Insulae Gorgonae Ecclesia Sacerdos animarum curator posset sustentari*. Suis im-

(1) *Op. cit. fol.* 246.
(2) Apud Abrahamium *pag.* 192.

impensis multas pauperes puellas quotannis in matrimonium collocare solebat; ac ne iis, aliisque pauperibus aegrotantibus medicamenta deessent dedit operam, *che s' introducesse la Fondaria nel Giardino de' Semplici, e comprò l'istrumenti d' argento, metallo, e pietra, e provide gioje, e odori, & altro con spese di 400. scudi* (1)

Quingentos insumpsit scutatos in aedificanda Liburni Ecclesia pro Patribus Barnabitis, quos eo ipse vocavit, Ferdinando Magno Duce assentiente, & aluit, ut sacramentales Confessiones audirent, & Dei verbum praedicarent. Huius beneficentiae monumentum extat in eorum Pisano Monasterio sub Archiepiscopi nostri effigie,

IVLIANVS MEDICES ARCHIEPISCOPVS
PISARVM
BARNABITAS QVOS PROPRIIS EXPENSIS
LIBVRNI ALVIT MISSIONARIOS
CIVITAS LIBVRNENSIS
DECREVIT INCOLAS

Sacras vestes auro contextas, quibus in rebus Divinis peragendis utuntur, emit pretio duorum millium quingentorum scutatorum, easque donavit Ecclesiae majori Pisanae; cui etiam elargitus est Crucem adamantino lapide intertextam aestimationis ducentorum scutatorum, quam adhibent Archiepiscopi solemniter celebrantes.

Cum ad aetatis annum sexagesimum secundum pervenisset in morbum incidit die 24 Decembris. Dici non potest quantum doloris eius aegritudine acceperit universa Civitas, quae proinde multis precibus ad Deum confugit, ut ipse dignaretur optimum pastorem incolumi-

(3) Troncius *loco cit.*

lumitati restituere. Sed Deo placuit eum ad sempiternam patriam evocare. Itaque fato cessit die 6. mensis Januarii anni 1636. maximum sui desiderium omnibus, quibus notus erat, relinquens (1). Sepultus est in

(1) *Necrologio antea cit. fol.* 49. *haec habentur* „ A dì 6. di Gennajo 1636.
„ al Pisano, giorno dell' Epifania del nostro Signore in Domenica a
„ ore 22. passò da questa a miglior vita Monsignore Illustrissimo, &
„ Reverendissimo Giuliano de' Medici Arcivescovo di Pisa con dolore
„ universale di tutto il Clero, & popolo, il quale unitamente quan-
„ do si accorse del pericolo della vita del suo Pastore mai cessò di
„ fare atti pubblici di devozione ciaschedùno per la sua parte, poi-
„ chè la sera de' 24. di Decembre 1636. il molto Illustre, e molto
„ Reverendo Capitolo della Primaziale ordinò, che la mattina se-
„ guente cantata la Messa dell' aurora s' esponesse all' altare della
„ Madonna di sotto gli Organi il SS. Sagramento, il che fu esegui-
„ to puntualmente, e così si tenne sino alla mattina di S. Giovanni
„ Evangelista. Il medesimo giorno, che fu il 27. del medesimo al
„ Vespro, mentre si cantava il *Magnificat*, osservate le cose solite,
„ si espose la detta Madonna di sotto gli Organi, e la mattina se-
„ guente de' 28. detto si portò in Processione per la Città. Si passò
„ dal Monastero di S. Martino in Chinsica, & al ritorno si posò ap-
„ punto sotto la Camera di Monsignore Arcivescovo, che era infer-
„ mo nel Palazzo dove abita l' Illustrissimo Signore Giovanni de' Me-
„ dici Marchese di S. Angelo, Governatore di Pisa, e Generale del-
„ l' arme suo Fratello; e dette alcune preci, e orazioni si ritornò
„ al Duomo, e al Vespro mentre si cantava il *Magnificat* si ripose al
„ suo luogo solito. Fu cosa degna di considerazione, e di ammira-
„ zione insieme in vedere, mentre si tenne esposto il Santissimo
„ Sagramento, e la detta Immagine della B. V., non solo le Com-
„ pagnie, e Congregazioni de' Laici venire a piedi scalzi discipli-
„ nandosi fino allo sparger del sangue, ma ancora i PP. Regolari
„ tutti fino alle Monache di S. Teresia, domandando ciascuno alla
„ Maestà di Dio, & alla B. V. Maria con lacrime, e sospiri la sani-
„ tà del suo Prelato. Ma perchè il medesimo Signore aveva di già
„ determinato di darli ormai il premio delle sue sante opere, ed in
„ particolar di quelle fatte nel tempo del contagio, le quali tutte
„ per non essere questo luogo da raccontarle, si tacciono ec., essen-
„ dosi giudicato il caso quasi disperato, la Domenica, che fu a 30.
„ del medesimo dopo il Mattutino a ore 22. e mezza si portò dal
„ Duomo il SS. Sagramento accompagnato dal Capitolo, e Clero con
„ buon numero di torce alla medesima usanza, dove esso giaceva in-
„ fermo, e dopo aver esso fatta publicamente la professione della
„ Fede, domandato perdono delle offese, che per fragilità avesse
„ potuto fare, pregato il Clero a voler domandare al nostro Signore
„ un successore, che governasse la Chiesa Pisana con maggior dili-
„ gen-

in Ecclesia principe, cuius tumulo hoc elogium inscribendum erat.

D. O. M.

» genza, sollecitudine, e carità, che esso non aveva fatto, ricevè il
» SS. Viatico per mano del Signore Canonico Pietro Agostini Peni-
» tenziere ec., e al ritorno si tenne esposto il medesimo SS. Sacra-
» mento per lo spazio di un'ora ec. Finalmente persa ogni speranza
» della vita i Battezieri consegnarono in mano del molto Illustre,
» e Reverendiss. Monsig. Paolo Tronci Vicario Generale l'olio santo,
» il quale a suo tempo li fu amministrato dal molto Reverendo Pa-
» dre Gio. Angelo Bossio Barnabita suo confessore con tutte le altre
» cose necessarie. Resa che ebbe l'anima al suo Creatore fu ve-
» stito Pontificalmente, e collocato nella Sala principale dove si
» tenne tutta la notte: la mattina seguente de' 7. di Gennaio detto
» a ore 17. il Capitolo, e tutto il resto del Clero, & il Magi-
» strato processionalmente accompagnarono il suo corpo sotto il Bal-
» dacchino, e lo condussero alla Basilica Primaziale: il Coro, e la Tri-
» buna, Organo, e Cappella con le quattro Colonne principali erano
» parate di nero, e lo posero sopra il Catafalco sotto il detto Bal-
» dacchino; si cantò la Messa, si recitò un sermone in lode del de-
» fonto dal Sig. Buonauta Capezzali suo segretario, e in ultimo si
» fecero le cinque assoluzioni dalle prime dignità de' Canonici: si
» lasciò il detto Cadavere tutto il resto del giorno a vista del po-
» polo, e la sera a ore 23. si seppellì sotto il pavimento che è
» appunto sotto i piedi dell' Immagine di S. Cristoforo dove (si dice)
» si sia per fare un monumento simile a quello del Rinuccini, che
» servirà per adornamento, e accompagnamento della Porta prin-
» cipale della nostra Chiesa. »

D. O. M.
IVLIANVS MEDICES FLORENTINVS
ARCHIEPISCOPVS PISANVS
POST LEGATIONES AD RODVLPHVM CAESAREM
MATTHAEVM VNGARORVM
SIGISMVNDVM POLONORVM
PHILIPPVM HISPANORVM REGES
PRVDENTISSIME OBITAS
POST LVDOVICI GALLORVM VICTORIOSISS. REGIS
ARMA PRVDENTI ELOQVENTIA AB ITALIA
CVI DOMITIS ALPIBVS MINABANTVR
FELICITER DEPVLSA
POST OPERAM REIPVBLICAE
EX TESTAMENTO COSMI II.
CONSILIO NAVATAM
POST DEFENSAM OPIBVS, PERICVLISQVE SVIS
A PAVPERIBVS PESTILITATEM
PATERNAMQ. IN OMNES ORDINES CHARITATEM
VIRTVTIBVS OMNIBVS SVAE PAR VIGILIAE
QVOD MORTALE HABVIT
HIC DEPOSVIT IMMORTALITATIS
CONDITVS
OBIIT AETATIS ANNO LXII.
SALVTIS
MDCXXXVI.
OCTAVO IDVS IANVARII

Cum vero, inquit Abrahamius, *locus angustior* (marmor scilicet monumenti, quod Julianus sibi faciendum esse decreverat simile omnino monumento Matthæi Renuccinii), *quam credebatur evasisset*, *ubi praelaudata sepul-*

pulcralis inscriptio ponenda erat, illum idcirco necesse fuit breviori oratione contexere, & in hanc, quae sequitur, formam redigere, videlicet.

IVLIANO MEDICI ARCHIEPISCOPO PISANO
CVIVS PIETATES MAXIME ENITVIT COLLATA
IN EGENOS DOMESTICA SVPPELLECTILI PRAETIOSORE
PRVDENTIA LEGATIONE VARIA PRO SERENISS.
MM. DD. HETRVRIAE ORDIN. IN GERMANIAM
HISPANIASQVE EXTRAORD. IN HVNGAR. BOEM.
POLON. AD REGEMQVE GALLVM CVI CVM
MINACISSIMIS COPIIS AD FAVCES ITALIAE PROREPTO
REDITVM FELICITER PERSVASIT. LAVRENTIVS
FRATRI DESIDERATISSIMO ET IN OMNIVM
MEMORIAM VICTVRO NE QVID DESIT AD
GLORIAM H. M. P. ANNO SALVTIS
MDCLX.

Summi Pontificis facultate testamentum fecit, in quo scripsit haeredes pauperes, & Ecclesiam suam. Legavit etiam centum quinquaginta scutatos Capitulo cum eo, ut quotannis *Officium* pro ipsiusmet anima celebraret. Prodit Ughellius, quod *procera statura fuit, macilento, & pleno dignitatis aspectu, affabili, commodo, & peracuto ingenio, ita ut ad magna natus videretur, & altus.*

LXXII. SCIPIO II. PANNOCCHIESCHIUS.

Ex Comitibus Ilcii, qui sunt antiquissimae Senensis familiae Pannocchieschiae progenies, originem duxit. Patrem habuit Ursum virum clarissimum Ferdinandi II. Medicei primo paedagogum, deinde illius aulae praefectum. Humanioribus litteris operam dedit in patria, gravioribus autem disciplinis Compluti, quo petiit una cum patre suo Ferdinandi Oratore ad Philippum III.

 Regem

Regem Hispaniarum. In Etruriam cum rediisset, paullo post Romam commigravit, factusque est utriusque Signaturae, ut dicunt, Referendarius. Sed amplioribus curis par judicatus, populi Spoletini primum, tum Anconitani Gubernator renuntiatus fuit. Magna fide, ac sapientia munus illud longe gravissimum sustinuisse, haec erunt indicio, quod populus Spoletinus expetiverit perpetuum eius imperium. Anconitani vero in fronte Palatii publici familiae Pannocchieschiae stemma praeter consuetudinem collocaverint una cum Scipionis elogio (1).

Ancona discedens regendam suscepit Civitatem Firmanam, quam dum gubernaret, ab Urbano VIII. anno 1631. die 28. mensis Sextilis factus est Ecclesiae Pientinae Episcopus; quam quinquennio tantum administravit; etenim Juliano Pontifici Pisano anno 1636. ineunte defuncto successit mense Februario.

Eruditissimus Ughellius, qui Scipionis aetate Pontificum Pisanorum historiam absolvit, ita de illo scribit: *Juvenis adhuc annis, sed maturus judicio, & unde cordati possint magna sperare, quae egregiam indolem illam, nobilitatemque addeceant*. Res eo prorsus modo accidit, quo prudentes homines praesentire quivisse affirmat Ughellius. Etenim incredibili vigilantia Archiepiscopi officio diu functus est; hinc a populis sibi commissis mirifice dilectus est, magnique factus tum a Ferdinando II. Medices, tum a Summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII., quorum alter ad Venetos, alter in Germaniam ad Caesarem Nuntium Apostolicum eum misit. Legatione gesta idem ipse Alexander, ut debito tanti viri virtutes praemio afficeret, in amplissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Senatum eum retulit anno 1657; annoque venienti in apertum protulit titulo Sanctae Sabinae illi tributo.

Hoc

(1) Confer Isidorum Ugurgerium *Pompe Senesi par. 1. tit. 5. p. 116.*

Hoc ipso anno, quo Cardinalis declaratus est Synodum Dioecesanam habuit mense Augusto diebus 19. & 20. Ecclesiam Pisanam prudentissime rexit annis viginti septem, & mensibus quinque, non vero viginti duobus, ut putat Oldoinus; eam enim non statim ac sacra Purpura decoratus est, sed anno tantum 1663., Alexandro annuente, dimisit. Pisis Romam concessit, inde Legatus Apostolicus in Aemiliam petiit; deinde cum rursus sese ad Urbem retulisset, obiit anno 1670. pridie idus Aprilis teste Oldoino (1) citato, cui potius assentiendum esse arbitror, quam Abrahamio (2) scribenti, illum anno 1665. decessisse.

LXXIII. FRANCISCUS V. PANNOCCHIESCHIUS.

Franciscus item Pannocchieschi (3) ex eadem illustri Comitum Elciorum, quorum supra iam digne meminimus, prosapia, ac sanguine genitus (4) Comitis Raynerii, & N. Altuitae nobilis Florentinae filius dignissimus, necnon singularis doctrinae ac prudentiae excellentia (5) exornatus; cuius inclyta merita ad Pisani Pontificatus dignitatem assequendam iusto sibi viam strarunt anno 1666 Octobri mense recurrente (6). Hic Sci-

(1) *Tom. IV. Additionum ad Ciaconium col.* 734.
(2) *T. III. op. MS. cit. cap.* 17. *pag.* 196.
(3) Composuit hanc vitam Abrahamius; ego vero nonnullis adnotationibus illustravi.
(4) Florentiae anno circiter 1626
(5) Iisdem fere verbis Franciscum nostrum laudat celeberrimus Norisius, ad annum 1680. Cenotaphia Pisana illustrans; sic enim scribit *Dissertatione 4. T. III. opp. col. 674. edition. Veron.* „ Illustrissimus, ac Reverendissimus dominus Franciscus e Comitibus Ilcii vetusta familiae nobilitate, eximia doctrina, parique pietate insignis, qui eiusdem modo Urbis (*Pisarum*) sacra moderatur „.
(6) Cum esset Alexandri VII. Summi Pontificis intimus Cubicularius, & Basilicae Sancti Petri Canonicus factus est Antistes Pisanus annos natus circi-

Scipionis praedecessoris, ac patrui, qui magno virtutum splendore in Pisana Ecclesia gubernanda effulserat, gloriosa vestigia imitatus; eamdem sibi creditam ita sapienter administravit, ut optimi Pastoris, patriaeque patris quam amantissimi nomen cito sibi vendicarit, atque universae Civitatis non vulgarem in se traxerit admirationem; quare in sui inauguratione visus est detersisse dolorem, quem Pisani ex Scipionis iam laudatissimi Praesulis interitu (1) hauserunt. Etenim ille ubi primum ad hanc celebrem regendam Sedem subvectus est, illico divini cultus exaltationem, Cleri splendorem, ac disciplinam (2), suique gregis salutem, & curam studiis omnibus vigilantissimi Pastoris instar procurare non destitit: sedulam inde semper, ac omni tempore operam impendens, ut quae sui muneris erant, summa cum laude adimpleret. Franciscus autem inter cetera pietatis opera, quibus maxime inclaruit, non in-

ter-

circiter 37. Id porro accidisse triennio ante quam putat Auctor noster, nimirum anno communi 1663. mense Augusto sentiunt Martinius, Coletus, & Orlendius. Et recte quidem; nam Franciscus dicitur Archiepiscopus Pisanus in instrumento (*Protocollo num. 79. fol. 75.*) confecto anno superius memorato die 24. mensis Decembris *in Palatio solitae habitationis* Archiepiscopi *sito in Burgo huius Civitatis Pisanae*.

(1) Abrahamius ita scribens indicat, se existimasse, Scipionem anno 1665. non solum e vita migrasse, sed etiam Ecclesiae Pisanae nuncium remisisse. Verum utrumque falsum esse antea notavimus.

(2) Studium augendi splendorem, & servandi Cleri Pisani disciplinam diuturnum in Francisco fuit. Quare vel postremis sui regiminis annis cum existimaret, aerem aestivo tempore prope Ecclesiam majorem, ubi erat, estque modo Seminarium, incommodum esse, aliud in salubriori Urbis parte aedificavit anno 1696., quod Clerici olim habitabant ab idibus circiter Junii ad idus Augusti, quando vacationes a studiis incipiunt. Super illius portam haec extat inscriptio:

AEDIBVS PRO AESTIVA SEMINARII STATIONE
SVB COELO MITIORI COMPARATIS
ALVMNORVM INCOLVMITATI PROSPEXIT
FRANCISCVS EX COMITIBVS ILCII PISAN. ARCHIEP.
A. D. MDCXCVI.

termissam eius in pauperes clementiam hic contemplare non pigeat, in qua profecto tantum excelluit, ut non semel ad pauperum, honestorumque Civium nuditatem cooperiendam ipsemet propriis vestibus etiam recentibus sese expoliarit, iis iterum assumptis, quas jam paulo ante reliquerat. Ex hoc tantumodo egregiae pietatis in pauperes argumento, quantum revera Franciscus in ea virtute praestiterit, quantum item in benefaciendo ceteros sui aevi Praesules excelluerit, lector percipiat, ipsemetque animo perpendat. Munera insuper non sibi, sed aliis accipiebat, & quidquid a divitibus, vel propriis ministris honoris, ac liberalitatis ergo ipsimet oblatum erat, illud totum egenis iuxta proprii gradus ordinem distribuere, elargirique consueverat. Fuit item in corrigendo justus, sed mirifice prudentissimus; etenim si a quoquam de Clero forsitan peccatum esset, idem non publice, sed secreto semper in delinquentem animadvertere solebat, ipsum debitis poenis, vel salutari poenitentia juxta patrati criminis rationem coercendo, qua quidem laudabili praxi Sacerdotale deinde decus una cum Ecclesiasticae hierarchiae maiestate illaesum semper ab hominum maledicentia servabatur. Ceterum prudentissimus hic Antistes, ut Ecclesiae sibi creditae regimen feliciori cursu in dies progrederetur, quosdam de Capitulo nostro delegit qui semel in hebdomada, vel pluries si necessitas postulasset, cum eo simul congregati de rebus Pisani gregis curam potissimum spectantibus agerent, eaque matura praehabita discussione definirent, quod utique tum publicis, tum privatis Dioecesis Pisanae rebus haud parum conferre videbatur. Praeterea cum literas Antistes noster admodum excoluisset, litteratorum etiam consuetudine, ac frequentia uti semper consuevit; quorum profecto consilium in his potissimum, quae munus sibi commissum

ſum reſpiciebant, adhibere numquam praetermiſit. Eccleſiaſticae item immunitatis propugnator extitit quam acerrimus, qua de re implicitam, diuturnamque cum Religione Equitum militum S. Stephani litem exercuit, in qua ſuſtinenda quadraginta millia ſcutorum, & ultra impendit, partim ex Archiepiſcopalis menſae redditibus, partim vero ex amplio patrimonii cenſu delibatorum: ſaepius hac de cauſa Romam petere, ibique diu moram facere coactus. Demum eo ſuperſtite nil Religioni praedictae favorabile reportare datum fuit, quod immaginariae etiam Piſani Archiepiſcopatus immunitati, ac juribus videretur officere; & quamquam ad litium huiuſmodi vexationes reſecandas Summus idem Pontifex haud parum inſudaſſet, ſuaſiſſetque Franciſco, ut aliquid in favorem praedictae Religionis ſponte cederet, ipſum tamen Pontificis ſuaſioni nec auditum, nec aſſenſum praeſtitiſſe unquam certo conſtat; quare ad litigia praedicta e medio penitus tollenda neceſſe fuit, ut idem Romanus Praeſul propria auctoritate (1) incederet motu etiam proprio ad hanc rem prolato, ut longius ſuo loco dicemus (2). Hoc item Franciſco contigit cum Piſanis Canonicis, cum quibus cauſa praedicta diu coram S. Sede decertavit (3), ſicut

(1) Diu Archiepiſcopus litigavit cum praeclariſſimo Equeſtri Ordine Stephaniano, propterea quod hic apud Summum Pontificem curabat, ut Eccleſiae ſibi ſubjectae ab illius juriſdictione eximerentur, & Prior Eccleſiae Piſanae Sancti Stephani multis peculiaribus privilegiis exornaretur. Magiſtratus ille, ad quem ſpectat Concilii Tridentini ſanctiones exponere, pro Archiepiſcopo anno 1688. die 20. Martii decretum emiſit, quod eodem anno die 30. Aprilis probavit Innocentius XI. Sed cum idem decretum prodiiſſet indicta cauſſa, reſciſſum fuit ab Innocentio XII. anno 1698 die 18 menſis Octobris, qui litteris incipientibus: *Alias cum inter ec.* multa privilegia memorato Ordini contulit.

(2) De controverſia inter Franciſcum, & Ordinem laudatum agit Abrahamius *T. cit. cap.* 19.

(3) Archiepiſcopus noſter anno 1679. quaſdam Eccleſias, & Monialium Aſceteria

ficut ex publicis tum Pisani Archiepiscopatus, tum Capitularis archivii nostri tabulis satis liquet. Postremo insignis hic Antistes tantam apud omnes, ac praesertim Purpuratos Vaticani Principes gratiam, nomenque sibi collegit, ut iidem novendialibus seu comitiis Alexandri VIII. celebratis, ac conclave ingressi; nec non de Petri successore eligendo diu contendentes: qua de re ob diutinum Romanae Ecclesiae interregnum taedio affecti cum unanimiter decrevissent, ut unus extra Purpuratorum collegium in Pontificem eligeretur, electusque Pontificatum deinde adiret, nisi elapso quodam statuto termino unum de praedicto collegio congregati Patres delegissent; emisso itaque ad hanc rem scrutinio, & quatuor primi ordinis Patriarchis minime approbatis, tandem cecidit sors (1) super Franciscum nostrum; quo a Patribus comperto ipsi deinde ante elapsum terminum Cardinalem Antonium Pignattellum, cui Innocentii duodecimi nomen inditum fuit summum universalis Ecclesiae Vicarium, & Antistitem proclamarunt. Quod quidem perantiquae, ac clarissimae Comitum Ilciorum genti, ex qua praestantissimus Antistes noster nobile genus hausit, non parum gloriae suppeditavit, nec parum item venustatis, ac excellentiae, quicquid a laudatis Patribus gestum est, celebri Ecclesiae Pisanae tri-

tera sine Canonicorum interventu visitavit contra pactum inter Vitalem olim Antistitem Pisanum, Capitulumque initum; & anno 1680. decreverat quasdam constitutiones facere, quae ipsius Capituli juribus damnum afferebant. Ob hanc, aliasque caussas Canonici Pisani cum Francisco litigarunt. Confer Abrahamium *cap. indic. pag.* 257. *& seq.*

(1) Quandoquidem post Alexandri VIII. obitum Cardinales diu, multumque inter sese disceptaverant de illius successore renuntiando, Leandrum Colloredum duos obtulisse Sacro Collegio, quorum unum in Summum Pontificem eligendum esse arbitrabatur, Gregorium nempe Barbadicum, & Antonium Pignatellum narrat eruditissimus Marius Guarnaccius *in vita Innocentii XII. T. I. col.* 389. Quod autem hic scribit Abrahamius nemo natus, quantum scio, litteris consignavit. Fortassis id hausit ex peculiaribus illius temporis relationibus, quae verae ne, an falsae fuerint, alii videant.

buit, contulitque; quam profecto Basilicam laudatus Antistes ex singulari pietatis studio munificentiam patrui antecessoris imitatus, praetiosa supellectile auro, argentoque contexta perfecti quidem operis, magnaeque aestimationis ditavit. Postremo cum vigilantissimus hic Pastor, vir quidem aeterna memoria dignus, in Pisana regenda Ecclesia incomparabile probitatis exemplum praesentibus, posterisque tribuisset, ut pie vixerat, sancte etiam vita functus est anno 1703, (1) aetatis suae vero 78 (2) ad coelestia convolans laurea virginali redimitus, sicuti ex illius Confessarii testimonio jure jurando confirmato, qui generalem ejus confessionem haud semel exceperat, nostris hisce auribus audientes accepimus; quam utique singularem praerogativam, ob miserrimam fragilitatis humanae conditionem, paucis ex hac vita migrantibus contigisse patet. Ejus corpus celebri pompa sepultum fuit in Primatiali Ecclesia juxta Sacellum Crucifixi Reparatoris (3) vulgo Divi

(1) Sed anno communi 1701. die 20. mensis Junii, ut legitur *in Necrologio Ecclesiae Primatial. litt. C. fol.* 41.

(2) Idem habet Necrologium citatum quod ad Francisci aetatem attinet.

(3) Raynerius S. R. E. Cardinalis Francisci nostri ex fratre nepos post plures ab ejus morte annos marmoreum monumentum ibidem faciendum curavit, in quo haec inscripsit:

D. O. M.
ICONEM HANC S. CRVCIFIXI CIRCVMORNARI
ET FRANCISCO EX COMITIBVS ILCII
CARDINALIS SCIPIONIS
QVI SEDEM HANC PRIMATIAL. TENVIT
ANNOS XXVII. MENS. V.
EX FRATRE NEPOTI
PROXIMOQVE ILLIVS PER ANNOS XXXVIII. MENS. IX.
IN EA SVCCESSORI
HEIC CONDITO
GRATI ANIMI MONVMENTVM PONI CVRAVIT
RAYNERIVS TIT. S. SABINAE CARD.
PATRVO AMANTISSIMO
A. S. MDCC XLII.

Divi Thomae Aquinatis cognomento, cuius sanctissimae Iconae Antistes noster praedictus quoad vixit devotissimus extitit. Tanti Praesulis laudes, ac praeconia egregie concinnavit Petrus Verna, Pisani Seminarii tunc Rector meritissimus, in sua funebri oratione, quam idem inter exequiarum, Missarumque solemnia publice eximio adstantium plausu recitavit, Oratoris lacrymas Pisarum Civitatis Senatu, Clero, universoque populo moestissime prosequentibus.

LXXIV. FRANCISCUS VI. FROSINUS.

Franciscus Frosini (1) Pistorii ex Donato, & Maria Magdalena Nencinia nobilibus ortus (2) parentibus, sed litterarum praestantia, morum probitate vitaeque sanctimonia haud vulgari longe clarior; quarum utique supradictarum virtutum excellentia sese breviter exornandum ab ipsismet incunabulis indicium praestitit, miramque de se expectationem ab omnibus cito concipiendam exhibuit; etenim ubi per aetatem discendi capax fuit, ludo literarum deditus, prae ingenii alacritate, memoriaeque magnitudine mirum in modum prima literarum elementa ita didicit, ut intellectus, atque capacitas aetatem ipsam longe praecellere viderentur; quare omnibus condiscipulis etiam natu maioribus brevi temporis spatio superatis, animum ad nobiliora studia intentus, Pisas, ubi liberalium, & ingenuarum artium disciplinae admodum florebant, proficisci constituit: ubi inter Collegii Ferdinandi alumnos receptus, Philosophiae, Theologiae, ac Juris utriusque exercitationes perfectissime excoluit; optimo de his omnibus

 in

(1) Hanc item vitam scripsit Abrahamius, sed non integram, quam idcirco perfeci.

(2) Anno 1654. die 22. mensis Martii.

in publicorum Academiarum palaestris exhibito per illum haud semel periculo. Cum autem Franciscus laudatorum studiorum curricula feliciter peregisset, Jurisprudentiae lauream in alma Pisarum Universitate summa cum laude consecutus (1), Pistorium remeavit (2), ubi quanta postmodum in patriae beneficium, atque concivium favorem egregia praestiterit, praeclarissimae illius Urbis cum publica, tum privata monumenta satis, superque portendunt.

Haec dum ita sese haberent, Franciscus (3) aetatis suae anno XXXII. opera, & consilio Gherardi, tunc Pistoriensis Episcopi, omnium scientiarum genere, ac sanctimonia conspicui, hisce verbis per epistolam eidem transmissis, nempe „ Signor Francesco: *Nescit tarda* „ *molimina virtus Spiritus Sancti*: l'aspetto Domenica „ mattina festa del grande Arcivescovo S. Carlo Bor- „ romeo quì a *Igneo*, ove li darò la prima Tonsura, ed „ ella diverrà Ecclesiastico sotto la protezione di un „ sì gran Santo, e sì gran pescator dell'anime: averà „ un bell'esempio per farsi *venator animarum*; così „ si sente inspirato Gherardo miserabile Vescovo di „ Pistoia „: In sortem Domini vocatus est; quare Clericali militiae adscriptus, ac Sacerdotio initiatus, eidem illico Poenitentiari onus in Ecclesia Cathedrali sustinendum, ipsomet praecipiente Gherardo, demandatum extitit; erecta noviter ibidem ad hanc rem *Praebenda*, quam Regiae Celsitudinis Cosmi III. Etruriae [illegible] Ma-

(1) Anno 1675. die 12. Junii ab Horatio de Marchettis Equite Stephaniano ac utriusque Juris Professore.

(2) Factusque est in patria publicus Rhetoricae sapientiae professor, quo in munere nonnullos annos gesto magnam gloriam sibi peperit.

(3) Ex familia Gherardia Florentina renuntiatus Episcopus anno 1679. mense Februario, & defunctus anno 1690. die 16. Januarii, quem tanto amore semper Franciscus prosequutus est, ut & illi nobile marmoreum monumentum anno 1703. in Pistoriensi majori Ecclesia posuerit, & ejus vitam scripserit Florentiae anno 1736. typis editam.

Magni Ducis pietas religiosissima honesto censu ditavit. Franciscus itaque cum eodem munere summa sui nominis laude, atque eximio animarum fructu perfungeretur, perfectissimi status Ecclesiastici nomen tam apud suos, quam apud exteros sibi comparavit. Dum igitur celebris quaedam virtutum suarum fama non per Etruriam tantummodo, sed Italiam etiam universam ferebatur, contigit, ut eadem ad aures Eminentissimi Barbadici (1) jam Paduensis Antistitis, Purpuratos inter omnes suae aetatis ob eximiam doctrinae praestantiam, morumque sanctimoniam profecto quam clarissimi, perveniret, ipse Franciscum inter nobiliores suae familiae ministros adscribendum vocavit, eidem Vicarii Generalis onus, ac provinciam demandari desiderans. De qua re Gherardum consultus, a cuius sententia, judicio, ac consiliis nequidem unguem unquam discessit; ipse tandem post fusas ad Deum preces Francisco respondit, ipsummet in patria, Tusciaque consecuturum quicquid alio forsan sibi comparari sperabat: uti rem postmodum probavit effectus; etenim Gherardus morti proximus, ac Franciscum in multis, quae verum Praelatum spectant, erudiens, manus deinde quamquam infirmas, ac debiles super illum imposuit: praedicens hoc facto, eumdem Franciscum in Pistoriensi regenda Sede olim fore successurum, ut ita contigit; eodem namque sanctissime vita functo, Leoneque Strozza eius successore ad aliam Sedem (2) translato, praememoratus Franciscus eiusdem Basilicae regimini concivium omnium plausu merito suffectus est (3). Quare Romam pro-

(1) Gregorii Barbadici Patricii Veneti, qui post annos octo Bergomatium, & duos supra triginta gubernatam Ecclesiam Patavinorum obiit anno 1697. die 18. Junii, ac in Beatorum numero relatus est a Clemente XIII.

(2) Florentinam nimirum anno 1700. die 7. Julii.

(3) Pistoriensi Ecclesia proprio orbata Pastore a Canonicis Vicarius renuntiatus est, deinde Episcopus a Clemente XI. anno supra citato die 14. mensis Decembris.

profectus, ut suae ad Episcopatum idoneitatis coram Sancta Sede periculum de more ageret, eoque post examen dimisso, Summus Pontifex Clemens XI., qui tunc Dei vices in terris gerebat, ad Examinatores conversus, haec in laudem Francisci jam dicti protulit: *O utinam, dilectissimi, Pralatos omnes, qui ad Ecclesias gubernandas mittimus novo huic electo similes essent, quantum revera onus, quod aegre sustinendum suscepimus, quoque tam anxie praemimur, nobis inde levius videretur!* Franciscus interim statim ac jus divinum Pistorii dicere coepit, gloriosissimis praedecessoris vestigiis inhaerens, Ecclesiam sibi creditam non modo sanctissime gubernavit, sed gregi suo opere, consilio, & exemplo studiis omnibus invigilare numquam praetermisit. Quidquid vero Franciscus in ea dignitate constitutus laude dignum gesserit, referant alii, Pistorienses (1) praesertim a tanto Praesule tot beneficiis spiritualibus, ac temporalibus affecti; dum inclyta illius merita, egregiaque facinora ad majora modo de illo dicenda nos avocant.

Viduata itaque Pisana Ecclesia consueti Pastoris solatio per obitum alterius Francisci, cuius jam digne meminimus: Praesul hic insignis ex praelaudata Pistoriensi Ecclesia ad Pisanam regendam Sedem anno 1703 sublimatus est (2), Clemente XI. Pontifice Maximo Christianum orbem moderante, Regioque Etruriae domino Cosmo III., penes quem idem gratia, & auctoritate florebat, hoc sollicite procurante, nec non de-

(1) Ex Pistoriensibus id praestitit cl. Antonius Maria Rosati opere inscripto: *Memorie per servire alla Storia de' Vescovi di Pistoja*.

(2) Anno communi 1702. die 2. Octobris, ac postrema ejusdem mensis die possessionem iniit Archiepiscopatus per Petrum Matthaeum Casapieri Archipresbyterum Ecclesiae majoris Pisanae. Numeratus item postea est a Clemente inter eos Antistites, qui solium Pontificium circumstant.

demum Clero, populo, & universa Pisarum Civitate prae gaudio etiam exultantibus, eo quòd aeterna bonitas, Divinaque Majestas Antistitem illis, doctrina, literis, ac pietate praedecessori utique minime secundum dedisset. Talibus igitur faustis, fortunatis, ac felicibus sacri Pontificatus initiis, veluti egregiis quibusdam aedificii sui fundamentis optime, ac pulcherrime novus hic eximiae famae Praesul jactis, Divini statim cultus exaltationem, Cleri disciplinam, gregisque demum sui curam, ac salutem sollicite procurans, Dioecesim sibi commissam invisit, leges sanctissimas tulit, quas salubres ad populum sibi creditum optime custodiendum arbitratus est; easque ad maiorem Ecclesiae Pisanae exaltationem, perpetuamque stabilitatem in celebri Pisana (1) Synodo eiusque additionibus, summo studio, summo labore, egregiaque eruditione ab eo conditis, exaratisque praescripsit, ac tanta sui nominis laude, tum apud Purpuratos Vaticani Senatus Principes, tum apud caeteros Italiae Praesules, typis mandavit.

His feliciter peractis, oves etiam suas ad celeberrima pietatis opera in divini cultus exaltationem excitanda sollicitare haud praetermisit; studium omne, ac operam omnem impendens, ut sacrae omnes tum suburbium, tum agri Pisani Aedes, carie forsan, ac vetustate pene labentes, ab ipsismet sedulo repararentur. Ad maiora deinde conversus, in celebriores, ut ita dicamus, Urbis Ecclesias animum adiecit, quae vel excellentius exornatae, vel a fundamentis magnificentius iterum extructae, vel tandem in ampliorem, nobilemque formam redactae eo duce, eoque superstite visuntur;

(1) Loquitur hic Abrahamius de prima Synodo, quam Franciscus celebravit anno communi 1707. sed praeter hanc duas alias habuit, anno scilicet 1716., & 1725. quae typis excusae Pisis, omne litteratorum hominum, in primisque Divinis rebus addictorum tulerunt punctum;

tur; quarum omnium incremento Antistes hic magnanimus, & admodum pius studio, consilio, proprioque aere manus adiutrices non semel porrexit, qui quidem ad magna natus, magna etiam meditari, ac moliri numquam praetermittit: vir profecto sive sacris, sive civilibus rebus agendis dexteritate ita mirabili, animique promptitudine ita incredibili, ut Regia Celsitudo Cosmi III. Magni Etruriae Ducis quam praestantissimi in rebus politicis, ac in his potissimum, quae optimum regimen spectant, Christianumque Principem decent, ac efficiunt, Francisci nostri consilio, opera, ac industria uti semper consueverit; qui tandem morti proximus intima omnia sui cordis in ejus manibus deposuit, ac inter illius brachia ipsammet pius efflavit animam (1): egregium Principibus omnibus, qui terrena moderantur, vel in futurum moderaturi sunt, exemplum imitandum relinquens. Neque sua Regium Ducem in Francisco sibi deligendo fefellit opinio; est namque Praesul hic insignis cum in sacra, tum in prophana historia (2) versatissimus, in Theologica item facultate excellens, ac in utroque demum Jure Scriptor celeberrimus, ita ut Jurisconsultorum omnium sui aevi facile princeps ab eruditis habeatur; sicuti ex ejusdem praeclarissimis elucubrationibus, vel praelo datis, vel proprio calamo confectis modo clarius apparet. In arte

(1) Anno 1723. die 31. mensis Octobris.

(2) Illustria, & gloriosa facta in Annalibus contenta perspecta quidem habebat Franciscus, qui tamen in iis examinandis non multum artis criticae adhibere consueverat. Exemplo sit *Dissertatio Historica, Canonica, Legalis de appulsu S. Petri ad litus Pisanum* edita ab Orlendio *ad calcem par. 2. volum. 2. Orbis sacri, & prophani*, de qua non quid ego sentiam, dicam, ne quis existimet, me ex praejudicata opinione loqui, sed judicium afferam eruditissimi Petri Francisci Fogginii, qui *de Romano D. Petri itinere exercitat. 19. pag.* 445. postquam asseruit eam scriptam *a viro plane doctissimo, atque sanctissimo Pisarum Archiepiscopo Francisco Frosino* ita subjungit: *cujus auctoritati, eam dissertationem publici juris faciendo, haud quidem bene consultum fuisse videtur*.

arte insuper optime dicendi mirum in modum excellit: in ea potissimum, quae sacri Oratoris munus, ac officium spectat; quibus omnibus addere non pigeat celebres ejusdem pastorales epistolas (1), ac pulcherrimas homilias, zelo quidem, amore, ac perpolita eruditione plenas, quibus vel ore, vel scriptis gregem sibi commissum erudire, ac salutaribus monitis reficere numquam desinit. Hisce demum praeclarissimis animi dotibus poesim etiam, quam ipse admodum excoluit, subijciamus; illam vero tantummodo sacris, ac honestis floribus exornatam, illecebris omnibus ab eo penitus rejectis, quae castas piorum aures solent offendere, atque artem illam tam nobilem, & aeque pulcherrimam impie deturpant.

Haec supra scripta omnia, quorum hucusque digna meminimus non ad propriam sui ostentationem, sed ad Ecclesiae utilitatem, christianaeque Religionis incrementum, & exaltationem Franciscus sibi comparare studuit; quod utique neminem latere credimus si gloriosa hujus nostri Pontificis gesta perlustrare haud dedignetur; in cujus rei testimonium unum hic tantummodo prae multis referre sufficiat, hocque paucis dabimus. Cum quaedam hoc tempore in Gallia haereses Jansenii doctrinam redolentes, eximio quidem illius catholici Regni detrimento invaluissent; Franciscus Antistes noster magnus ortodoxae fidei propugnator, illarum sectatores, fautoresque scriptis quam celeberrimis confutavit (2), quae cum ad manus Cle-

(1) Extant *part. 3. additionum ad tres Synodos supra laudatas.*

(2) Res ita se habuit. Joannes Caesar Episcopus Nemausi Urbis Galliae Narbonensis trans Rhodanum scriptis anno 1718. pridie idus Aprilis litteris ad Archiepiscopum nostrum dolet, quod Antistites Itali calamum haud sumerent adversus impugnantes celebrem constitutionem Apostolicam *Unigenitus*, ex quorum silentio nonnulli inferebant, illos eidem constitutioni adversari; eumque, & alios collegas rogat, ut ad refel-

mentis XI. recolendae memoriae Pontificis, ac in omni doctrinarum genere clarissimi pervenissent, ipsemet confessus est, Franciscum nostrum hoc suo digno labore Scriptores omnes, qui contra praedictas haereses insurrexerunt, illarumque sectatorum audaciam retundere conati sunt, quam longissime praecelluisse, ut a viris fide dignis, & ab ipsismet Purpurati Senatus Principibus, omni quidem exceptione majoribus haud semel accepimus.

Nec mirum videatur, si Franciscus in his omnibus, de quibus huculque mentionem fecimus (eo perfectionis, & excellentiae evaserit; ille namque virtutum suarum praestantiam non instabili humanarum rerum instar repagulo, quae cito decidunt, ac evanescunt, sed altis, perpetuisque fundamentis, religione scilicet, exemplarique humilitate sollicitus praemunivit, egregiisque pietatis operibus admodum collustravit; & ut a dignioribus exordiamur, sciendum in primis est, humilem, pium, ac religiosum hunc Antistitem consuevisse quotidie Sacrum audire, & conficere; integrum insuper divinum officium genibus flexis persolvere, quique coelestium contemplationi frequenter inten-

refellendas, quibus imbecilles decipiuntur, iniquorum calumnias in Summum Pontificem, Episcopis Gallis Apostolicae Sedi obsequiosis opitularentur. Franciscus memoratas litteras accepit cum procul Pisis abesset, oras scilicet maritimas suae Dioecesis visitaret. Quare nonnisi 13. calendas Julii Episcopo Nemausiensi rescripsit. In suis porro uberioribus ad illum litteris primo respondet, Episcopos Italos summo cultu, & observantia prosequi laudatam constitutionem, quam ipse suis etiam decretis Synodalibus (*parte 2. additionum ad 2. Synodum pag. 65.*) inseruit; deinde pluribus ostendit, Praesules Gallos refractarios, & contemptores definitionum Romani Pontificis longe gentium distare a Conciliorum generalium, Sanctorum Patrum, majorum suorum, uno verbo ab universae Ecclesiae doctrina. Ambae litterae citatae anno tantum 1728. quo Clemens XI. jam obierat, publicatae sunt *par. 1. additionum ad 3. Synodum Pisanam pag. 38. & seq.* sed memoratus Pontifex eas MSS. legere potuit.

intentus, vitae activae exercitium, contemplativae quoque consociare haud praetermittit. Nocte vero accedente (quam ut plurimum vel studiorum causa, vel sui muneris exigente necessitate insomnem pertransit) quieti numquam se dare solet, nisi prius Rosarium Sanctissimae Virginis recitet, ac quinque sacrosancta Reparatoris nostri vulnera una cum tota familia salutet, veneretur, adoret; cujus acerbissimam passionem pereleganti Etrusco carmine (1) contexuit, atque affectibus ita tenerrimis expressit, ut illam nemo absque lacrymis, ac pia in Regem dolorum commiseratione valeat unquam percurrere. Est idem praeterea in Archiepiscopali munere obeundo solicitus, assiduus, & admodum exemplaris; in mensa parcissimus, exceptis tamen publicis de more conviviis, in quibus sui gradus excellentiam, ac majestatem praesefert; quaeque item eruditis, ut plurimum, sermonibus ipsismet epulis longe suavioribus condit, efficitque dulcissima. Eximia tandem illius in egenos misericordia satis est nota, & admodum singularis; & revera si pauperes, Evangelista teste, ipsummet Deum repraesentant, fatendum proculdubio est, piissimum hunc Antistitem numquam Dei consortio, ac praesentia vacare; illorum namque frequens caterva ipsum ita undique circumdat, & aggreditur, ut ne quidem pedem illi movere datum sit, ne pauperem offendat. Ad quorum utique calamitates sublevandas, ipsummet laceris incedentem vestibus haud semel nostris hisce oculis inspeximus; quique olim interrogatus cur hoc permitteret, cito respondit, pauperes ante Episcopos fuisse, & ideo illis praeeminentiam esse merito, justoque impertiendam. Oculares insuper testes sumus, quotnam virgines, viduae, pu-

 pilli,

(1) Composuit, publicavitque Centurias duas Italicorum epigrammatum inscriptas *Gesù Crocifisso*.

pilli, orphani; quot item nobiles, ignobiles, infirmi, afflicti, & ipsismet carceribus emancipati continuo Francisci pietatem experiantur. Mirabile dictu est, quotnam ipse haeretica labe coinquinatos Orthodoxae Religioni restituerit; quot item utriusque sexus Judaeos sacro Baptismatis lavacro regenerarit: quos omnes, ut plurimum, ne mendicare postmodum cogerentur, proprio aere aluit, eisque caetera ad vitae substentationem necessaria liberaliter suppeditavit. Sed quorsum his amplius immoramur, dum hoc luce clarius experientia quotidiana demonstrat? Caeterum dignissimus hic Antistes sicut valde pius in pauperes se habet, ita in benefaciendo aliis sua vi, quomodo potest, liberalis, munificusque (1) apparet; est item in parcendo facilis, in reis debita poena coercendis valde mitis, ac misericors: consuetudine insuper familiaris, docilis, jucundus, atque superbiae, & obstentationis hostis quam acer-

(1) Hanc laudem prae caeteris omnibus commemorandam esse censuit vir eloquentissimus Franciscus Maria Salvadorius, Seminarii Pisani Rector hoc elogio foribus principis Templi adfixo, quo die funus Archiepiscopo nostro factum est.:

D. O. M.

ADESTE PISANAE VRBIS CIVES
ADESTE ORDINES OMNES
ET FRANCISCO FROSINI
PATRIAE VESTRAE ARCHIEPISCOPO
PATRIAEQVE AMANTISSIMO
INCOMPARABILI OPTIMO
FVNERIS IVSTA MOERORE LVCTV
FLETV PRECE HVMILI ET OBSECRATIONE
PERSOLVITE
QVI NVLLVM NON COMITATE
CLEMENTIA MISERICORDIA LIBERALITATE
ANIMO BENEVOLENTISSIMO ET AMICISSIMO
COMPLEXVS EST VIVVS
IVRE SVO HANC AB OMNIBVS MERCEDEM
EXIGIT CHARITATIS, AC PIETATIS
EXTINCTVS.

acerrimus; & quod eximia contemplatione dignum est in adversis constantissimus; etenim praeter parentum ex hac vita decessum, trium etiam fratrum, Thomae scilicet, Coriolani, ac Petri Comitis, quos haud vulgaris famae unicos (1) habebat, mortem, ac interitum animo quam imperterrito sustulit. Nec praetereundum patimur, quod nobis a mente pene exciderat, Franciscum nempe nostrum ita esse a muneribus accipiendis alienum, ut inimicum fere ab ipsomet offerente non distinguat; quare de illo merito dici valet, quod de Bernardo Rechedonensi Cardinali Pisano, ac de summo Pontifice Eugenio III. item Pisano ferunt historiae, Joanne Saresberiensi (2), Divo Bernardo (3), Baronio (4), ac Spondano (5) testibus quam integerrimis. Imo etsi forte contingat, ut aliqua Franciscus recipiat, quae sibi justo debentur titulo, ut sunt cereae oblationes in ordinandorum, ac virginum consecratione fieri consuetae, illas statim Mendicantium Religionibus distribui praecipit; nil sibi relinqui faciens, sed de eo tantum contentus, quod ad propriae vitae substentationem fere satis esse videtur. Quare, si eodem Baronio teste (6) fertur, Alexandrum V. Pontificem maximum eximiae munificentiae causa se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, & mendicum Pontificem; convenientius hoc de Antistite nostro dicendum

(1) Ipsi soror germana tantum superfuit Maria Hermenegilda Deo dicata in Parthenone Pistoriensi S. Catharinae.

(2) *De nugis Criminalium, & vestigiis Philosophorum lib. 5. cap. 15. T. XXIII. Bibliothecae Patrum.*

(3) *Lib. 3. de Consideratione cap. 3. col. 436. T. I. opp. edit. Mabillon. Venetae.*

(4) *Ad annum* 1153. *num.* 9. 11.

(5) *Epitome Annal. Ecclesiast. Card. Baronii.*

(6) Idipsum ante Baronium litteris consignaverat Platina *vita Alexandri V. fol.* 133. *edit. Ven.* 1511. „ per jocum dicere (*Alexander*) interdum „ solebat, se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem „.

dum asserimus, qui ob singularem in pauperes, & alios liberalitatem, exstitit Canonicus non dives, pauper Episcopus, & miserrimus, ut ita dicamus, Archiepiscopus, quod quidem caeteris Francisci ornamentis non parum existimationis, ac gloriae suppeditat.

Aliis tandem egregie pietatis operibus Franciscus idem inclaruit, quae sane prosequi longum esset, nimiumque humanissimi lectoris patientia abuteremur. Verum ipsemet ut patriae patris nomen in omnibus justo etiam sibi vendicaret: gloriosissima Divi Raynerii gesta Civis, ac Pisarum patroni egregie de more concinnavit, eaque per prosas, ac rhythmos persuaves (1) mirifice describens celeberrimis Pisanorum, ac Capituli nostri fastis ad perennem sui in Cives omnes, ac nos amoris, benevolentiaeque testimonium apprime collustravit. Civitatem interim ipsam benignis oculis non modo respicere, sed temporalibus, ac spiritualibus praesertim beneficiis prosequi nunquam desinens. Quare cum inclyta, ingenitaque pietas Cosmi III. Etruriae Magni Ducis ita egisset, ut remota Pisis ab Ecclesia S. Euphrasiae animarum cura, eaque aliarum Ecclesiarum Parochis demandata, illuc florentis sanctimoniae Fratres Divae Theresiae Ordinis inducerentur; Franciscus de animarum salute valde sollicitus, in qua quidem procuranda ipsorummet Fratrum Religio insudare numquam praetermittit, Religiosos praedictos summopere fovere, atque operi tam pio manus adjutrices in dies apponere quam diligentissime studet (2). Quod item

(1) Prodierunt Lucae anno 1717. hoc titulo: *San Ranieri esposto alla pubblica divozione da un suo divoto nel raccogliere tutto quello, che può di più notabile ricavarsi dagli Scrittori della sua vita.* De hoc opere fit honorifica mentio *T. XXXIII. par. 2. Diarii Litteratorum Italiae pag.* 393.

(2) Archiepiscopus noster ut Apostolicae Sedis specialis delegatus Patres Carmelitas discalceatos in possessionem Ecclesiae S. Euphrasiae Cosmo III. annuente misit per Antonium Franciscum Palmerinium Achipresbyte-

item studiis, virisque eruditis, haud intermisse praestare modo videtur; etenim magni hic, excelsique animi Praesul, praeter insignem benevolentiam, qua studiosos complectitur, sedulam & ipse liberalibus disciplinis navat operam, & in id maxime incumbit, ut magni nominis Scriptorum notitiam comparet, ac penitiora studia pertractans, omnigenam eruditionem abunde pascat, cujus adipiscendae desiderium, quo a primis usque annis flagraverat, ad magnae etiam huius dignitatis apicem evectus, numquam deposuit, editisque semper victuris ingenii sui monumentis, hoc universo terrarum orbi manifestum facit. Quare haec nobiscum animo versantes, praestantissimum hunc Antistitem, virum utique non tam omnium virtutum ornamentis excultum, sed unicum etiam literariae Reipublicae, ac studiosorum patronum appellare, venerarique merito possumus; ad quorum omnium incrementum servandum, excitandumque, Accademiae cognomento Pisanae se protectorem esse non recusavit, ac Bibliothecam, quam amplam (1) habet, & optimis scientiarum omnium codicibus refertam publicae utilitati in Seminario Clericorum huius nostrae Basilicae

jam

byterum Pisanum Vicarium suum anno 1719. die 16. mensis Junii. *Monumentum in illorum archivo*. Eis quamdiu vixit copiosas elargitus est eleemosynas. Peculiari etiam liberalitate usus est erga Collegium S. Frigdiani, quam Clerici Regulares S. Paulli testatam fecerunt hoc elogio in eodem Collegio collocato.

FRANCISCVS FROSINI ARCHIEPISCOPVS PISARVM
S. R. I. COMES.
PRVDENTIA DOCTRINA PIETATE ET CHARITATE
FVTVRIS SAECVLIS SEMPER PRAESENS
DE HOC COLLEGIO OPTIME MERITVS.

(1) A quibusdam Pisanis Bibliopolis, qui jubente Archiepiscopo anno 1722. pretium eidem Bibliothecae statuerunt, judicatum est, eam valere 1285. scutatos, & libras duas Florentinas, vel saltem haud pluris vendi posse numerata pecunia. *Monumentum in tabulario secreta Archiepiscopii*.

aliis imitandum relinquens. Utinam modo illius praeconia, laudes, ac singulares animi dotes, quibus admodum excellebat, posset Antistes praelaudatus, cui tantae Virginis intima cordis nota sunt, verbis singillatim recensere, palamque referre; tunc aperte nobis cognoscere datum esset, quot bona, quot felicia, quot item salutaria, & eximia contemplatione dignissima, ipsamet exemplaris, piaque virgo in favorem Civitatis hujusce nostrae praestiterit, ac quantum denique in Christiana perfectione eodem auspice Francisco profecerit.

Hactenus Francisco vivo edita ab Abrahamio fuerunt. Nunc eo jam defuncto reliqua persequar. Rogatus anno 1726., posteroque ab Hannibale Albanio S. R. E. Cardinali, ut Pisas vocaret Patres Congregationis Sancti Hieronymi a Beato Petro Gambacurta Cive Pisano institutae, eisque concederet Monasterium, & Ecclesiam Sancti Petri *ad gradus* extra Urbem, id praestare spopondit, ac praeterea Albanio recepit, se Magnum Etruriae Ducem obsecraturum, ut & ipse *illis* annueret (1). Cur autem eorum desiderio factum satis non fuerit, me omnino fugit. Carolo Borbonio Philippi V. Hispaniarum Regis filio anno 1731. exeunte in Etruriam veniente, Franciscus delectus est, ut Clementis XII. Summi Pontificis nomine Regio Principi Liburni commoranti adventum suum gratularetur, nonnullasque controversias paullo post exortas componeret (2).

Populo Pisano regendo omni studio intentus tranquillam, placidamque vitam multos annos transigerat, cum his circiter temporibus in graves perturbationes incidit, quas fugere vix, ac ne vix quidem sibi licere exi-

(1) Ex litteris autographis in tabulario secreto Archiepiscopii.
(2) Litterae in eodem tabulario.

exist imavit. Itaque exanimatus decrevit Archiepiscopatui nuncium remittere pensione quingentorum duntaxat scutatorum sibi retenta (1). Verum cum ad Cardinalem Antonium Banchierium anno 1732. die 3. Novembris scripsisset, ut mentem suam aperiret Summo Pontifici, hic rescribendum ei curavit, ne quod animo volvebat executioni mandaret (2). Joannes etiam Gasto, qui clarum Etruriae tenebat Francisci consilium praesentiens, per Joannem Antonium Tornaquincium eidem die 22. mensis supra citati significavit, se exoptare, ne Ecclesiae Pisanae regimen, quod diu sustinuerat tanta sui nominis gloria, & gregis sibi concrediti utilitate, deponeret (3). Quare in officio gu-

ber-

(1) Ex Francisci litteris ad Cardinalem Banchierium.

(2) En Cardinalis Banchierii litterae: *Illustrissimo, e Reverendissimo Signore. I zelantissimi, e pii sentimenti, con cui V. S. offre a N. S. la dimissione del suo Arcivescovado dimostrano evidentemente quanto grande sia la virtù sua, e qual premura abbia ella avuta sempre per il buon governo della Chiesa, e per il servigio di Dio; ma Sua Beatitudine in vece di prendere da i motivi, che accompagnano la di lei istanza, argomento di secondarla, si è confermata piuttosto nella ben fondata opinione, anzi viepiù si assicura, che massimamente nelle circostanze presenti, e ne' bisogni più urgenti della medesima sua Chiesa sia pur troppo necessaria la di lei cura, e singolar vigilanza:* & post pauca: *illuminata la S. S. dallo Spirito del Signore ha presa risoluzione di confortare per mio mezzo il di lei animo, ed incoraggirlo a continuare ancora qualche tempo la gloriosa carriera delle sue pastorali fatiche, per il di cui felice proseguimento siccome non le mancarà certamente l' ajuto superiore, mediante il quale ella si è fin' ora segnalata nell' applaudito reggimento dell' Arcivescovile dignità, così non lascierà S. B. di agevolarlene la grazia co' suoi fervorosi voti all' Altissimo, a fronte anche degl' incomodi della sua grave età, la quale senza dubbio valerà per un gran discarico rispetto a quel di più, che ella senza sua colpa impedita, anzi con merito del buon desiderio vorrebbe generosamente operare ec.*

(3) Tornaquincii litterae sunt hae „ Il Serenissimo Gran-Duca, che ha „ giustamente tutta la stima del merito di V.S. Illustriss. vuol cre„ dere, che non abbia un sodo fondamento ciò, che gli è stato rap„ presentato del pensiero, che ella possa avere di renunziare codesta „ Chiesa, poichè S. A. R. ha troppi motivi di desiderare, e di gra„ dire, che VS. Ill. continui nel suo pastorale ministero sostenuto da „ lei fin' adesso con tanta lode, e con tanta edificazione, e vantaggio „ de' subi Diocesani. Ha voluto la R. A. S., che io significhi a VS. „ Ill.

bernandae Ecclesiae Pisanae mansit ad annum usque 1733., quo sub auroram diei 20. mensis Novembris apoplexia correptus, perendie circa eandem horam octogenarius interiit. Sepulturae traditus est in principe Ecclesia prope majorem januam ad dexteram, ubi marmoreum monumentum sibi ponendum longe ante mortem curaverat, in quo expressus est anaglyptico opere Pater Aeternus Christum Filium Cruci affixum intentis oculis quasi respectans, & infra haec legitur inscriptio:

VT HVIVS PARIETIS PARTEM
QVAE NVDA ERAT ORNARET
SPECVLVM HOC
IN QVO SVAE MORTALITATIS IMAGINEM
NOSTRIQVE REDEMPTORIS VVLNERA
QVAE AD ILLAM FELICITER EXVENDVM
TOTAM SIBI SPEM FACIVNT
TEMPLVM INGREDIENS CONTEMPLARETVR
FRANCISCVS FROSINI PISTORIENSIS
EX PATRIAE EPISCOPO
PISARVM ARCHIEPISC. V. P. C.

Ele-

„ Ill. questi suoi sentimenti per darle una nuova testimonianza del „ gusto, che prova, che ella continui nel governo di codesta Chiesa, „ e della ferma credenza, nella quale è S. A. R., che in ogni caso, „ che VS. Ill. pensasse di renunziarla, gli sarebbe nota per i canali „ convenienti, e prima di fare passo alcuno, questa sua risoluzione „ per tutti quei riflessi, che la prudenza di VS Ill. saprà meglio di- „ scernere, che io spiegarlo. Che è quanto ho l'onore di rappresen- „ tarle in obbedienza dei cenni della R. A. S., e rattificandole il „ mio sommo ossequio ec. „. In aliis vero litteris die 29. Novembris scriptis, sic ait idem Tornaquincius „ Il Serenissimo Gran-Duca nostro „ Signore, al quale ho avuto l'onore di rendere esatto conto di ciò, „ che V.S. Ill. mi risponde con la gentilissima sua segnata ne' 24. ca- „ dente, ha ricevuto con piacere, e con stima non ordinaria le sue „ cortesi dichiarazioni, e molto più gli è stata cara la sicurezza, che „ V.S. Ill. si sarebbe accomodata a continuare nel governo di co- „ desta sua Chiesa, premendogli con molta ragione, che il Signore „ Iddio la preservi felice, e lungamente per il maggior bene di co- „ desta Diocesi ec. „

Elegantiorem inscriptionem Francisci laudum quasi summam complectentem composuit Salvadorius, quae plumbeo tubulo inclusa, in arca ipsa sepulcrali condita fuit, ac est huiusmodi.

FRANCISCVS FROSINI PATRITIVS PISTORIENSIS
PISARVM ARCHIEPISCOPVS S. R. I. COMES
INSVLARVM CORSICAE ET SARDINIAE PRIMAS
IN IISQVE LEGATVS NATVS
AC PONTIF. SOL. EPISCOPVS ASSISTENS
GENERIS AC FAMILIAE SVAE VLTIMVS
HIC SITVS EST
QVI PISTORIENSI PRIMVM ECCLESIA
AC PRATENSI AD ANNOS DVOS
PISANA DEINDE AD ANNOS DVOS ET TRIGINTA
MAXIMA CVM INTEGRITATIS
VIGILANTIAE LIBERALITATIS
AC DOCTRINAE LAVDE
PROVIDENTISSIME ADMINISTRATA
SALVTARIB. CONSILIIS ET LEGIB. CONSTITVTA
ADIVMENTIS MVLTIS ET MAGNIS
TVM AD ORNAMENTA DIGNITATIS
TVM AD PRAESIDIA STABILITATIS INSTRVCTA
OBIIT DECIMO CAL. DECEMB.
ANNO DOM. STILO PISA. MDCCXXXIV.
AETATIS VERO LXXX.

Solvit extrema officia tanto Praesuli Stephanus Maria de Angelo Primatialis Ecclesiae Canonicus oratione, quae MS. servatur in tabulario Capituli.

Magnam gratiam iniit non solum ab omnibus Romanis Pontificibus, qui illius aetate universam Eccle-

siam

ſiam rexerunt, a Coſmo, & Ioanne Gaſtone Magnis Etruriae Ducibus, ſed etiam ab aliis Principibus. Etenim Heleonora Magdalena Tereſia religioſiſſimi, invictiſſimique Leopoldi Caeſaris uxor volens inſignibus Ordinis *Crucis Dominicae* ornare Lucretiam Hermenegildam Graſſuliniam Equiti Camillo de Campilia nuptam, caeremoniam illam Franciſco noſtro delegavit litteris datis Vindobonae anno 1707. die 3. menſis Maii, quae ſic inſcribuntur: *Reverendo, devoto, ſincere dilecto Franciſco Froſini Archiepiſcopo Piſarum Corſicae, & Sardiniae Primati, & in eiſdem Legato nato* (1): Ioannes Gulielmus Elector Palatinus ad Rhenum anno 1703. die 2. menſis Aprilis Franciſco ipſi, fratribus ſuis, cunctiſque nepotibus illuſtrem *Comitis* titulum tribuit. Magnopere etiam floruit fama, & exiſtimatione doctrinae apud viros litteratos; quos inter, praeter hactenus memoratos, nominare placet Laurentium Magalottum, qui epiſtolam ad eum dedit *de Euchariſtia*, ubi locum Algeri Leodienſis Monachi Cluniacenſis exponit; & Salvinum Salvinium in faſtis Conſularibus Academiae Florentinae Etruſcae linguae conſervatricis anno 1717. publicatis ita ſcribentem „ Monſignore „ Franceſco Froſini ornamento del mondo cattolico, „ non che di noſtra Accademia, al quale da tutti „ ſi deſidera lunghezza d'anni perche morte non s'in„ terponga al ſuo feliciſſimo corſo, col quale egli „ pieno di meriti ſen vola a quegli onori più ſu„ blimi, che gli ſaranno un dì giuſtamente diſpen„ ſati (2) „.

LXXV.

(1) Extant apud Abrahamium *T. cit. cap.* 23. *pag.* 313. Iiſdem titulis, Primatis nimirum, & Legati nati in Corſica, & Sardinia Franciſcum exornat Epiſcopus Nemauſienſis in ſuis ad eum litteris, quarum meminimus *pag.* 249.

(2) *Pag.* 324.

LXXV. FRANCISCUS VII. EX COMITIBUS GUIDIS.

Gentem Guidiam antiquitate, potentia, & gloria majorum praeclarissimam aperte ostendunt monumenta ab utroque Ammirato, Gamurrino, Caecina, aliisque publici juris facta. Ex hac Volaterris natus est Franciscus anno reparatae salutis *1694.* decimosexto calendas Majas patre Camillo, classi Etruscae Praefecto, qui pietate, prudentia, integritate, liberalitate, ac rebus in bello, & pace gestis avitum splendorem non sustinuit modo, sed etiam amplificavit: matre Julia Zaphyra patria Pisana de Comitibus Ceulis foemina, si qua fuit umquam, omnium virtutum genere excellenti. Egregiae dotes, quibus parentes ornabantur, ut filio instillarentur operam dederunt, quod facile consequuti sunt; fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque Christianis institutis, & iis, quae ad rectam vivendi rationem spectant erudiendum illum domi diligenter curarunt. Ad humaniores quoque litteras in patria incubuit una cum Joanne germano fratre natu minori, qui & Equestri Ordine claruit, & eloquentissimus Orator fuit.

Annum agens decimum octavum mense Novembri Franciscus Pisas venit legitimum tempus expleturus expeditionibus maritimis obeundis juxta leges Equestris Ordinis Stephaniani, cui ille septennis die 2. mensis Julii adscriptus fuerat, & a patre ejusdem insignia acceperat. Nondum stipendia confecerat cum rursus humanitatem, & politiores literas tractare coepit, tum se aliis facultatibus dedit, imprimisque Jurisprudentiae sub optimis praeceptoribus, Josepho Averanio, Migliorruccio, & Gualtierio, in qua tantos progressus fecit, ut inter omnes conveniret, lectissimos quosque

con-

condiscipulos suos illum aequare studii, & ingenii gloria, atque praestantia. Diligentissimam porro gravioribus hisce disciplinis navabat operam tum quod naturaliter insitus ei esset amor ad virtutem, tum quod, licet putaretur, gloriosi patris sui vestigia persequi velle, ipse tamen alio spectabat, scilicet meditabatur mutata veste sese in Ecclesiae sinum abdere, quod praestitit anno 1717.

In Academia Pisana publicum utriusque Juris examen subiit postero anno, ac probatus suffragiis omnibus, doctrinaeque insignibus ornatus a Joanne Paulo Gualtierio rediit Volaterras; indeque paucos post menses Romam profectus est. Quamvis viginti quatuor annis tunc natus in maximo naturae aestu versaretur, nihilo tamen minus tam ancipitis aetatis cursum ita moderatus est, ut gravitate, & prudentia non adolescentis, sed hominis maturi speciem praeseferret. Itaque, quod ea in aetate rarissimum est, non voluptates, sed litteras adamabat.

Florebant eo tempore in Urbe magna doctrinae existimatione, & gratia Antonius Xaverius Gentilis, & Pompeius Aldrovandius, alter Vicarius *Auditoris Camerae*, alter *Decanus Sacrae Rotae*, quorum uterque in amplissimum Ecclesiae Senatum relatus postea fuit. In horum disciplinam sese totum tradidit Franciscus, hos conveniebat, frequenti horum consuetudine utebatur; a quibus proinde multa, eaque peculiaria adiumenta habuit ad feliciter perficienda Juris Caesarei, & Pontificii studia, quae Pisis susceperat. Multum item in eadem doctrina profecit duce Pomponio de Vecchiis Jurisconsulto, & actore caussarum celeberrimo. Post adeptam Jurisprudentiam ad Theologiam venit, cui operam dedit praeceptore P. Pontio de Ordine Praedicatorum, qui ad Sanctae Mariae

super

super Minervam Doctoris Angelici libros exponebat. Hanc etiam facultatem non primoribus tantum labiis attigit, ut multi facere solent, qui laboris impatientes eam per summa capita, & compendia solum delibant, tantumque arripiunt quantum satis sit ad irridendum, quod non intelligunt; sed ex professo, & per sua principia persequutus est.

Sic instructus remeavit anno 1725. Volaterras, & quoniam Romae commorans Sacerdotis dignitate, & officio insignitus jam fuerat, tum in patria, tum Florentiae, quo saepe se conferebat (ibi enim gens Guidia jam inde a quampluribus annis domum habet, & ante etiam quam tota ipsa gens eo commigraret ex Francisci nostri majoribus aliquis, quippe in Magnorum Ducum aula occupatus, semper habitabat) ad procurandam animarum salutem omne studium convertit; hinc totus erat in iis audiendis, qui criminibus obnoxi a vitjis emergere aliquando, & se ad frugem bonam, ut dicitur, recipere avebant; totus in docendis rudibus ea, quae ignorare Religionis nostrae jura nullo pacto finunt: quam quidem agendi rationem, institutumque retinuit post annum item 1728., quo Canonicus majoris Ecclesiae Florentinae lectus est.

Interim accidit, ut Joannes Antonius Guadagnius in S. R. E. Cardinalium collegium cooptatus sese Episcopatu Aretino abdicaverit, cumque de successore eligendo ageretur, caeteris dignior, qui relictum a Guadagnio ipso summae dignitatis locum occuparet, habitus est Franciscus a Clemente XII. Summo Pontifice, & Joanne Gastone imprimis, cui illius pietas, doctrina, fides, ac singularis prudentia in componendo dissidio inter Archiepiscopum Florentinum, ejusque Canonicos paullo ante orto, notior, atque exploratior erat. Aretium profectus reperit Canonicos majoris Ecclesiae li-

tem habere cum Ecclesiae Sanctae Mariae Canonicis; ipse autem comitate, facilitateque sua controversiam statim sedavit. Perbrevi tempore tredecim nempe haud solidis mensibus Ecclesiam Aretinam gubernavit, nam anno 1734. decimoquinto calendas Martias translatus ad hanc est. Inde igitur Pisas venit ingenti omnium Civium laetitia, & expectatione, quam postea non explevit modo, sed etiam superavit. Omnino is unus efficere poterat, ut optimi decessoris Francisci Frosini desiderium in hac Urbe moderate ferretur: quippe & instituta illius omnia retinuit, & quaedam amplificavit. Quamobrem multa huius sunt praeclare facta, sed haec maxime illustria. Aedificanda aere suo curavit in Monasterio Sanctae Eufrasiae PP. Carmelitarum discalceatorum plura cubicula, in quibus Clerici ad majores Ordines provehi cupientes sese juxta sanctissima Ecclesiae decreta certis diebus abderent rerum Divinarum contemplationi, precationibus, aliisque religionis officiis impensius vacaturi: cumque eadem cubicula minus opportuna postea viderentur, dono dedit memoratis Patribus, & aliam domum, quam vulgo Exercitiorum nominant, à fundamentis excitavit extra Urbem ad orientem solem secus flumen Arnum ad dexteram, ubi vetus Ecclesia est, quae Sancti Jacobi *in Orticaria* dicitur.

A solo item erexit ad balnea Pisana Templum, ac domum, in qua Parochus habitare commode posset. Domum alteram huic similem una cum turri sacra confecit in pago, quem vulgi sermone *Santu Luce* vocant. Archiepiscopium expolivit, & Sacellum (1) Deo in honore-

(1) Haec inscriptio extat super illius Sacelli januam

D. O. M.
IN HONOREM SS. XPI MM.
EPHYSII ET POTITI
FRANCISCVS ARCHIEPISCOPVS PISARVM
AN. REP. SAL. MDCCXLIV.
OPVS EQVITVM IOSEPHI, ET FRANCISCI MELANI FRATRVM PIS. CIV.

norem Sanctorum Ephysii, & Potiti Martyrum dicatum ibidem construxit, ac magnifice, splendideque picturis, nec non marmoribus exornavit. Sacra supellectili auro contexta, quae Pontifici Pisano Divina officia solemniter celebranti usui sit, principem Ecclesiam suam ditavit. Baptisterium marmoreum instar celebris Baptisterii Pisani fabricatum largitus est majori Ecclesiae Volaterranae, ut amorem, & benevolentiam suam in patriam ostenderet.

Verum non his egregiorum factorum terminis virtus Francisci circumscripta est, aut definita. Nam liberalissimus & semper fuit, & hodie est erga pauperes, in quibus sublevandis magnam pecuniae summam quotannis insumit. Multa etiam scutatorum millia impendit in eos, qui a parentibus suis relicti sunt, quod Evangelicae doctrinae veritate detecta, haereticorum Protestantium, & Hebraeorum errores abiecerint. Eos enim liberaliter, ac benigne tractat quoad Christianis praeceptionibus eruditi Baptismatis fonte renascantur; deinde dat operam, ut necessaria sibi in reliquam vitam adiumenta parent; maxime si foeminae sint, quae opem illo ferente vel perpetuae religioni, & castitati sponte se consecrant in claustris, vel idoneis viris in matrimonium collocantur, dote ab ipso persoluta. Quo pietatis officio multi ex iisdem sectis permoti, magno Catholicorum gaudio, sese ad Christum in Urbe praesertim Liburni saepius adiungunt. Neque ex solis reditibus Ecclesiasticis hos pios sumptus facit, sed ex proventibus etiam paternis, atque stipendio sibi ab Equestri Ordine Stephaniano dato.

Caeteris, quae sui muneris sunt ita accurate fungitur, ut in cunctis optimum Praesulem, ac Parentem agnoscas. Ecclesiae suae rationibus totus addictus nullam occasionem praetermittit exhortandi non solum ver-

bis, sed pastoralibus etiam litteris summi studii, ac doctrinae plenis, vel ipso Benedicto XIV. judice, gregis sibi commissi ad pietatis, & religionis officia. Ipse vero omnibus praeit intaminata quadam vitae innocentia, ingentique instructu virtutum omnium, quae in hunc statum cadere possunt. Tribus ab hinc lustris incredibili solertia, ac industria egit, ut Graeci Liburni habitantes, qui inter sese commixti unum quoddam corpus conficiebant maximo cum religionis nostrae damno, quippe illorum quidam Romano Pontifici obtemperant, alii pertinax Orientalium schisma sequuntur, segregarentur, & Catholici tantum in publico, ornatoque Templo ad Graecorum nationem spectante Sacra Mysteria peragere possent: quod valde probarunt Franciscus Caesar Magnus Etruriae Dux, & Benedictus antea memoratus, qui praeterea multis ad Archiepiscopum nostrum scriptis epistolis vehementer commendat illius curam, & diligentiam, eique de utilitate Ecclesiae Catholicae allata gratias agit. *Clericorum* Seminarium, quod traditae sibi provinciae partem certe non ultimam esse merito existimat, ut reditibus augeretur dedit operam, in eo multa egregie constituit, ac optimos praeceptores docere juvenes jubet. Humanissime omnes admittit, audit gravissima negotia, inquirit, decernit magna semper prudentia, sine qua ipsum quoque religionis, ac disciplinae studium interdum vanum, interdum etiam exitiale est; hinc sine ullius offensione, & sine turbis Dioecesim suam administrat, semperque administravit.

Ab omni fastu, & moribus imperiosis vehementer abhorret. Vestigium in eo contumaciae cernitur nullum. Et quod difficillimum est, lenitatem ita cum gravitate miscet, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas quidquam de comitate detrahat. Victu,

ac

ac vestitu frugalis est, sed sine ullo aut Pontificiae dignitatis, aut eorum, qui ad ipsum divertunt detrimento, nam & illam magnificentissime sustinet, & hos splendidissime excipit.

Amore erga liberales artes litteratos homines patrocinio fovet, & colit, nec umquam sibi ipsi deest, ubi agitur de iis adiuvandis, qui de litteraria republica bene mereri cupiunt. Celeberrimum Muratorium, ut alios praeteream, testem locupletissimum hanc in rem adhibebo, qui caussam exponens, cur tot tabulas ex archivo Pisano publicare valuerit, quas Franciscum nostrum diligentiam aemulatum proximi decessoris sui Francisci Frosini ex autographis transcriptas ordinandas, & in duodecim volumina colligendas curasse alibi (1) dixi, haec habet: *quod eiusmodi regesto uti mihi quoque licuerit, tribuendum est eximiae humanitati Illustrissimi, ac Reverendissimi eius in Archiepiscopatu Pisano successoris, Francisci videlicet ex antiquissima, & generosa Comitum Guidorum stirpe progeniti. Ut enim ille est bonarum litterarum amantissimus, atque erga earum cultores probe animatus, vix a me rogatus, quod exoptabam liberalissime concessit* (2).

Sic se gerendo Franciscus minime est mirandum, si apud Regium Principem Magnum Etruriae Ducem, eiusque in imperio Administros existimationem, ac benevolentiam sibi conciliavit, conciliatque quotidie: si Canonicos, reliquum Clerum, optimates, universumque Pisanum populum habet magna sibi observantia, & charitate coniunctum: si tandem apud omnes, quibus notus est, auctoritate, & gratia valet. Utinam longa, prosperaque vita fruatur, & quando in humanis nihil est aeternum, ita tamen diuturna sit, ut nostra omnium desideria expleat.

(1) *Praefatione ad* 1. *volumen huius Historiae pag.* 13.
(2) *Praefat. in excerpta e chartis archivi Pisani Archiepiscopii T. III. Antiquit. Ital. medii aevi pag.* 1001.

APPENDIX
MONUMENTORUM.

APPENDIX MONUMENTORUM.

I.

Acta Concilii Provincialis a Friderico Archiepiscopo Pisano una cum nonnullis Antistitibus Suffraganeis suis celebrati.

Ex Protocollo n. 4. litt. D. in Tabulario secreto Archiepiscopii.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Istae sunt Constitutiones constitutae a venerabile patre domino Friderico Dei gratia Pisano Archiepiscopo publicatae in Synodo, & Concilio generali primo anno suae Consecrationis, quas praefatus dominus Archiepiscopus sub poena excommunicationis constricte observari mandavit. Anno communi 1258.

Imprimis siquidem nos praefatus Archiepiscopus praecipimus, ut Officia diurna, & nocturna, scilicet septem horas tam Sacerdotes, quam ceteri in Sacris Ordinibus constituti debito modo faciatis, nisi forsitan justo, & legittimo impedimento quicumque excusari possitis, quia qui facere potest, & non facit peccat mortaliter.

Item constituimus, & ordinamus praesente Sancta Synodo approbante, ut Officium Dominae nostrae Beatae Mariae omni die Sabbati fiat tam in Ecclesia nostra majori, quam in omnibus aliis solemniter cum novem lectioni-

bus, & si fuerit Festum, & non principale fiat commemoratio de Festo cum Antiphona, & Oratione; si vero fuerit Festum principale fiat de Domina nostra cum Antiphona, & Oratione.

Item cum membra a capite non debeant discordare, praecipimus, ut omnes Ecclesiae seculares debeant Officium facere secundum ordinem Ecclesiae nostrae majoris S. Mariae.

Item quod Canonici Regulares Ordinis S. Augustini Civitatis Pisanae simile Officium inter se faciant.

Item ut Clericus infulam, vel tabarum, sive guascappum aliquo modo in Ecclesia non deferat, nec in Claustro, vel alibi quod infulae pendallia appareant.

Item ut Plebani, Priores, & alii Praelati in habitu honesto incedant, scilicet cum cappa, vel mantello extenso sine pellibus.

Item in Sacris Ordinibus constituti desuper clausa deferant indumenta non nimia longitudine, vel brevitate, & tonsuram portent, sive coronam congruam, & decentem.

Item ut Rectores Ecclesias sibi commissas vegtibus, arcis, & aliis supellectilibus domus non teneant occupatas.

Item ut Clerici non ludant ad aleas, vel taxillos, neque hujusmodi ludis intersint.

Item quod vasa ministerii, & pallas, ac vestimenta Sacerdotalia, & ornamenta Altaris munda teneant.

Item quod Canonici Regulares non incedant, vel comedant, sive in Ecclesia morentur sine bombicino albo, cotta, vel camiscia alba, & quod nullus exeat de claustro sine licentia sui Praelati.

Item quod nullus Clericus sedeat in Ecclesia cum Corpus Christi elevatur, nec postea usquequo cum dicitur per omnia secula seculorum amen.

Item praecipimus, & monemus, ut quilibet Praelatus, sive Rector ecclesiae habentis curam animarum ad illum Ordinem se faciat successivis quatuor temporibus continue

pro-

promoveri, quem ipsius Cura requirit, alioquin quemlibet negligentem excommunicationis vinculo innodamus.

Item praecipimus ut Eucharistia, & Crisma sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua orribilia exercenda, scilicet ut Corpus Christi nulli personae tradatur pro aliquo maleficio, vel facinore committendo (1). *Si verò bis ad quem spectat custodia incante reliquerit tribus mensibus suspendatur.*

Item ut quilibet Sacerdos, vel alius, qui Curam habeat animarum, moneat Parochianos suos, ut quilibet ipsorum semel in anno poenitentiam recipiat, & confiteatur proprio Sacerdoti, & semel communicet Corpus, & Sanguinem Christi, alioquin Ecclesiastica sepultura ei denegetur in morte.

Item praecipimus, ut quilibet Sacerdos moneat, & praecipiat sub poena excommunicationis omnibus de populo suo masculis, & feminis, quos decet Ecclesiam visitare, ut semel in septimana, scilicet die Dominico debeant venire ad Ecclesiam suam, & Missam audire, nisi sint impedimento legittimo impediti.

Item quod nullus Sacerdos Secularis, vel Religiosus alterius Parochianum ad poenitentiam, vel Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta recipiat sine ipsius licentia, vel Superioris.

Item sub poena excommunicationis praecipimus, ut nullus Plebanus, vel Praelatus, patronus, vel populus alicujus Ecclesiae Clericum alterius Episcopatus in aliqua Ecclesia nostrae jurisdictionis sine conscientia, vel assensu nostro eligat, instituat, vel ordinandum representet, & si contrarium fecerit ex nunc eos excommunicamus in scriptis, & electiones cassamus, & ipsos ea vice eligendi potestate privamus.

A 2 *Item*

(1) Haec verba posita sunt in margine Codicis, sed eodem prorsus caractere.

Item praecipimus sub poena excommunicationis, ut nullus Sacerdos, vel Clericus mulierem in domo sua retineat, unde. mala suspitio habeatur, vel recipiat in conversam, ut secum habitet in eadem domo, & si habet penitus a domo sua removeat infra octo dies, & sub poena solvendorum C. denariorum, quam poenam incurrat quotiescunque eam receperit.

Item nullus Praelatus, vel Rector alicujus Ecclesiae praesumat possessiones, libros, vel thesauros Ecclesiae suae vendere, alienare, vel pignori obligare, seu aliquibus personis ad pignorandum comodare sine nostra licentia speciali, vel successorum nostrorum sub poena excommunicationis jam latae praecipimus.

Item quod nullus Clericus cultellum ad feriendum, sive alia arma deferat.

Item ut nulli Clerici coniurationem, vel conspirationem, vel conligationem facere praesumant, & si qui fecerint, sciant se excommunicationis sententiae, quam in scriptis ferimus, subiacere.

Item praecipimus, ut Sacerdos indutus Cotta, & cum Stola quando vadit comunicare infirmos, deferat Corpus Christi ambabus manibus ante pectus, & serviens praecedat eum cum lanterna elevata manu cum lumine, & campanella.

Item ut nullus Sacerdos debeat in die nisi unam Missam tantum celebrare, nisi esset in necessitate funeris alicujus, prout est a jure concessum, vel in die Nativitatis Domini.

Item ut rogent Dominum assidue pro pace propter iminens periculum animarum, & Parochianos suos moneant ad idem.

Item si pax reformata est inter aliquos nulli praesumant maleficium improperare, cujus occasione facta fuerit; nec etiam improperare aliquam offensionem, vel injuriam alicui factam, vel illatam; & si quis contra fecerit se

nove-

noverit excommunicationis sententiae subiacere, quam in scriptis ferimus.

Item quando aliqui Clerici ordinandi sunt ad titulum alicuius Ecclesiae, Monasterii, Canonicae, vel Plebis ad aliquem praedictorum pertinentis, Abbas, Prior, vel Plebanus, nisi sit legitimè impeditus, ipse eos in quarta feria reprebesentet.

Item suademus, ut si aliquis litteras Apostolicas contra Laicum impetrare voluerit ad aliquem Clericum Pisani Archiepiscopatus, & non ad Clericum alterius Episcopatus obtineat propter scandalum Laicorum tollendum.

Item quilibet Plebanus cum Clericis, & Cappellanis suis uno excepto Sacerdote, qui remaneat pro necessitatibus populi veniat in die consecrationis Beatae Mariae cum Crucibus, & vexillis, & etiam in die consecrationis Beati Petri ad gradus, & faciat scribi nomina sua antequam recedat sub poena cuilibet XX. soldorum.

Item praecipimus sub poena excommunicationis, ut nullus Medicus Clericus sicut Laicus ad aliquem infirmum curandum ultra duas vices vadat, nisi poenitentiam infirmus prius acceperit de commissis.

Item sub poena excommunicationis precipimus quod Clerici, & precipue Sacerdotes artis Medicinae ignari non discurrant medicando infirmos, & abstineant maxime in dando medicinas acutas.

Item ut quilibet Sacerdos cum audiverit mortem domini Papae infra octo dies pro ejus anima Missam debeat celebrare.

Item praecipimus, ut nullus Sacerdos vel curam habens animarum equitet per Civitatem sine cappa clausa, vel mantello extenso, & non cum tabarro, vel guascappo.

Item cum tam a jure, quam a praedecessoribus nostris praeceptum fuerit maxime habentibus Sacros Ordines de deferendo Tonsuram congruam, & Coronam, & quia quae sit congrua a pluribus dubitatur, nos hanc dubitationem deter-

determinantes, ordinamus, ut Tonsura, sive capilli ultra extremitatem inferiorem aurium non descendant; & quantitas Coronae fiat, secundum illas quantitates ad minus, quas a nobis habet noster Camerarius determinatas: excommunicantes in scriptis quoscumque infra octo dies secundum quantitates praedictas se coronare non fecerint, & tondere, & precipimus, ut vos praesentes absentibus quam cytius poteritis nuntiare curetis.

Item praecipimus, ut moneantur sub poena excommunicationis in Ecclesiis omnes Notarii habentes instrumenta, quibus aliqua Ecclesiis, & piis locis pro salute animarum relinquuntur, ut infra octo dies post decessum relinquentium revelare Ecclesiis, & locis, quibus relinquuntur salvo eorum salario, teneantur.

Item, ut jura, & honores, & laudabiles consuetudines, & privilegia Pisanae Ecclesiae, & nostri Capituli conserventur, volumus, & mandamus, & sub poena excommunicationis praecipimus, ut nullus Clericus, vel Religiosus Pisanae Civitatis inungat aliquem infirmum sine speciali licentia suprascripti Capituli.

Item Olivas in Dominica Palmarum in Civitate Pisana nullus benedicere praesumat praeter Monasteria, & in his praeter quam ad Monacos, & familiares suos.

Item nullus audeat in Civitate, vel in Plebatu baptizare nisi in mortis articulo.

Item in Sabato Sancto nullus Missam cantare, Campanam sonare praesumat donec apud majorem pulsetur Ecclesiam.

Item populares Processiones non fiant in aliqua Ecclesia sine speciali licentia, praeterquam in Festivitatibus suis, & in Dominica Olivarum, & in Purificatione Beatae Mariae.

Item nullus sepeliat eos, qui spectant ad sepulturam majoris Ecclesiae.

Item aliorum, qui apud alias Ecclesias sepeliuntur judicio-

diciorum suorum quartam partem, quae ad majorem Ecclesiam, vel aliquam aliam Ecclesiam pertinent, non usurpent.

Item quod nulli in exequiis mortuorum, in quibus intersunt Canonici Missas celebrare praesumant sine ipsorum Canonicorum consensu.

Item volumus, & mandamus, & sub poena excommunicationis praecipimus, ut omnes Sacerdotes ordinati ab Episcopo Aleriensi de licentia nostra a tempore nostrae promotionis citra, vel a nobis, infra octo dies juramentum fidelitatis nobis praestare debeant consuetum.

Item praecipimus, ut nullus Clericus efficiatur compater alicujus sine licentia nostra.

Lectae, & publicatae sunt praedictae Constitutiones in publica Synodo in majori Ecclesia congregata per me Rodulphinum Notarium de mandato praedicti domini Archiepiscopi in praesentia dominorum . . . . . Massani (1) *Episcopi, & Lombardi* (2) *Aleriensis Episcopi Suffraganeorum*

(1) Rogerii de Ugurgeris Senensis, qui in Episcopum Massanum electus est post annum 1254., decessitque anno 1268. ex Ughellio *T. III. n.* 19. *col.* 716.

(2) Narrat Ughellius *T. cit. col.* 502. *n.* 3. ex litteris Innocentii IV., quas exhibet, Episcopum Aleriensem in Corsica industria, studioque suo effecisse anno 1252., ut multi ex Etruria homines peterent ad incolendum Aleriae oppidum ob excursiones Piratarum habitatoribus vacuum, utque id facilius sibi cederet, obtinuisse a Summo Pontifice pro novis incolis spirituales Indulgentias. Episcopum illum, cujus nomen ignoravit Ughellius, opinantur quidam teste Salvinio *in adnotationibus ad eundem Ughellium*, fuisse Orlandum Cortiucum. Ego tamen arbitror extitisse Lombardum hunc, qui videns recentes colonos potis haud esse ad memoratum oppidum a praedonibus maritimis tuendum, Pisas ubi procul dubio natus erat, aufugit, & ab anno 1254. quo Fridericus factus Archiepiscopus, sed non nisi post triennium consecratus est, hujus vices in Sacris Ordinibus conferendis gessit. Multos annos mansisse Pisis apud Archiepiscopum ostendunt tum monumenta in hac Historia laudata, tum instrumentum, quod est *Protocollo litt. B. num.* 2., ac dicitur *actum Calci in Palatio suprascripti domini* (Archiepiscopi) *praesente domino Lombardo Episcopo Aleriensi, & Presbytero Ingherramo Cappellano suprascripti domini Archiepiscopi testibus MCCLXV. Indict. VII. ipso die calendis Maji.*

rum suorum, & domini Leonardi Pisani Archipresbyteri, & domini Alberti Massani Archipresbyteri, & Magistri Bonifatii Camerarii, & Presbyteri Bernardi de Vico, & Baronis, ac Petruccii Clericorum dicti Archiepiscopi, & praesentibus omnibus Canonicis, Abbatibus, Prioribus, Plebanis, Fratribus Praedicatoribus, & Minoribus, & Cappellanibus Pisanae Civitatis, & Dioecesis MCCLVIII. Indict. I. XV. calendas Martii.

Post duo folia hoc habetur additamentum ad idem Concilium.

Cum dominus Fridericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus nuper fecisset suas Constitutiones, quas fecit in Synodo publicari, idem dominus confidens de prudentia, & discretione Archipresbyteri, & Capituli sui, quod bene se gerunt, & gerent, & omnia facient, quae ad eorum honorem, & gloriam pertinebunt, dixit, voluit, statuit, & mandavit &c., ac praedictas suas Constitutiones erga eos taliter mitigavit, & cum eis voluit dispensare, quod occasione illarum suarum Constitutionum, vel alicujus earum aliquam excommunicationis sententiam non incurrant. Actum Pisis in domo Ecclesiae Sancti Petri ad Vincula praesente presbytero Bernardo de Vico, & Petruccio Clerico domini Archiepiscopi, & Pace Sacristano dicti Capituli testibus ad haec vocatis specialiter MCCLVIII. Indict. I. XI. calend. Martii.

II.

Jubet, ut per totam Etruriam mentem suam publicam faciat circa Praesules inferioris ordinis ad Concilium Lugdunense II. mittendos.

T. XI. apographorum n. 2326. in eodem Archivo.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri..... Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet generaliter Abbates, Priores, Decanos, Praepositos, Archidiaconos, & alios Ecclesiarum Praelatos per litteras Apostolicas, quas pro convocatione Concilii destinavimus, duxerimus evocandos, generalitatem tamen vocationis hujusmodi provisione........ moderantes, ne vel impares sumptibus vel alias inabiles contra nostrae intentionis propositum onerentur, volumus, & tenore praesentium providemus, ut de singulis Dioecesibus singuli Abbates non exempti ab aliis Coabbatibus eorum, & Prioribus ejusdem Dioecesis similiter non exemptis Procuratores legitime ordinentur ad recipiendum Apostolicum mandatum cum ordinatione ipsius Concilii super hiis, quae in eodem Concilio sunt agenda, plenum, & legitimum mandatum ab ipsis habentes, & pro se, ac aliis cum mandato hujusmodi ad idem Concilium accessuri, haec eadem in Praepositis, & aliis Ecclesiarum non Cathedralium Praelatis, qui praesunt Collegiis observando. Ita enim, quod Praepositi, & Praelati hujusmodi a suis Collegiis Procuratores similiter ordinentur, pro singulis vero Capitulis Cathedralium Ecclesiarum Decano, & majori Archidiacono cujusli- Anno 1273.

 bet

ter Cathedralis Ecclesiae ab ipsis Capitulis ad idem Concilium cum mandato simili destinandis, & aliis personis majoribus ejusdem Capituli, si dictos Decanum, & Archidiaconum, vel eorum alterum impediti contigerit subrogandis in locum ipsorum. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus provisionem hujusmodi auctoritate nostra per Tusciam denunties, & mandes etiam observari. Datum Lugduni decimo calendas Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

III.

Fridericus Archiepiscopus concedit Monialibus Sancti Paulli de Pugnano Ecclesiam Sanctae Annae, sitam in loco dicto Renario, *consentientibus Canonicis, & Patronis ejusdem Ecclesiae.*

Ex Archivo Monasterii Pisani Sanctae Annae num. 106.

Anno communi 1275. *IN Dei nomine Amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quod venerabilis pater dominus Fredericus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus cum praesentia, consilio, & voluntate Capituli sui, videlicet Magistri Petri Archipresbyteri, & dominorum Galli, Orlandini, & Jacobi Canonicorum dicentium se habere bailiam, & potestatem ab ipso Capitulo, ad humilem petitionem nobilis viri Joannis Marignani, & Leopoldi, & Philippi de Cantone quondam Ruberti de Cantone Patronorum Ecclesiae, & Monasterii Sanctae Annae de Renario Pisanae Dioecesis,*

sis, & ad humilem supplicationem dominae Agnetis Abbatissae Monialium Sancti Pauli de Pugnano (1) *Pisanae Dioecesis, quae frequentius, ut ipsae asserunt, metu guerrarum, quae saepius oriuntur inter Comune Pisanum, &*

B 2 *Luca-*

(1) In Libro in Archivo Monasterii S. Annae servato, cui titulus : *Campione litt. A. fol.* 1. legitur, Monasterium S. Pauli aedificatum fuisse a nobilibus viris, qui dominabantur in oppido *Ripafracta*, quod non longe ab eodem Monasterio positum est Pisas inter, & Lucam. Ex litteris Hadriani IV., & Clementis III. patet laudatos viros eidem Monasterio decumas solvisse, & in illius Ecclesia sepulturam habuisse (*in Archivo cit. num.* 7. 21.). Quando aedificatum fuerit non constat; exploratum tamen est, id accidisse ante annum 1086.; nam hoc anno mense Martio Lambertus filius b. m. Speciosi, Lambertus, & Henricus fratres filii b. m. Henrici, Hubaldus, & Vido fratres filii b. m. Sisemundi, & Guillia mulier dicti Hubaldi, filia b. m. Rodulphi, Adalesia mulier Sisemundi, & filia Rodulphi multa bona donarunt *Ecclesiae, & Monasterio Beati Sancti Pauli, & Sancti Stefani, quae est posito, & edificato in loco, & finibus Pugnano*. (Tabulae *in Archivo cit. num.* 89. 133.) Anno 1263. Monasterium hoc a Pisanis, & Lucensibus bellum inter sese gerentibus penitus combustum fuit, & ita egestate laborabat, ut Moniales deserere illud cogerentur, nisi iis succurrisset Pisanorum pietas, quos ad id faciendum hortatus est Fridericus litteris (*Archivo cit. num. 6.*) quas hic subiicimus : „ Fridericus „ Divina, & Apostolica gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus „ totius Sardiniae Primas, & Apostolicae Sedis Legatus universis Christifidelibus per Civitatem, & ditionem Pisanam constitutis salutem in „ Domino sempiternam. Si inter tempus seminandi discernimus, & metendi, juxta sententiam Salomonis, seminare debemus in terris quod cum „ multiplicato fructu recolligere debeamus in Coelis, facientes nobis de „ mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus in aeterna tabernacula „ nos admittant; sic enim thesaurizamus nobis thesauros in coelo ubi fures non effodiunt, nec furantur; sic terrena in coelestia, & transitoria in aeterna felici commercio commutamus. Hinc est, quod cum Monasterium Sancti Pauli de Pugnano propter guerram, quae inter Pisanam, & Lucanam Civitatem vertit, nuper totaliter combustum existat, & sic suis reditibus destitutum, quod Abbatissa, & Moniales ejusdem Monasterii ibidem morari non possunt, nec de bonis ipsius Monasterii valeant in vitae necessariis sustentari, universitatem vestram „ rogamus, monemus, & hortamur in domino Jesu Christo in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus provide attendentes „ quam utile sit, & quam salubre pro rebus transitoriis, & caducis, ac „ bonis mundanis, quae fluunt, & defluunt, & subsistere nequeunt, una sorte Christi gratiam, & coronam gloriae promereri, assequi vitae „ gaudium sempiternae, ac indeficientes delitias, & divitias adipisci, „ quo dictis Abbatissae, & Monialibus, vel earum nuntiis cum ad vos

„ ven-

Lucanum de solo proprio ipsius Monasterii expelluntur, & eas inde oportet abesse, nec habent, ut asserunt, locum tutum, idoneum, vel securum in Civitate Pisana, vel prope, ad quem possint recurrere, sive refugere tempore opportuno; cum domini Archiepiscopi interest ratione officii pastoralis providere tam locis quam personis sibi subiectis, volens dictas dominas habere locum tutum, & idoneum tempore opportuno, & quandocumque videretur eisdem ad locum ipsum refugere vel morari, consentientibus, & volentibus dictis Patronis, idem dominus Archiepiscopus locum unum, & Ecclesiam ipsam Sanctae Annae, unde ipsi sunt Patroni cum Monasterio Sancti Pauli praedicto de Pugnano, ita quod utriusque Monasterii scilicet Sanctae Annae (2), *& San-*

„ venerint charitatis suffragia petituri de bonis a Deo vobis collatis „ pias eleemosinas, & grata charitatis subsidia erogetis .... subventio„ nem vestram ipsarum inopiae consulatur, & dictum Monasterium re„ paretur, & vos per haec, & alia bona, quae Domino ... . . inspiran„ te ad aeterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos vero de Om„ nipotentis Dei misericordia, ... Genitricis Virginis Mariae Domi„ nae nostrae confisi, atque illa, quae nobis licet immeritis divinitus „ est collata ..... poenitentibus ..... praefatis Abbatissae, & Moniali„ bus, vel earum nuntiis ad substentationem ipsarum, & ad reaedifica„ tionem dicti Monasterii manum porrexerit adiutricem quadraginta dies „ criminalium, & tertiam partem venialium misericorditer relaxamus, „ & in retributione salutis aeternae pollicemur augmentum. Insuper „ venerabiles PP. dominus Hugo Callaritanus Archiepiscopus, Frater „ Gottifredus Agrigentinus, Gregorius Sulciensis, & Lombardus Suffra„ ganeus noster Aleriensis Episcopi quilibet ipsorum similem quadragin„ ta dierum Indulgentiam de nostra licentia concessit eisdem. In qua„ rum Indulgentiarum testimonium præfatas litteras nostrorum prædi„ ctorum Archiepiscopi, & Episcoporum sigillorum munimine fecimus „ communiri. Datum Pisis quarto nonas Augusti Dominicæ Incarnatio„ nis anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto consecrationis no„ stræ anno sexto. „ Servatur etiam Sancti Paulli Ecclesia, & Monasterium, quod nunc est rusticorum domicilium.

(2) Monasterium S. Annae de Renario erat olim in Parochia S. Justi in Canniccio in suburbiis Pisanis ad meridiem. Ex *Campione cit. fol.* 2. De hoc fit mentio ad annum 1396. in Instrumento Tabularii Archiepiscopii *Protocollo num.* 19. *litt. X. fol.* 65. ubi legitur, quod Joannes Camerarius Archiepiscopi Pisani concedit in emphytheusim Bartholomaeo Rectori Ecclesiae S. Simonis *portae maris petium terrae positum in com-*

& Sancti Pauli sit unum corpus, salvo jure Patronatus in dicta Ecclesia, & Monasterio Sanctae Annae, & Patronorum Monasterii de Pugnano in ipso Monasterio de Pugnano quantum ad Monasterium de Pugnano, sed utriusque Patronorum salva, & integra remaneant jura in suo Monasterio, & Eccle-

contrata S. Annae in loco dicto Renajo, quod totum petium terra tenet unum caput in terra pontis veteris, aliud caput in terra, quae olim fuit Simonis Batcionis, & consortum, nunc dicti Monasterii S. Annae, aliud latus in terra Archiepiscopatus, & aliud latus in terra Monasterii Sancti Viti. Locus circa idem Monasterium postea vocari cœpit S. Anna vetus. Confer librum inscriptum: *Livelli del 1405. in Tabulario cit.* In hoc Asceterio fuerunt Moniales ad annum usque 1328., quo cum tertio nonas Julii Benedicta Upezzinghia Abbatissa emisset a P. Joanne *Priore*, aliisque Patribus Carmelitis, qui alienandi licentiam obtinuerant a P. Andrea Priore Provinciali Etruriae, pretio *librarum trium millium denariorum Pisanorum* possessionem quandam *cum Ecclesia, domibus, dormitoriis, claustris, puteo, & pergulis, & cum terra hortali extra dicta claustra cum fructibus, vitibus, & aliis arboribus, & cum vinea super se, & cum omni alia sua pertinentia, & jure, qui locus dicitur Ecclesia, & locus Ecclesiae Sanctae Mariae de Carmino positus extra, & prope portam Legatiae Civitatis Pisanae, videlicet in Barbarecina, & tenet unum caput in Arno via publica mediante, aliud caput cum uno latere in terra dominae Villanae filiae quondam domini Jacobi Archetani, aliud latus in terra, & domo mansionis, & Ecclesiae Sanctae Sophiae de Templo;* relicto Monasterio *de Renario*, quod Patribus Carmelitis cesserunt, quibus ob emptionem superius memoratam 800. libras debebant (*charta in Archivio Monasterii S. Annae numero 134.*), laudatas domos incolere cœperunt, ut constat ex charta citata, & ex libro inscripto *Extraordinaria litt. R. num.* 17. in Tabulario Archiepiscopii, ubi ad annum 1330. haec habentur: *ex parte dominae.... Abbatissae Conventus dominarum Monialium Monasterii Sancti Pauli de Pugnano de Valle Sercli Pisanae Dioecesis, & Monasterii S. Annae de extra, & prope portam Legatiam Pisanae Civitatis &c.* De iisdem Monasteriis mentio fit ad annum etiam 1374. *in extraordinariis num. 3. fol.* 75. Anno 1390. die Sabato 12. mensis Octobris, Nerea de Maleppis de Lanfranchiis Abbatissa, venerunt Pisas, ubi, anno 1374. a Guidone de Caprona quibusdam domibus emptis (*extraordinaria cit. fol.* 135.), breve Monasterium aedificarunt. *Campione cit. fol.* 2. Eodem tempore tamen Monasterium etiam extra portam situm habitabant, quod penitus deseruerunt post annum tantummodo 1406., utpote quia in obsidione, & occupatione Pisarum destructum fuit, quemadmodum colligitur ex his tabulis (*Archivo citato numero 18.*) Juliani Archiepiscopi, qui anno 1426. die 2. Junii recentem Ecclesiam Monasterii intra Urbem constructi Sacram fecit „ Julianus Dei, & Apostolicae Sedis gratia Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Sardiniae, & Corsicae Primas, & dictae Sedis in eis Legatus

clesia. Voluit tamen dictus dominus Archiepiscopus, quod dicti domini Patroni Ecclesiae Sanctae Annae pro ipsa Ecclesia S. Annae semper manuteneantur, & conserventur in honore debito ab Abbatissa & Conventu Monasterii Sancti Pauli, ut semper locus ille Sanctae Annae conservetur, & custodiatur a dominabus Sancti Pauli, in quo ad minus sex numero

„ gatus. Intellecta petitione coram nobis exhibita pro parte Religiosarum, & devotarum dominarum Abbatissae, & Monialium Monasterii Sanctorum Pauli de Pugnano, & Annae de Pisis Ordinis Sancti Benedicti sub cura, & gubernatione Archiepiscopatus Pisani consistentium in effectu continente, quod cum dictum eorum Monasterium fuerit jamdiu ad Dei laudem, & servitium extra muros Pisanae Civitatis in Capella Sancti Concordii constructum, & aedificatum, pluries, imo saepe saepius a non multo tempore citra intolerabiles perturbationes, & maxime incursiones hostium perpessae fuerunt, adeo quia contemplatione earum turbata & quiete justo aliquando terrore compulsae fuerunt praefati Monasterii clausuram deserere, & ad earum tuitionem contra Religionis honestatem Pisanam ingredi Civitatem, ibi quomodo melius poterant in privatis domibus commorantes, quodque propter casus, & pericula, quae Civitati de proximo obvenerunt, & Monasterium ipsum sic constructum, & ad Dei laudem erectum ipsas Moniales oportuit deserere; imo quod dolendum, & miserabiliter flendum est fuit destructum per Commune Pisanum, & usque fundius explanatum propter contingentia pericula, quae suberant Civitati, & hoc etiam ideo evenit, quia ibi prope in oppositum est mirum fortilitium diuturnitatis metus custos, quod *Cittadella* nuncupatur; propter quod dictam Abbatissam, & Moniales hujusmodi terroribus pavefactas necessario oportuit intra praefatae Civitatis muros, ac fortilitium se transferre, ut per hoc a praedictis perturbationibus, & molestiis liberatae Altissimo, cui se voverunt, secure inde suum exhiberent famulatum. Futuros itaque casus similes merito formidantes, volentes similibus periculis in quantum eis fuit obviare, proposuerunt de superioris eorum consilio, & assensu, maxime Reverendissimi in Christo patris, & domini, domini Alamanni Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae tunc Archiepiscopi Monasterium illud dispersum ita confractum intra praefatae Urbis muros, fortilitiumque transferre, ut exinde animarum pericula, & rerum damna eis ulterius in similibus casibus non contingant, sicut possent verisimiliter evenire, imo manifeste concernebant absque dubio secutura. Locum idoneum pro usu, & habitatione Abbatissae, & Monialium in Capella Sancti Simonis ad Parlascium cum domibus, & horto, & omni suo spatio ibidem circa eundem consistentibus deliberaverunt emere, & emerunt, illud habitaverunt, & habitant, ac tenent, & possi-

„ dent

mero commorentur computata Abbatissa in numero illarum sex, quamdiu Abbatissa ibidem morabitur, & teneatur morari sex, vel quatuor mensibus in anno, non continue, sed sicut sibi Abbatissae visum fuerit, quod possit commodius morari ibidem; & quando ipsa non esset ibi, sit semper ibi aliqua sub nomine Priorissae, quae stet, & maneat loco sui cum sex sororibus, ut dictum est, ad minus quam Priorissam cum elegerit teneatur denuntiare dicto domino Archiepisco-

,, dent de praesenti. Quem locum licet olim per tempora habitaretur
,, a laicis, modo in forma Ecclesiae construxerunt, sive ejus partem,
,, & in eodem Divinis obsequiis inhaerentes ad Dei servitium manere
,, inclusae vacando continue divinis obsequiis, & sedulis orationibus
,, insistendo, & fundendo Altissimo divotas preces. Et sicut pro parte
,, dictarum Abbatissae, & Monialium petitio subjungebat ejusmodi Ec-
,, clesiam in Divinum cultum erectam desiderant consecrari ad Omni-
,, potentis Dei laudem, & ut omnis prophanitas cesset, ac si qua pro-
,, phani habitus inesset aboleatur in totum ad perpetuandam in ea
,, Sanctam Religionem, ne alicujus malignitatis occasio, aut forte in
,, Religione desides, aut robur, quod absit, sanctae conversationis in-
,, fringat. Nos quidem Julianus Archiepiscopus Pisarum attendentes,
,, pium esse, quinimo necessarium Monasteriorum providere saluti, &
,, quieti, & quod bonae rei dare consensum, est praesentis vitae sub-
,, sidium, & aeternae retributionis praemium expectare; informatis
,, plenarie de praedictis retroactis perturbationibus, & periculis, quae
,, ipsis Abbatissae, & Monialibus obvenerunt, & quod propter situm
,, loci merito faciliter poterant formidare, ac cupientes dare operam
,, bonae rei, accedentes ad locum praedictum in dicta Capella, in prae-
,, sentia multorum Praelatorum, Canonicorum, & Praesbyterorum,
,, & Clericorum Civitatis, & Dioecesis Pisanae, & multorum testium
,, ibidem coadunatorum locum ipsum, sive Ecclesiam nuper erectam sub
,, titulo Sanctorum Annae, & Pauli de Pugnano sitam in Capella San-
,, cti Simonis ad Parlascium in Divini Numinis cultum, ac statum per-
,, petuum dictarum Monialium die secundo Junii auctoritate nostri Pon-
,, tificalis officii, consecravimus, & consecratam pronuntiavimus te-
,, nore praesentium in forma Ecclesiae in similibus consueta, ac pro-
,, nuntiamus universis Christifidelibus, qui de hujusmodi nostrae con-
,, secrationis, ac diebus festivitatum Sanctorum Pauli, & Annae de-
,, vote in perpetuum visitaverint Ecclesiam praedictam, & manus por-
,, rexerint adjutrices quadraginta dies de injunctis eis poenitentiis au-
,, ctoritate nostri Pontificalis officii misericorditer in Domino relaxari.
,, De quibus omnibus mandamus vobis Ser Thomaso de Campilia, &
,, Ser Gullielmo quondam Jacobi Notariis nostris, ut exinde publicum
,, conficiatis Instrumentum nostri Pontificalis sigilli appensionis muni-
,, mine roboratum. Datum, & actum Pisis in ipsa Ecclesia &c. ,,

episcopo, & ipsis Patronis, vel uni eorum pro omnibus: Dum tamen si saepius in anno ordinaretur Priorissa semel tantum in anno denuntiare teneatur pro conservatione juris Patronorum, & semper teneatur habere Sacerdotem unum pro Missarum solemniis celebrandis, & unum Clericum; & si qua Monialis, vel Conversa redderet se in loco ipso Sanctae Annae id quod daretur pro ea ejus occasione apud locum ipsum Sanctae Annae vendi, vel alienari non possit, vel debeat sine consensu, & voluntate domini Archiepiscopi, & dictorum Patronorum, vel majoris partis eorum, & quod locus ipse habeat Operarium Laicum, qui ea quae dabuntur Operae dictae Ecclesiae Sanctae Annae teneatur, & debeat in utilitatem ipsius Ecclesiae convertere, & si opus fuerit teneatur reddere rationem ad voluntatem domini Archiepiscopi, & Patronorum, vel majoris partis eorum, & quod Abbatissa, quae pro tempore fuerit pro ipso Monasterio Sancti Pauli, & Sanctae Annae teneatur providere suprascripto Priori Sanctae Annae, & uni suo Clerico in alimentis sicut decebit, & conveniens fuerit singulis annis donec vixerit, & in domo de foris habeant habitationem, & alimenta Anna, & Uguccionella, vel eas ponere pro Monialibus dicti loci, ut alias Moniales, ad voluntatem domini Archiepiscopi de qualitate, & quantitate dictorum alimentorum salvo jure primi Capituli in censu de dicta Ecclesia percipiendo, & salvis omnibus juribus, quae pertinent ad Ecclesiam Sancti Martini de Guatholungo in dicta Ecclesia Sanctae Annae, & salvo jure, & honore Archiepiscopi & Archiepiscopatus tam in visitationibus, quam in correctionibus, & procurationibus, & in datis, & collectis tam per se, quam pro Ecclesia Romana, & ejus Nuntiis, & Legatis, & in omnibus aliis, quae unquam Pisanus Archiepiscopus in dicta Ecclesia habuit, vel habere consuevit.

Datum Pisis in Camera suprascripti domini Archiepisco-

piscopi, quae est apud Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula, praesentibus domino Raynerio Brunacciari Judice, & domino Lanfranchino Boccio, & Leopoldo Tanelleriaris Notario, & domino Berardo Lupi convocatis, & aliis, Dominicae Incarnationis anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto Indictione tertia, octavo decimo Kalendas Julii.

Coram quibus testibus dictus dominus Archiepiscopus commisit domino Orlandino Pisano Canonico, ut ponat dominam Agnetem praedictam in Sede in dicta Ecclesia Sanctae Annae, & ei possessionem dictae Ecclesiae tradat cum omnibus juribus, & pertinentiis suis.

Postea dictus dominus Orlandinus accedens praesentialiter ad dictam Ecclesiam Sanctae Annae pro dicto domino Archiepiscopo, & ejus vice, ex commissione inde sibi ab eo facta posuit in sedem dictam dominam Agnetem Abbatissam in Ecclesia Sanctae Annae, & ei dictae Ecclesiae possessionem, & omnium jurium dedit. Actum in dicta Ecclesia praesentibus domno Joanne, & domno Menetto Monacis, & Puccio Benencase, & Morandino quondam Morandi testibus, sexto decimo Kalendas Julii.

Petrus olim filius Leopoldi Notarii del Fornajo de Avane Pisanus Civis Sacri Imperii auctoritate Notarius atque Judex Ordinarius praedicta omnia, ut in Actis Rodulfini Notarii inveni, ita ex commissione inde mihi facta a consilio Senatus, & aliorum Ordinum Pisanae Civitatis scripsi, & in publicam formam redegi cum duabus additionibus suprascriptis.

IV.

Bonifacius VIII. committit Bartholomaeo, & Joanni Abbatibus, nec non Guidoni Priori, ut licentiam concedant Archiepiscopo Pisano quasdam possessiones ad Ecclesiam suam spectantes commutandi.

Ex tabulario Archiepiscopi Tom. V. apograph. n. 1239.

Anno 1300. *IN Dei nomine Amen. Reverendi viri domnus Bartholomeus Sancti Pauli ripae Arni Pisani, & domnus Johannes de Sancto Savino Monasteriorum Abbates, ac domnus Guido Prior Regularis Ecclesiae Sancti Augustini de Ressano Pisanae Dioecesis a Sanctissimo patre domino Bonifatio Papa VIII. ad infrascripta omnia, & singula per suas patentes literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte corruptas, & omni suspicione carentes, & vera bulla plumbea ipsius domini Papae pendenti in cordula canapis consuetis specialiter deputati, quarum literarum tenor est per omnia infrascriptus. Bonifatius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Sancti Pauli de ripa Arni Pisarum, & de Sancto Savino Monasteriorum Abbatibus, ac........ Priori Sancti Augustini de Ressano Pisanae Dioecesis salutem, & apostolicam benedictionem. Exposuit nobis venerabilis Frater noster Archiepiscopus Pisanus, quod cum ipse nonnullas possessiones, & terras, ad mensam suam Archiepiscopalem spectantes, & consistentes in Pisana, Lucana, Vulterrana, & Massana Dioecesibus, ex quibus sibi, & eidem mensae modica utilitas provenit, cum quibusdam aliis possessionibus, & terris constitutis*

ſtitutis in praedictis Dioeceſibus, quae ipſis Archiepiſcopo, & menſae utiliores exiſtere valeant permutare a nobis cum inſtantia poſtulavit, ut fieri permutationem hujuſmodi mandaremus. Nos igitur praefati Archiepiſcopi deſiderantes commodum, & augmentum, & credentes, quod ea, quae veſtrae induſtriae committuntur exequi fidelibus ſtudiis procuretis, diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiſita ſuper bomine diligentius ver. . . . . inveneritis, quod poſſeſſiones, & terrae, cum quibus intendit praefatus Archiepiſcopus praedictas poſſeſſiones, & terras ad memoratam menſam ſpectantes, ut praedicitur, permutare, ipſis Archiepiſcopo, & menſae magis utiles eſſe poſſint, & quod de permutatione hujuſmodi, ſi fieri contingat, eidem menſae utilior reddatur conditio, ſuper quibus intendimus veſtras conſcientias onerare, eaſdem poſſeſſiones, & terras ad praefatam menſam, ut praedicitur ſpectantes, cum aliis poſſeſſionibus, & terris praedictis, nomine Archiepiſcopi, & menſae praedictorum auctoritate noſtra libere permutetis. Et . . . . perſonis illis cujuſcunque dignitatis, conditionis, ordinis, vel ſtatus extiterint, vel capitulis, ſeu collegiis, cum quibus permutationem hujuſmodi conſtitueritis faciendam, eandem faciendi permutationem plenam concedatis, & auctoritate praedicta licentiam, & liberam facultatem, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, juramento . . . . ſpectantibus ad menſam praedictam per eundem Archiepiſcopum, & per eaſdem perſonas, de quibuſlibet bonis Eccleſiaſticis non alienandis praſtito aliquatenus non obſtante. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum . . . . quarto Kalendas Februarii Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Inquiſita diligentius ſuper infraſcriptis permutatione facienda ab eis plene, & cognita veritate, quod permutatio infraſcripta Reverendo

 pa-

patri, & domino domino fratri Johanni Dei providentia Archiepiscopo Pisano, & suae Archiepiscopali mensae auctoritate Apostolica prædicta, qua in hac parte funguntur, proviso prius ab eis de hujusmodi permutatione facienda, prout per cartam rogatam, & scriptam a me infrascripto Notario manifeste apparet, presente, volente, & cum instantia postulante hujusmodi permutationem fieri domino Magistro Mino Plebano Plebis de Vico Sindico dicti patris domini Archiepiscopi Pisani ab eo ad haec specialiter deputato, ut continetur per cartam rogatam a Johanne quondam Bonaccursi de Sancto Cassiano Notario, titulo, & causa permutationis dederunt, tradiderunt, & permutaverunt in cambium jure proprio in perpetuum domno Jacobo Pisano Monacho, & Sindico Abbatis, & Conventus Monasterii S. Hermetis de Orticana prope Pisas Ordinis Cistercienfium, & S. Michaelis de Verrucca, & ipsius Monasterii stipulanti, & recipienti Sindicario nomine pro suprascriptis Abbate, & Conventu, & pro ipso Monasterio &c.

V.

Libelli supplices ab Oddone Archiepiscopo Pisano oblati Clementi V. Summo Pontifici.

Ex eodem Tomo num. 1229.

Anno 1312. *SIgnificat S. V. devotus vir Frater Oddo Pisanus Archiepiscopus quod olim bona memoria dominus Bonifacius predecessor vester volens domino Benedicto Gaitani de Pisis gratiam facere specialem, ac etiam singularem, con-*

concessit (1) *eidem Ecclesiam S. Petri ad Gradus Pisanae Diocesis, ad mensam Archiepiscopalem liberè, merè, & de jure, & de facto spectantem, quam etiam tunc temporis Pisanus Archiepiscopus pacificè possidebat, & possederat tam ipse quam etiam alii sui praedecessores, volensque jura dicti Archiepiscopi servare, & illesa manere, per suas literas ordinavit, & voluit, ut priusquam dictus dominus Benedictus Praepositus ipsius Ecclesiae esse desineret, nullum posse per concessionem suam eidem Archiepiscopo prajudicium generari, quo domino Benedicto mortuo quidam ipsam Ecclesiam minus justè, & de facto occupaverunt, & alii etiam occupare volebant, ex quo multa scandala sequebantur, quod attendentes Pisani, qui Civitatem regunt ad vitanda scandala, quae videbantur oriri, dictam Ecclesiam S. Petri ad manus suas receperunt. Quare suprascriptus Pisanus Archiepiscopus vestra supplicat Sanctitati, quatenus ipsam Ecclesiam Sancti Petri ad mensam praedicti Archiepiscopi de speciali gratia, & ex certa scientia revocantes, & statuentes, ut nulli de cetero conferatur, nec possit ab aliquo concedi, seu etiam impetrari, nec ipsius concessio, vel impetratio valeat, nisi de statuto, seu ordinatione hujus, ejusque toto tenore plenam, & expressam de verbo ad verbum faciat mentionem, decernentes irritum, & inane si quid de dicta Ecclesia post mortem domini Benedicti in prajudicium ipsius Archiepiscopalis mensa per quemcumque quacumque auctoritate quomodolibet fuerit attemptatum, dictoque Pisano communi per vestras litteras mandare dignemini, ut dictam Ecclesiam S. Petri, ejusque possessiones, & bona eidem Archiepiscopo liberè, & sine aliqua contradictio-*

(1) Benedictum filium Oddonis, Summi Pontificis Cappellanum Praepositum Ecclesiae S. Petri renuntiavit Bonifatius anno 1299. die 25. mensis Maji, ut apparet *ex tabulis num.* 1113. *T. IV. apograph.*, ex quibus etiam erudimur, eundem Benedictum litem habuisse cum Archiepiscopo, & Capitulo Pisano propter voluntarias oblationes, quae a fidelibus memoratae Ecclesiae fiebant. Vide etiam *tabulas num.* 1097.

ctione restituat, amoto quolibet alio detentore, ipsumque possessione ipsius Ecclesiae libere permittatis executionibus insuper deputatis, qui amoto inde quolibet illicito detentore, dictum Archiepiscopum tueantur in possessione praedicta.

Significat S. V. devotus vir Frater Oddo Pisanus Archiepiscopus, quod cum olim felicis recordationis dominus Bonifacius Papa Octavus praedecessor vester considerans, & attendens redditus, & proventus Archiepiscopalis mensae Pisanae esse tenues, & exiles, & ex aliquibus causis fore non modicum diminutos, ad supplicationem Venerabilis patris domini Fratris Joannis Pisanae Ecclesiae tunc praesidentis Monasterium, seu locum Sancti Zenonis (1) *Civitatis Pisanae Ordinis Camaldulensium in sublevationem dictae mensae, & substentationem Archiepiscopi, qui pro tempore esset, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem mensae univit, applicavit, atque concessit, ac praefatum Archiepiscopum in ejus, & ipsius jurium possessionem mandavit induci, proviso quod Fratribus, qui pro tempore ibidem deservirent in divinis congrua substentatio preberetur. Verum quidem praefatus dominus Archiepiscopus inter cetera expressit in supplicatione praedicta, quod Monasterium praedictum Sancti Zenonis situm erat in loco Civibus Pisanis suspecto, & quod collapsum quodammodo erat, unio, applicatio, & concessio praedicta extitit impugnata, ac super hoc Archiepiscopus praefatus passus est litem, & controversiam coram diversis Auditoribus per Sedem Apostolicam deputatis, & coram ipsis diversi facti, & habiti ultra litem contestatam sunt processus, & non-*

nulli

(1) Non longe ab hoc Monasterio erat olim Urbis porta, quae, ut ait Troncius *pag.* 87. vocabatur *Monetaria, perchè fuori di essa si battevano le monete*. Sed in tabulis anni 1329. dicitur porta *Sancti Zenonis*; in iis enim legitur, quod Vannes praeter *padule positum extra portam Parlascii in loco dicto Malafrascha* dedit *Checchae* uxori suae *petium terrae cum arboribus super se positum extra portam S. Zenonis, tenens unum caput in strata veteri deAsciano, aliud caput in flumine Auseris*. Vide *tabulas n.* 1451. *T. VI.*

nulli testes recepti, ac alias ultra haec diversimode processum. Quare supplicat S. V. Archiepiscopus praedictus, quod concessionem applicationem, & unionem praedictas per dictum dominum Bonifacium factas de Monasterio, seu loco praefato Sancti Zenonis Archiepiscopali mensae Pisanae, non obstantibus omnibus supradictis, ac quibuslibet processibus factis, & etiam agitatis, latis, & habitis coram Auditoribus quibuscumque, per quos, seu quae adhuc non sit diffinitive causa praedicta decisa, ejusdem insuper ordinis privilegiis nequaquam obstantibus, ex certa scientia dignemini confirmare, & etiam innovare potissime, cum Fratres Ordinis praedicti plura, & diversa loca in ipsa Civitate Pisana sufficientia, & solemnia obtinere noscantur, & Ecclesia Pisana fuerit, & sit in possessione continua ipsius Monasterii ab undecim annis citra cum voluntate, & beneplacito Pisani Communis, & populi.

Supplicat S. V. devotus vir Frater Oddo Pisanus Archiepiscopus quatenus sibi specialem gratiam facientes concedere dignemini, ut requisito discretorum Ordinis sui Praedicatorum consilio auctoritate Apostolica possit de Fratribus dicti Ordinis tres, vel quatuor Fratres sibi gratos, & voluntarios assumere ad suum servitium, quoties fuerit opportunum, qui ei adsistant, & serviant, secumque morentur, & vadant quocumque necesse fuerit pro suis, & sui Archiepiscopatus negotiis exequendis quoties praedicto Archiepiscopo visum fuerit expedire, & sibi teneantur quandiu eos secum duxerit retinendos tamquam suo Priori in omnibus obedire, curam eorum sibi in spiritualibus, & temporalibus committendo, & quod auctoritate eadem omnibus Religiosis mendicantibus, & non mendicantibus secum comedentibus possit comedendi carnes licentiam impertiri, praecipue dum ipse carnes duxerit comedendum, non obstantibus quibuscumque privilegiis Apostolicis Ordini eorum concessis, de quibus & eorum toto tenore &c., & ipsorum ordinum statutis, praeceptis, & ordinationibus quibuscumque &c.

VI.

VI.

Clemens hujus nominis V. decernit Ecclesiam S. Petri ad Gradus, *mortuo jam Benedicto Gaitano, cui eam concesserat Bonifacius VIII., restituendam esse Archiepiscopo Pisano, ad quem reipsa spectabat.*

Ex eodem Archivo T. VI. apographorum n. 1363.

Anno 1312. *CLemens Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .... Episcopo* (1) *Usellensi, & dilectis filiis .... Abbati* (2) *Monasterii S. Pauli ad Ripam Arni Pisani, ac ...... Plebano* (3) *Plebis de Subiliano Lucanae Dioecesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex claris venerabilis fratris nostri Oddonis Archiepiscopi Pisani provenit meritis, ut nos personam suam sincera diligentes in Domino charitate, in eis sibi reddamus ad gratiam liberales, perque sibi, & Ecclesiae suae Pisanae honoris, & commodi proveniat incrementum. Ex tenore siquidem suae petitionis accepimus quod olim felicis recordationis Bonifatius Papa VIII. praedecessor noster volens quondam Benedicto Gaitano de Pisis Praeposito Ecclesiae Sancti Petri ad Gra-*

(1) Roberto Dragonì Pisano de Ordine Fratrum Praedicatorum, ut ex tabulis mox exhibendis manifestum fiet. Ipse Bremondium secutus scripsi *in Sardinia Sac. in Episc. Usellens., seu Alensibus pag.* 268. Robertum in Pontificem electum fuisse anno 1314., sed ex hoc monumento constat, ipsum extitisse Episcopum etiam biennio ante.

(2) Bartholomaeo Sambazi, qui contendens jurisdictionem exercere in Monasterio Sancti Donnini, litem habuit anno 1309., & posteris primo cum Raynerio, deinde cum Andrea ejusdem Monasterii Prioribus. Vid. *chartam T. V. n.* 1199. *& seq.*

(3) Jacobo, qui erat etiam Canonicus Pisanus *ex charta* 1248. *Tom. citato.*

Gradus Pisanae Diocesis gratiam facere specialem, eandem Ecclesiam ad suam Mensam Archiepiscopalem ipsius Ecclesiae Pisanae pleno jure spectantem, quam venerabilis Frater noster Joannes (1) *Nicosiensis tunc Pisanus Archiepiscopus antecessor suus possidebat, ac ipse, & alii praedecessores sui pacifice possederant, & quiete, literarum suarum auctoritate concessit, volens idem praedecessor, & ordinans per literas supradictas, quod, postquam ipse Benedictus Praepositus ejusdem Ecclesiae esse desineret, nullum posset per concessionem hujusmodi Archiepiscopo Pisano, qui esset pro tempore, praejudicium generari. Cumque postmodum dictus Benedictus diem clausisset extremum, & quidam praefatam Ecclesiam Sancti Petri de facto contra justitiam occupassent, & nonnulli alii ad occupandam illam se injustè pararent, quidam Cives Pisani, qui tunc Civitatem Pisanam regebant, scandalis, quae ex hoc videbantur oriri, obviare volentes, ad manus suas eamdem Ecclesiam receperunt. Nos igitur praefati . . . Archiepiscopi supplicationibus inclinati, praefatam Ecclesiam S. Petri cum juribus, & pertinentiis suis ad jus, & proprietatem ejusdem Mensae, si praemissa veritate nitantur, auctoritate Apostolica, ex certa duximus scientia revocandam, statuentes, ut nulli de caetero praedicta conferatur Ecclesia, nec alicui de ipsa auctoritate literarum Sedis Apostolicae valeat provideri, nisi in literis ipsis de hujusmodi statuto, & ordinatione, ejusque toto tenore de verbo ad verbum plena, & expressa mentio habeatur. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane quidquid de dicta Ecclesia post obi-*

(1) Quo tempore Archiepiscopus Nicosiensis erat, donavit Ecclesiae Pisanae amictum, quem nunc ante Altare majus ponunt in die festo Consecrationis ipsius Ecclesiae. En inscriptio, quae in eodem amictu legitur:

Hunc pannum dominus Frater Joannes
Archiepiscopus Nicosiensis
Dedit Ecclesiae Pisanae
Pro anima dominae Jacobae matris suae
Anno Domini MCCCXXV.

obitum ejusdem Benedicti in ipsius Mensae praejudicium quavis auctoritate extitit attentatum. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus (1) *vestrum per vos, vel alium, seu alios*

(1) Solus Robertus Episcopus Usellensis ille fuit, qui investigavit an Oddo verum exposuerit Clementi, hujusque mandata exequutus est, quod liquet ex his tabulis *Tom. cit. n.* 1248. „ In Dei nomine amen. Veniens ad praesentiam venerabilis patris domini Fratris Roberti Dei „ gratia Episcopo Usellensi executore, & Judice suprascripto Chiannes „ Falconis Canonicus Terralbensis Syndicus, & Procurator Reverendi „ in Christo patris domini Fratris Oddonis Archiepiscopi Pisani syndicatus, & procuratorio nomine pro ipso domino Archiepiscopo, & Ar- „ chiepiscopatu Pisano ad perpetuam rei memoriam, & per publicamen- „ tum, & ad fidem vobis faciendam de hiis, quae in supradictis litteris „ domini Papae continentur probare intendit, quod Ecclesia S. Petri „ ad gradus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis ad mensam ipsius „ Archiepiscopi, & Archiepiscopatus Pisani, & ad ipsum Archiepisco- „ pum, & Archiepiscopatum Pisanum pertinet pleno jure. Item quod „ venerabiles patres dominus Federicus, & dominus Rogerius condam „ Archiepiscopi Pisani, & dominus Theodoricus condam Pisanus electus, „ & dominus Frater Johannes condam Pisanus Archiepiscopus praedeces- „ sores ipsius domini Fratris Oddonis Archiepiscopi tempore, quo pre- „ fuerunt ipsi Archiepiscopatui fuerunt in pacifica possessione, vel quasi „ juris ipsius Ecclesiae S. Petri, & jurium, & pertinentiarum suarum, usque „ ad tempus, quo dominus Bonifatius Papa VIII. contulit dictam Ecclesiam „ Sancti Petri ad gradus domino Benedicto de Gaitanis. Item quod in „ collatione facta eidem domino Benedicto per suprascriptum dominum „ Papam, idem dominus Papa noluit per concessionem hujusmodi aliquod „ prejudicium, postquam idem dominus Benedictus desineret esse Prepositus ipsius Ecclesiae Sancti Petri, Pisano Archiepiscopo, & Archiepi- „ scopatui generari. Item quod de praedictis omnibus, & singulis est „ publica fama Pisis. Porrecti sunt supradicti articuli coram supradicto „ domino Episcopo executore per supradictum dominum Chiannem „ dicto nomine petentem super his testes recipi, & examinari, & ipsos „ etiam articulos ad probandum admitti. Qui dominus executor, sive „ Judex admisit illos in quantum de jure sunt admittendi. Actum Pisis „ apud Archiepiscopatum Pisanum anno Incarnationis domini millesimo „ trecentesimo tertiodecimo, Indict. undecima, die quarta mensis Octobris „. Quantum coniicio, eadem S. Petri Ecclesia postquam Oddo Pisanis praeesse desiit, ab Archiepiscopali mensa iterum sejuncta fuit. Etenim compertum mihi est ex *Protocollo 14. litt. O. fol.* 50. anno communi 1343. die 29. mensis Decembris, Franciscum Abbatem Monasterii Sancti Savini possessionem iniisse ejusdem Ecclesiae nomine Joannis Columnae Diaconi Cardinalis Sancti Angeli, qui defuncto Philippo Gallo Canonico Pisano, Ecclesiae ipsi per multos annos Praeposito successerat. Idem ipse Joannes Vicarium suum instituit Silvestrum Abbatem Monasterii Pisani Sancti Zenonis. Confer *Protocollum laud. fol.* 186.

lios, eundem Archiepiscopum, & Procuratorem suum, ejus nomine si praemissis veritas suffragetur, in corporalem possessionem Ecclesiae, ac jurium, & pertinentiarum praedictarum inducatis auctoritate nostra, & defendatis inductum, amoto ab ea quolibet illicito detentore, facientes sibi de ipsius Ecclesiae fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integrè responderi, non obstantibus, si aliquibus comuniter, vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis Dioecesis VI. idus Julii Pontificatus nostri anno septimo.

VII.

Licentiam concedit Archiepiscopo Pisano, ut Pallium accipere possit a tribus S. R. E. Principibus Cardinalibus.

Extat in Archivo cit. decade 276. num. 2741.

JOannes Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Simoni Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum pridem te tunc Episcopum Parmensem, cujus regimini praesidebas, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad Pisanam Ecclesiam tunc Pastore carentem duxerimus transferendum praeficientes te eidem Pisanae Ecclesiae in Archiepiscopum, & Pastorem, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Ac postmodum Palleum insigne Anno 1323.

 vide-

videlicet Pontificalis officii a nobis pro parte tua fuerit cum ea, qua decuit humilitate postulatum, Nos Palleum ipsum de Corpore Beati Petri sumptum per dilectos Filios nostros Neapoleonem Sancti Hadriani, Jacobum Sancti Georgii ad Velum aureum, & Lucam Sanctae Mariae in Vialata Diaconos Cardinales, recepto a te nostro, & Ecclesiae Romanae nomine fidelitatis solitae juramento, tibi fecimus assignari, ut eo intra Ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius Ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus, & hortamur attentius per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus humilitatem, & justitiam, dante Domino, qui dat munera, & praemia largitur, observare studeas quae suum servant, & promovent servatorem, & Pisanam Ecclesiam sponsam tuam cures solicite auctore Domino spiritualiter, & temporaliter augmentare. Datum Avinione nonas Julii Pontificatus nostri anno septimo.

VIII.

Simone Archiepiscopo Pisano propria Dioecesi absente Coemeterium, quod aedificaverat Prior Monasterii Sancti Donnini sacrum facit Robertus de Ordine Fratrum Minorum, Episcopus Terralbensis, habita ad id licentia ab illius Vicariis generalibus.

Tom. antea citato num. 1368.

Anno 1325. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quod religiosus, & hone-

honestus vir domnus Barthalus Prior Monasterii S. Domnini prope Pisas accessit personaliter cum Fratribus, & Monachis sui Monasterii ad curiam Archiepiscopatus Pisani, petens coram Reverendis viris dominis Taddeo de Costola Decretorum Doctore Archipresbytero Plebis S. Mariae de Cornilio Parmensis Diocesis, & Thomasio de Saltarellis Canonico Florentino Vicariis in spiritualibus Generalibus Rev. in Christo patris domini Fratris Simonis divina providentia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopi, totius Sardiniae Primatis, & Apostolicae Sedis Legati in ea, ut est notorium omnibus, & manifestum, benedictionem, & consecrationem eorum Cemiterii, cum Religiosi, & Christiani alii omnes de jure comuni in benedicto, & consecrato Cemiterio sepeliri debeant, & dictus locus sit venerabilis, & Religiosorum virorum, ubi multa, & diversa fiunt assiduè Orationum merita, qua de causa Christianus populus anhelat ad dictum Cemiterium sepeliri, credentes ex hoc beneficia apud Deum non modica patrocinari, & Sanctis eorum Orationibus commendari; undè praedicti Vicarii videntes Christiani populi voluntatem, & ipsorum Fratrum, & coram Deo, & hominibus beneplacitam voluntatem ipsorum, piis precibus ob Dei reverentiam, & Christiani populi inclinati, praedictis Fratribus sub eorum sigillo noto, & manifesto omnibus concesserunt eis patentes literas in hac forma.

Reverendis in Christo patribus dominis Archiepiscopis, & Episcopis praesentialiter Pisis morantibus ad quos praesentes pervenerint literae Taddeus de Costola Decretorum Doctor Archipresbyter Plebis S. Mariae de Cornilio Parmensis Diocesis, & Thomasius de Salterellis Canonicus Florentinus in spiritualibus Vicarii Generales Reverendi in

(1) De hoc Monasterio plura dixi *in Append. ad Tom. I. hujus Histor. pag.* 110. & *seq.*, Barthalus ejus Prior erat de oppido Camuliano *ex charta T. V. n.* 1152.

in Christo patris domini Fratris Simonis divina providentia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopi, totius Sardineae Primatis, & Apostolicae Sedis Legati in ea salutem cum debita reverentia, & honore. Cum dominus Barthalus Prior Monasterii S. Donnini propè Pisas infra ambitum sui Monasterii Cemiterium de novo construi fecerit, & illud desideret benedicere facere, & dictus dominus Archiepiscopus ejus desideriis satisfacere nequeat, ejus absentia mediante, paternitatem vestram tenore praesentium duximus deprecandam, quatenus ad dictum Monasterium personaliter accedentes dictum Cemiterium benedicere velitis, juxta formam Ecclesiae in talibus consuetam. Nos enim praedicta faciendi plena autoritate, qua fungimur, praesentium tenore concedimus facultatem. Datum Pisis in Archiepiscopatu die 27. mensis Decembris 7. Indictionis. Undè praedicti Fratres venientes ad venerabilem patrem, & dominum dominum Robertum (1) *de Stateriis Dei gratia Ter-*

(1) Robertum de Ordine Fratrum Minorum renuntiatum Episcopum Terralbensem anno 1302. asserui *in Sardinia Sacra pag. 261.*, quod opus dum conficerem, idem ipse Robertus notus mihi erat ab anno dumtaxat antea memorato ad annum 1309., nec cujas esset, nec qua familia natus, sciebam. Hae verò tabulae luculenter ostendunt, Robertum vitam vixisse anno item 1325., ex familia *de Stateriis*, ideoque Pisis, ortum esse. Etenim gentem hanc Pisis olim fuisse perspicua monumenta testantur. In charta, quae est in tabulario Archiepiscopii *Tom. IV. apograph‍. num.* 1110. Andreas *de Stateriis*, & Ciolus Pandolphini anno 1299. dicuntur Judices publici *curiae novae pupillorum Pisanae Civitatis*; in alia charta *Tom. V. num.* 1312. ad annum 1320. mentio fit de Albisio de Stateriis, cujus filia vocabatur *Ursa*; in quodam libro cui titulus *Prestanze n. 1. fol.* 34. servato in publico Pisano Archivo ad annum 1391. memoratur Joannes Nereus *de Stateriis*, qui bona quaedam Pisis habebat. Sed Robertum patria Pisanum fuisse ex eo item colligitur, quod non modo anno 1325., verum antea etiam in hac Urbe commoraretur. Extant in tabulario secreto Archiepiscopii hae Roberti litterae (in libro inscripto *extraordinarius ab anno 1325. ad ann. 1336. num. 17.*) ex quibus erudimur eum Pisis mansisse anno communi 1325. „ Frater Robertus miseratione Divina Terralbensis Episcopus dilecto filio Nicholao Amisi de „ domo Petri de Pisis Ecclesiae Terralbensis Canonico salutem, & sin-

„ ce-

Terralbensem Episcopum humiliter, & flexis genibus praedictas litteras praedicto venerabili patri domino Roberto Terralbensi Episcopo praesentaverunt, qui praedictas litteras accipiens ob Dei reverentiam, Pisanaeque Ecclesiae, ac Civitatis ejusdem coram me Donato Notario, & testibus infrascriptis personaliter illuc accedens, praedictum Cimiterium secundum formam Canonicam ab Apostolica Sede tra-

„ ceram in Domino charitatem. Cum scientia etiam sit circa administrationem spiritualium potissime necessaria, & circa curam Episcopalium admodum opportuna, ac tu desideres scientiae juris Canonici luminibus perlustrari, nos attendentes ex hoc nostrae Ecclesiae non modicum impostèrum profuturum, ac tuum salubre conceptum propositum, tibi auctoritate praesentium te absentandi ratione studii per spatium biennale a nostra Ecclesia plenam concedimus facultatem: non obstantibus aliquibus constitutionibus a nobis, vel ab aliquibus nostris praedecessoribus in Synodo, vel alias specialiter editis, quae huic nostrae concessioni obviant, vel videantur aliqualiter obviare. Concedimus etiam, quod fructus tui Beneficii integre possis percipere dum absens fueris, ac si in praedicta Ecclesia praesentialiter resideres propter causam superius praetaxatam. Et quia in nullo generali studio constituto in Italia vales absque personae periculo commorari; & in Civitate Pisana, ut experientia certa didicimus, juris praedicti Studium vigeat, ibidem integraliter praedictos fructus percipias sicut in generali studio permaneres, super quibus omnibus quantum ad concessionem praedictam auctoritate praesentium dispensamus. Has autem litteras ad majorem nostrae praefatae concessionis certitudinem fecimus nostri sigilli munimine roborari. Datum Pisis in Ecclesia S. Sophiae Dominicae Incarnationis anno millesimo trecentesimo sextodecimo Indictione quartadecima octavo idus Octobris secundum cursum Pisanorum „. Ex aliis ejusdem Roberti litteris exstantibus in eodem libro, quibus ille Nicolao memorato tunc *Plebano de Tripallo* ad triennium confirmat licentiam commorandi Pisis studendi caussa, patet ipsum in hac Urbe fuisse etiam post quadriennium, siquidem scriptae dicuntur in *suae habitationis hospitio in Sancti Viti Cappella juxta Arnum anno Domini MCCCXIX. secundum cursum Pisanorum XVIII. die Martii sedente Sanctissimo Papa domino Johanne XXII.* Hae quoque litterae munitae erant Roberti sigillo, quod Episcopum, & arborem sub ejus pedibus positam repraesentabat, & circum ipsum haec verba legebantur: *S. Fratris Roberti de Stateriis Ordinis Minorum Dei gratia Episcopi Terralbensis*. Placuit easdem litteras exhibere, quoniam in iis mentio fit de Studio Pisano, quod etsi quando primum institutum sit, ignoratur, constat tamen ex illis, in hac Urbe fuisse ante plures annos, quam Troncius, Grandius, & Fabbruccius putaverint.

traditam benedixit, & consecravit, & ad perpetuam rei memoriam mihi Donato Notario infrascripto mandavit de praedictis sub suo sigillo inde conficere publicum Instrumentum. Actum in Cemiterio suprascripti Monasterii praesentibus Hugone condam domini Henrici de Stateriis, Presbitero Bonaventura de Sancto Miniato Cappellano Gambacurtorum, Lando Clerico filio Dietavivae, & Lapo de Cappella Sancti Gregorii filio Martini Ammannati de Pistorio, & Cione de Lari de Cappella Sancti Martini Kinthicae condam Bonaccursi, & pluribus aliis testibus ad haec vocatis, & rogatis Dominicae Incarnationis anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto, indictione octava, sexto calendas Februarii.

Ego Donatus Pisanus Civis filius Martini Boccii imperiali auctoritate publicus Notarius, & Judex Ordinarius, praedictis omnibus interfui, & ea rogatus scribere scripsi, & in publicam formam redegi.

IX.

Scire cupit ab Archiepiscopo Pisano, & ab Abbate Monasterii Sancti Savini prope Pisas, an bonorum permutatio, quam facere optabant Magister, & Fratres Hospitalis novi, esset utilis eidem Hospitali.

Tom. laudato num. 1417. & in Archivo Hospitalis novi in libro membranaceo, qui continet privilegia eidem Hospitali concessa fol. 24.

Anno 1327. *JOhannes Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Simoni Archiepiscopo Pisano, & dilecto filio Abbati*

ti Monasterii S. Savini de Montione Pisanae Dioecesis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Significantibus dudum nobis dilectis filiis Magistro, & Fratribus Hospitalis novi Misericordiae pauperum Pisarum, quod Papae Alexandri (1) *dicitur, & ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, quod cum dictum Hospitale habeat nonnullas domos in Civitate Pisana non coniunctas, vel contiguas Hospitali praedicto, neque Hospitiis deputatis ad hospitalitatem pauperum Hospitalis* (2) *ejusdem, & supplicantibus, ut permutandi domos ipsas cum possessionibus eidem Hospitali magis accomodis impertiri eis licentiam dignaremur: nos an hujuscemodi permutatio redundaret in utilitatem Hospitalis ejusdem certitudinem non habentes, tibi, Frater Archiepiscope, per alias literas nostras commisimus, & mandavimus, ut de valore, & conditione dicta-*

(1) Ita olim vocabatur, quoniam Pisani illud aedificare coeperunt anno 1257. jubente Alexandro IV. Summo Pontifice. Vide quae scripsi *T. II. hujus Historia pag.* 5. Dicitur etiam Hospitale Spiritus Sancti tum in litteris ejusdem Alexandri apud Ughellium *in Archiep. Pisanis col.* 440., tum in tabulis anni 1437. *T. XII. apograph. n.* 2562.; & Hospitale novum S. Clarae in tabulis anni 1343. *T. VIII. apograph. n.* 1724.. Magister, & Fratres illud habitantes erant de Ordine S. Augustini. Confer *litteras cit. Alexandri*.

(2) Ut primum Pisani construere aggressi sunt Nosocomium laudatum, cetera Nosocomia, & Ptochotrophia, quae Pisis erant, coniuncta illi sunt Summo Pontifice indulgente; sed postmodum reclamantibus PP. Camaldulensibus, idem ipse Alexander die 3. Novembris jussit, ut quae ad eorum jurisdictionem spectabant ab ipso Nosocomio disiungerentur. Ejus litterae *T. II. Bullarii Francis. n.* 378. *pag.* 356. Arbitror tamen eadem *Hospitalia* deinde unita rursus fuisse *Hospitali* S. Clarae, illique subiecta evasisse; atque haec esse domicilia hospitalia destinata *ad Hospitalitatem pauperum Hospitalis ejusdem*. Non ab re fore censeo exponere hoc in loco quot erant olim Pisis *Hospitalia*, quotque lectos ea sternerent. Itaque in libro MS. tabularii secreti Archiepiscopii, cui titulus: *Acta Civilia ab anno* 1305. *ad* 1312. *litt. G. fol.* 47. haec habentur ad annum 1311. „ Presbyter Joannes Rector Ecclesiae Sancti
„ Leonardi in Pratuscello ad infrascripta specialiter constitutus respon-
„ dit mihi Notario se pro parte dicti Vicarii (*Henrici de Montevaso Ple-*
„ *bani de Lardensa*) imposuisse, & praecepisse Hospitalibus infrascriptis
„ infrascriptos lectos ad usum pauperum, & infirmorum. In primis vi-
„ delicet. „ Ho-

rum domorum, & an dicto Hospitali hujusmodi permutatio expediret, per te, vel alium, seu alios cum diligentia te informans, quod super his invenires nobis per tuas litteras dictarum litterarum nostrarum seriem continentes, fideliter insinuare curares, ut de his per te plenius informati, consultius circa permutationem ipsam agere valeremus. Postmodum tu, Frater Archiepiscope, receptis praedictis

" Hospitali majoris Ecclesiae lectos XXVI.
" Hospitali Sancti Leonardi lectos VI.
" Hospitali Sancti Viti lectos X.
" Hospitali Sancti Stephani lectos VIII.
" Hospitali Sanctae Mariae Virginis lectos XVIII., & VIII. fornitos.
" Hospitali Sancti Zenonis lectos XII.
" Hospitali Sanctae Catharinae lectos XII. fornitos.
" Hospitali S. Michaelis de Burgo lectos XVI. per medium fornitos.
" Hospitali Sancti Fridiani lectos XX. fornitos.
" Hospitali Sancti Petri in Vinculis lectos XII. per medium fornitos.
" Hospitali Sancti Marci in Calcisana lectos XII. fornitos.
" Hospitali Sancti Dominici lectos XIV.
" Hospitali de Altopassu lectos XVI. pro infirmis fornitos.
" Hospitali Sancti Juliani lectos XII. pro infirmis fornitos.
" Hospitali posito in medio Burgi S. Marci lectos XII.
" Hospitali Sancti Spiritus lectos XII. fornitos.
" Hospitali domini Odoriscii lectos XIV. pro infirmis fornitos.
" Hospitali Sancti Martini in Guatholungo lectos XVI. per medium fornitos.
" Hospitali Sancti Sepulchri lectos XVIII. fornitos.
" Hospitali Sancti Asnelli lectos XII. fornitos.
" Hospitali Sancti Joannis Carrariae Gonnellae lectos VI.
" Hospitali Canuti lectos VI.
" Hospitali Sancti Ægidii lectos X.
" Hospitali de Spassavento lectos XIV. pro infirmis.
" Hospitali S. Pauli ".

Alia item *Hospitalia* praeter laudata extabant Pisis hoc ipso Saeculo decimoquarto. Charta enim anni 1349. meminit *Hospitalis Pisani Communis vocati* lo Spedale de la Pace *siti in Cappella S. Mariae Pisanae majoris Ecclesiae juxta Ecclesiam S. Georgii Theutonicorum* [*T. IX. apographorum num.* 1969.]. In Testamento, quod anno 1391. die 19. mensis Augusti fecit *egregia, & honorabilis domina Madonna Tommasa uxor Magnifici militis domini Benedicti filii Magnifici, & potentis domini, domini Petri de Gambacurtis Capitanii generalis, & defensoris populi Pisani, & olim filia recolendae memoriae Lotti de Gambacurtis* [*T. XII. num.* 2440.] memorantur haec *Hospitalia*, nimirum *disciplinae S. Francisci de Pisis, Sancte Mariae pontis veteris* vocatum *Hospitale Grassi, Sancti Raynerii situm prope portam legatiae de mari, S. Mariae de Rieucho, & Hospitale certarum dominarum* positum *in classo del Marchese*.

dictis nostris litteris respondisti nobis per litteras tuas, contento in eis dictarum litterarum tenore, inter caetera continentes, quod cum tunc temporis executioni hujusmodi negotii per te ipsum intendere non valeres, pro eo quod Pisanam Diocesim visitabas. Tu fili Abbas ex speciali commissione super hoc tibi facta per dictum Archiepiscopum, qui juxta formam dictarum litterarum poterat, inquirens cum diligentia de praemissis, demum praefato Archiepiscopo retulisti, quod Hospitale praedictum habet in Civitate Pisana centum viginti septem domos, & in triginta novem domibus Civitatis ejusdem varias partes, ac triginta septem solos emphiteotecales, quae communi extimatione valent novem millia sexcentos Florenos auri, & pro tanto precio invenirentur de eis emptores, & quod domus, & loca, ubi habet partes, sunt veteres, & antiquae, & nonnullae ex eis in proximo minantur ruinam, ac quod ipsum Hospitale de pensionibus earundem percipit annuatim quingentos undecim florenos auri, nec ultra inde posset percipere, vel habere quidquam, si domos, ac praedictae partes, & soli permutarentur, aut venderentur, & earum praecia converterentur in praedia rusticana vicina Civitati praemissae, ac sita in loco tuto ab omni guerrarum, & aquarum discrimine alieno, ipsum Hospitale de ipsorum praediorum totidem valentium redditibus perciperet ad minus sine ullis expensis libere omni anno florenos auri octingentos triginta, & sic augmentarentur omni anno redditus Hospitalis ejusdem in trecentis viginti florenis auri, ac ipsum Hospitale de ipsis domibus, & partibus in[illegible]dii, & ruinae pericula, ac rixarum scandala, ad quae Fratres ejusdem saepe deveniunt cum Civibus & consortibus earumdem, & expensarum dampnosa opera, quae pro earum defensione ipsos oportet subire frequenter, etiam evitarent. Nos itaque cupientes conditiones, & redditus Hospitalis ejusdem, tam ex permutatione hujusmodi, quam etiam alia offici meliores,

de vestra quoque circumspectione confisi, discretioni vestrae praesentium tenore committimus, & mandamus, quatenus Magistro, & Fratribus Hospitalis ejusdem ad vestram praesentiam evocatis, & cum eis de dictis possessionibus, & ipsarum redditibus informatione habita diligenti, si ex informatione ipsorum compereritis possessiones ipsas esse tales, quod ex permutatione hujusmodi fiat melior conditio, ut praemittitur Hospitalis ejusdem, praefatis Magistro, & Fratribus faciendi permutationem ipsam plenam, & liberam auctoritate Apostolica licentiam concedatis. Datum Avinione II. idus Maji Pontificatus nostri anno undecimo.

X.

Manifestum facit Archiepiscopus, seu nunquam adhaesisse Ludovico Bavaro, ejusque sectatoribus, & ne Pisani illis adhaererent diligentissime curasse.

Ex eodem Archivo Protocollo n. 1. litt. A. fol. 101.

Anno 1328. *IN nomine Domini amen. Ex hoc pubblico instrumento pateat omnibus manifeste, quod Reverendus dominus pater, dominus frater Simon Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus, totius Sardiniae Primas &c. Coram religiosis, & venerabilibus in Christo patribus domino Joanne Dei, & Apostolicae Sedis gratia Populoniensi, & Massano Episcopo, prudenti viro domino Bernardo Judice, & Assessore Curiae Massanae, & honestis viris domino Joanne de Vulterra Archipresbytero Mas-*

Maßano, Fratribus Bartholomaeo Lectore Ordinis Minorum, Ilario de Mutina Ordinis Praedicatorum, & Hugolino de Asciano Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Augustini, tanquam coram bonis, prudentibus, & honestis personis viva voce, & in his scriptis omnia, & singula infrascripta protestatus, & contestatus est, atque diligenter proposuit, & exposuit; imprimis, quod ipse velut filius, & devotus Sanctae Romanae Ecclesiae, & specialiter Sanctissimi patris domini Joannis Papae XXII., nunc jam, & dudum sedentis in Apostolica Sede toto tempore, quo fuit in dicto Archiepiscopatu Pisano fideliter, & sollicite quantum scivit, & potuit, studuit, & conatus est Clerum, & populum Pisanum, Civitatem, & Dioecesim in fide, devotione, subiectione, obedientia, & reverentia Sanctae Romanae Ecclesiae, & specialiter Sanctissimi patris domini Joannis Papae praefati nutrire, confortare, & manutenere, & eos generaliter, & specialiter procuravit abducere, & revocare ab omni consilio, auxilio, & favore, & opere, concordia, pactione, & amicitia impendendis, contrahendis, seu inhiendis cum aliquo, seu aliquibus rebellibus, seu adversariis praedictae Romanae Ecclesiae, & domini Papae praefati, & praesertim cum domino Ludovico Bavaro, & nunciis ejus Castruccio Lucano, seu aliis quibuscumque gratia, & communione Ecclesiae Romanae carentibus; & quod sententias, & processus omnes, & quoslibet factos, & habitos per dictum dominum Papam, ejusque Legatos, & Delegatos ipsius contra praedictos, & eorum fautores, ac receptatores publice, evidenter, & solemniter publicavit, & observari mandavit, & ipse observavit prout, & sicut ad litteram mandabatur in eis. Item protestatus fuit, quod sonum audiens, & pranoscens adventum suprascripti domini Ludovici Bavari, & suorum sequacium contra Civitatem Pisanam, ipse dominus Archiepiscopus se cum toto genere suo, & alia sua familia,

& suis

& suis fidelibus reclusum in dicta Civitate Pisana, ad ipsius defensionem totis viribus intendens per se, & suos praedictos nepotes, & familiares, adque fideles die, noctuque cum equis, & armis, adque sermonibus, & praedicationibus Cives Pisanos ad defendendam Civitatem, & perseverandum in fidelitate, & obedientia Sanctae Ecclesiae, & domini Papae praefati efficaciter, & multipliciter exhortando, & sic publice, & patenter in his perseveravit, & praedicta continuavit toto tempore obsidionis dictae Civitatis Pisanae, in qua duo nepotes ipsius domini Archiepiscopi, & quinque alii de ipsius familia pro laboribus obierunt. Tandem Civibus Pisanis nolentibus, vel non valentibus Civitatem Pisanam defensare, & se, dictamque Civitatem reddentibus, & tradentibus dicto domino Ludovico Bavaro, & genti suae contra voluntatem, consilium, & persuasionem dicti domini Archiepiscopi, ipse dominus Archiepiscopus die, & hora, qua ille Bavarus praefatus Pisanam Civitatem intravit per unam portam, exivit de dicta Civitate per aliam portam cum sua familia non sine periculo personali suo, & suorum, nolens cum illis excommunicatis, & rebellibus Ecclesiae communicare, seu pertractare in aliquo, ipsamque Civitatem Pisanam supponendo, & suppositam denuntiando Ecclesiastico interdicto: & non solum de ipsa Civitate Pisana, sed de tota Dioecesi Pisana coactus est exulare, & foris stare, rapinam, & occupationem bonorum suorum, & Pisanae Ecclesiae passus ab Officialibus, & gente praefati Bavari, quod ei noluit adhaerere, & ipsum sequi, licet ex ejus parte per internuncios, & litteras aliquorum, promissiones, & comminationes varias frequentius, & instantius fuerit requisitus, quibus quia omnino noluit accedere, acquiescere, vel consentire in aliquo, tandem ipsius Bavari jussu, litteris, & mandato spoliatus est de facto toto Archiepiscopatu, & omnibus ejus bonis, ipsorumque

que

que administratio, regnum, & dominium datum, & concessum est Fratri G. Episcopo Aleriensi, & ipse de facto Archiepiscopatum, & ejus bona, & jura possidet, tenet, & administrat, sicut placet eidem. Sic autem exulans, & existens extra suam Dioecesim audivit, & intellexit, quod populus Pisanus, & Clerus, qui ibidem remansit per dictum Bavarum, & suos Officiales, & gentem regitur, & disponitur pro suo libito voluntatis, & quod de Ecclesiis, Monasteriis, personis, bonis, & rebus Ecclesiasticis disponit, & ordinat ad placitum eorumdem, & coguntur Clerici, Ecclesiasticaeque personae, Seculares, & Regulares Divina Officia publice celebrare in Civitate Pisana, & ejus territorio, & districtu, non servato interdicto Ecclesiastico, cui subiacent dictae terrae, & universitates eorum; quibus omnibus, & singulis illicitis operibus suprascriptis, & conatibus rebellium praedictorum praefatus dominus Archiepiscopus non fuit, nec est consentiens ullo modo, nec in eorum consilium, vel consensum ivit aliquando anima sua, sed ab eis penitus dissensit, & dissentit, & eorum prava, & perversa consilia, & opera detestatur, reprobat, atque dapnat; unde iterum protestatur, quod cum dictis Ecclesiae rebellibus nec per se, nec per alium possit resistere, quoniam inde exulat cum familia sua, & Officialibus suis, vel quod per praedictos rebelles, vel aliquem eorum, seu per Officiales, adque ministros ipsorum vel alicujus eorum, seu quemcumque alium Clericum, vel laicum factum sit, vel fieri contingat imposterum quovis modo, seu titulo, vel colore contra jura canonica, adque Sanctam Romanam Ecclesiam, seu contra dominum Papam praedictum, vel ejus, aut suorum Legatorum, aut Delegatorum ab eis, vel eorum aliquo processus, sententias, vel mandata approbat, recipit, vel admittit, quinimo ex nunc, prout ex tunc omnia, & singula praedictorum, & cujuscumque eorum facta & facienda contra praedicta reprobat,

probat, irritat, adque dapnat omni via, modo, & jure, quibus melius potest. Item protestatus est, quod sicut privatus Archiepiscopatu, & bonis ejus, fructibus, redditibus, adque proventibus quibuscunque ipsius, nec habat unde possit in aliqua parte suae Dioecesis, seu Provinciae alere se, & suos, ideo necessitate urgente cogitur exire ad terram nativitatis suae, & alibi commorare: & sic me Andream Notarium infrascriptum rogavit, & jussit de praedictis conficere, & scribere publicum instrumentum. Actum fuit hoc Massae marittimae in Cassaro Montis regii, & in Palatio Episcopali praesentibus Religiosis viris Fratribus Francisco de Massa Lectore Minorum, Jeronimo de Pistorio Ordinis Praedicatorum, Johanne Bindi de Massa Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, & pluribus aliis vocatis testibus, & rogatis, anno Dominicae Incarnationis millesimo trecentesimo vigesimo octavo, Indic. XI. die septimo mensis Januarii secundum cursum Massanum.

XI.

Moniales Sanctae Crucis de Fossabanda *extra Pisas rogant Simonem Archiepiscopum, ut eis elargiatur* Prioratum *S. Silvestri. His Simon indulget.*

Ex Archivo Monasterii S. Silvestri, & Archiepiscopii Protocollo num. 8. fol. 107. & sequentibus.

Anno 1331. *IN nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo trigesimo primo, Indictione quarta decima, die sexta mensis Augusti. In praesentia mei Notarii, & testium subscriptorum, ad haec specialiter vocato-*

catorum, & rogatorum. Cum Reverendo in Christo patri, & domino domino Fratri Simoni Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopo totius Sardiniae Primati, & Sedis ejusdem in ea Legato pro parte Religiosarum mulierum Priorissae, & Monialium Sanctae Crucis de Fossabandi (1) *propè muros Civitatis Pisarum porrecta fuerit quaedam petitio istius continentiae, & tenoris, videlicet. Vobis Reverendo in Christo patri domino Fratri Simoni Dei gratia Archiepiscopo Pisarum dicunt, & exponunt Priorissa, & Moniales Monasterii Sanctae Crucis de Fossabandi prope muros Civitatis Pisarum constituti Ordinis S. Augustini sub cura, & gubernatione Ordinis Praedicatorum, consistentes, quod quia praedictum suum Monasterium, in quo ad Dei laudem, & servitium manent inclusae, situm extrà muros Civitatis Pisarum consistit, pluries a non multo tempore citrà intollerabiles eis turbationes, & maximè incursiones hostium sub perpessae, adeô quod contemplationis ipsarum quiete turbata justo aliquando terrore compulsae sunt praefati sui Monasterii clausuram deserere, & ad sui, & rerum suarum tuitionem contrà Religionis honestatem Pisanam ingredi Civitatem, ubi tamen melius poterant, & possunt in privatis domibus commorantes; futuros itaquè casus similes meritò formidantes, ac volentes quantum in eis est futuris periculosis eventibus obviare; proposuerunt de suorum Superiorum, & Gubernatorum consilio, & assensu Monasterium suum praedictum intra praefatae Urbis muros, fortilitiumque transferre, ut per hoc a praedictis turbationibus liberatae Domino, cui se devoverunt, securae suum exhibeant famulatum; quare ne animarum pericula,*

(1) Hoc in loco exstat nunc Monasterium PP. Minorum de Observantia, quod P. Angelus a Civitella Provinciae Tusciae Vicarius post initium seculi decimiquinti aedificavit pecunia, & fundo sibi donato a Petro Neretto Cive Florentino, qui illum a Monialibus emerat. Waddingus *T. X. Annal. Minorum ad ann.* 1415. *num.* 18. *fol.* 110.

aut rerum damna eis ulterius in similibus casibus contingere valeant, sicut possent verisimiliter evenire, supplicant, quatenus Divinae pietatis, & conservandae Religionis intuitu locum Prioratum, seu Ecclesiam (1) *Sancti Silvestri Pisarum cum domibus, horto, & omni suo spatio ibidem, & circà eos existente ad ipsum locum, Prioratum, & Ecclesiam spectantibus, & pertinentibus ad vos, & ordinationem vestram pleno jure ordinario spectantia, ad transferendum, & construendum ibidem suum Monasterium praedictum de benignitate solitae pietatis eis dignemini concedere gratiose. Et idem dominus Archiepiscopus visis, & diligenter consideratis omnibus ipsa petitione contentis, ad ipsa nuper non valeat commodè, & sicut expediret intendere, cum a praedicto suo Archiepiscopatu agat praesentialiter in remotis: Attendens quam pium, quinimò neces-*

(1) Hanc Ecclesiam anno 1118. Petrus Archiepiscopus Pisanus donavit Monasterio Casinensis consilio, & assensione Odimundi e familia Masca Confer *T. I. hujus Historiae pag.* 205.. Ad annum usque 1270. idem Monasterium jus habuisse hujus Ecclesiae *Priorem* renuntiandi liquet ex monumentis vulgatis ab Erasmo Gattula *Historiae Abbatiae Casinensis par.* 1. *pag.* 424. At seculo decimo quarto jurisdictioni Archiepiscopi eadem Ecclesia subjecta fuisse videtur. Initio seculi duodecimi erat extra Urbis portam, quae dicebatur *Soaritia*. Quando moenibus cincta fuerit, mihi non constat. Troncius *pag.* 87. loquens de Urbis porta Ecclesiae ipsi proxima, quae nunc communiter *alle piaggie* vocatur, ait illam appellatam antiquitus fuisse *Sancti Barnabae*, siquidem in libro rituali scripto anno circiter 1260., quem olim possidebat Petrus Roncionius Canonicus Pisanus, legebatur, *che entrando per la porta di San Barnaba il Clero, il Priore di San Silvestro aspettava con l' acqua benedetta, & incenso, e cantava un' Antifona*. Si liber ille tam antiquus esset, quam Troncius arbitratur, dubitari non posset, quin Sancti Silvestri Ecclesia circa seculi decimitertii medietatem intra Urbem esset. Sed ego recentiorem illum existimo, cum Ecclesia Sancti Barnabae, ex qua porta illa nomen sumpsit, post initium seculi decimiquarti aedificata fuerit, teste Anonymo scriptore Chronici Pisani MS. servati in Bibliotheca Magliabechiana *classe* 25. *num.* 29., qui haec ait *fol.* 24. anno 1337. Pisano: *si fece la Chiesa di S. Barnaba alla torre di piè del ponte alla Spina, e racconcioßi le mura;* ideoque ex laudato libro rituali colligi nequit anno 1260. Ecclesiam S. Silvestri intra Urbis moenia extitisse; eo vel maxime quod in tabulis anni 1270. apud Gattulam *loco cit.* eadem Ecclesia dicitur *de foris porta Pisana*.

necessarium sit Monasteriorum providere quieti, & quod bonae rei dare consensum, est praesentis vitae subsidium, & aeternae retributionis praemium expectare, ac informatus plenariè de praedictis perturbationibus, & periculis, quae ipsis Priorissae, & Monialibus hactenus obvenerunt, & quae praefatum situm loci, malitia temporis faciente, in futurum evenire posse faciliter, & verisimiliter formidant: cupiens quantum de jure potest, votis praedictarum dominarum annuere, & pietatis opera confovère; de prudentia, & discretione venerabilis viri domini Bonajunctae de Calcinaria Jurisperiti Rectoris Ecclesiae Sancti Donati Pisarum, Vicarii sui plenê confisus, eidem domino Bonajunctae licet absenti, commisit, imposuit, & mandavit, ac plenum, liberum, generale, ac speciale mandatum, cum plena, libera, generali, ac speciali administratione, nec non licentiam, auctoritatem, potestatem, & baliam plenam, & liberam dedit, & concessit, in praedictis, & pro praedictis omnibus, ac praedictorum occasione convocandi, & convocari faciendi Canonicos, & Capitulum Pisanae Majoris Ecclesiae nunc in ipsa Ecclesia residentes, & coram eis, & inter eos proponendi, & proponi faciendi omnia, quae in praefata petitione per ordinem continentur, & super ipsis omnibus cum praefatis Canonicis, & Capitulo tractandi, & deliberandi, quod de contentis in petitione praedicta videatur de jure, & de gratia peragendum, ac tractatu, & deliberatione praebabitis consensum, & voluntatem ipsorum Canonicorum, & Capituli, ac Prioris, seu Rectoris ipsius Ecclesiae Sancti Silvestri, quae concedi petitur requirendi; nec non super donatione, & concessione fienda de loco, Prioratu, & Ecclesia supradictis dominabus praedictis, & a praedictis Capitulo, & Canonicis, ac Priore, seu Rectore ipsius Ecclesiae consensu, commissione, mandato, authoritate, & potestate plenariis habitis ad laudem, & reverentiam Omni-

potentis Dei, & in remissionem peccatorum ipsius domini Archiepiscopi & praedecessorum, & successorum suorum, & ut praedictarum Priorissae, & Monialium religioso statui salubrius consulant auctoritate ipsius domini Archiepiscopi, dandi, donandi, concedendi, & largiendi omni modo, via, forma, & jure quibus melius fieri potest praedictis Priorissae, & Monialibus, vel alii cuicumque personae pro eis recipienti locum, Prioratum, & Ecclesiam (3) *supradictam S. Silvestri Pisarum cum domibus, horto, & omni spatio ibidem, & circa eos existente ad ipsum locum, & Ecclesiam pertinentibus ad ipsum dominum Archiepiscopum, & ejus ordinationem pleno jure ordinario spectantia, & cum omnibus possessionibus, & pertinentiis suis, dando, & concedendo eis, autboritate praedicta, licentiam, & liberam facultatem, Monasterium suum praedictum transferendi, & aedificandi, & construendi in domibus, horto, & spatio loci, & Ecclesiae memoratae: ità tamen, quod ipsa Ecclesia S. Silvestri, sicut nunc est remaneat propter Parrochiam, & Parrochianos, & de domibus suis tantum, quod Prior, & Rector ipsius Ecclesiae, qui nunc est, & pro tempore fuerit congruam possint habitationem habere, quae quidem Parrochia, & Ecclesia, quantum ad Parrochialia jura regatur, & gubernetur per Priorem, seu Rectorem praedictum, qui nunc est, qui donec vixerit, & ipsius Prior, & Rector fuerit habeat, & percipiat integraliter omnes redditus, & proventus ipsius Ecclesiae sicut*

(3) Fundum positum circa Ecclesiam concessum Monialibus fuisse anno 1331. certa res est, cum ex claris monumentis *Protocollo num.* 8. appareat, ejusdem possessionem iniisse eo anno die 26. Mensis Septembris F. Raynerium Segalorzium Sindicum, & procuratorem earundem Monialium. Ecclesiam vero datam ipsis post qninquennium arbitror; nam in tabulis *Protocollo cit. fol.* 114. legitur, quod anno communi 1336. die 14. Junii, rogante P. Marco de Roncionibus Ordinis Praedicatorum, Archiepiscopus Monialibns concessit *Chorum Ecclesiae Sancti Silvestri praedicti pro Divino Officio inibi per eas ad Dei laudem, & consolationem populi perpetuo celebrando*, cum Moniales ipsae Archiepiscopo significassent, se non posse novam Ecclesiam aedificare.

sicut hactenus habuit, & percepit, nisi voluerit aliter, justè tamen, cum eisdem Priorissa, & Monialibus concordare. Ipso verò cedente, vel decedente, vel aliter quomodocumque Ecclesia ipsa vacante, instituatur alius Sacerdos, seu Rector idoneus, cui de redditibus ipsius Ecclesiae pro victu congrua, & decens per praedictas Priorissam, & Moniales portio assignetur, & sic successivè fiat quatenus Ecclesia ipsa vacaverit. Reservando etiam dicto domino Archiepiscopo, & successoribus suis institutionem, visitationem, & correctionem Prioris, seu Rectoris ipsius Ecclesiae, qui nunc est, vel pro tempore fuerit donec ipse dominus Archiepiscopus, vel alter super hoc potestatem habens de praedictis Ecclesia, & Parrochia quandocumque forte aliter prout melius visum fuerit duxerit disponendum. Et generaliter omnia, & singula alia faciendi, & exercendi in praedictis, & circa praedicta, quae utilia, & necessaria fuerint, & etiam opportuna. Promittens, & conveniens idem dominus Archiepiscopus nomine suo, & successorum suorum mihi Dietifeci Notario infrascripto tanquam publicae personae recipienti; & stipulanti pro praedictis domino Bonajuncta, Priorissa, & Monialibus, & aliis omnibus, & singulis quorum interest, vel intererit, seu interesse poßet firmum, & ratum habere, & tenère perpetuò totum id, & quidquid actum, factum, & executum fuerit per praedictum dominum Bonajunctam Commissarium suum in praedictis, & quolibet praedictorum, & se contra praedicta, vel aliquod praedictorum, vel commissionem praedictam, aut contra facta, & executa, seu fienda & exequenda per praedictum dominum Bonajunctam Commissarium in praedictis, & circà praedicta sibi commißa non facere, vel venire per se, vel alium directè, vel indirectè aliqua ratione, vel causa in judicio, sive extrà, sub obligatione omnium bonorum Archiepiscopatus sui praedicti, mandans mihi Dietifeci Notario

tario

tario infrascripto, quod de praedictis omnibus praesens conficerem publicum Instrumentum. Actum Bononiae in Sancto Siro praesentibus testibus religiosis viris Fratribus Jacobo Passavantis, & domino Ferraccini de Florentia, & Paulo Ricciardi de Luca Ordinis Praedicatorum, & discretis viris Andrea Johannis de Viterbio Rectore Ecclesiae S. Stephani de Scorno Pisanae Dioecesis, Magistro Casali de Capitegaveri Notario, Michaele quondam Bini de Saltarellis & Michelone filio Vannis de Florentia ad haec vocatis specialiter & rogatis.

Ego Dietifeci filius Ser Michaelis de Gangalandi Clericus Florentinae Dioecesis publica Apostolica, & Imperiali authoritate Notarius, eademque Imperiali Judex Ordinarius, & nunc dicti domini Archiepiscopi Scriba publicus praedictis commissioni, & omnibus, & singulis superscriptis, una cum praefatis testibus dum agerentur interfui, eaque de mandato dicti domini Archiepiscopi scripsi, & in hanc formam publicam cum soliti signi mei appositione redego.

XII.

Simon Commiſſarius Apoſtolicae Sedis renuntiatus mittit ad plures Umbriae Epiſcopos Benedicti XII., ejuſque deceſſoris Joannis litteras, quibus eis jubetur, ut Deum rogarent, & alios ad illum rogandum adducerent pro recuperanda Terra Santa.

Tom. VII. Apographorum num. 1558.

R*Everendis in Chriſto patribus dominis Eugubino* (1), *Nucerienſi* (2), *Peruſino* (3), *Aſſiſienſi* (4), *Fulginati* (5), *Tudertino* (6), *Spoletano* (7), *&* *Iteramnenſi* (8) *Epiſcopis frater Simon Dei, & Apoſtolice Sedis gratia Sanctae Piſanae Eccleſiae Archiepiſcopus ad ſuſcripta nuper a Sede eadem Apoſtolica Commiſſarius ſpecialiter deputatus ſalutem in Domino. Noveritis nos a Sanctiſſimo* Anno 1335.
in

(1) Petro Gabriellio Eugubii nato, de quo videndus eruditiſſimus Sartius *in Epiſcopis Eugubinis pag.* 185.
(2) Beato Alexandro Vinciolo de Ordine Fratrum Minorum, cujus meminit celeberrimus Papebrochius *T. I. Maii Bollandiani ad diem 3. in Append. pag.* 777.
(3) Fratri Hugolino Patria Eugubino antea Abbati Sancti Petri de Peruſia Ordinis Sancti Benedicti.
(4) Conrado, qui ex Canonico Peruſino in Epiſcopum electus eſt.
(5) Paullo Nallio e gente Trincia.
(6) Raynutio de Aptis.
(7) Fratri Bartholomaeo Ordinis Minorum patria Florentino Petri Gualterotti ex nobiliſſimis Comitibus Vernii, & Petrae Helenae de Villanis filio.
(8) Neſcio an hic Interamnenſis Epiſcopus fuerit Gregorius de Gregoriis, an Thomas ejus ſucceſſor, ſiquidem Pontificum Interamnenſium ſeries non multum accurata eſt apud Ughellium.

in Christo patre, & domino domino nostro Benedicto Papa XII. quinque Apostolicas licteras recepisse non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, sed omni vitio, & suspitione carentes, quamlibet vera, & consueta Papali Bulla plumbea pendenti in filo canapis communitam, quarum quinque Apostolicarum licterarum una a praefato domino nostro domino Benedicto Summo Pontifice directè nobis dirigitur, aliae vero quatuor licet per eumdem dominum nostrum Summum Pontificem sint nobis transmissae tamen a felicis recordationis domino Johanne Papa vigesimo secundo transmittebantur Reverendo in Christo patri domino Johanni (1) *Sancti Theodori Diacono Cardinali tunc Apostolicae Sedis Legato, ac venerabilibus fratribus universis Episcopis infra ejusdem tunc Legati Legationis terminos constitutis, quarum tenores, & continentiae licterarum infra seriosius annotantur.*

Benedictus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Pisano, & universis Episcopis exemptis per Tusciam, & terras Ecclesiae Romanae immediate subiectas constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad eripiendam terram sanctam Redemptoris nostri cruore praetiosissimo rubricatam de foedorum Agarenorum vivificae Crucis hostium, qui eam viriliter conculcatam infeliciter detinent faucibus, piae memoriae Johannes Papa XXII. praedecessor noster fervidum gerens devote intentionis affectum, & clementer annuens carissimo in Christo filio nostro Philippo (2) *Regi Franciae illustri, qui zelo fidei, & devotionis accensus cupiebat, prout cupit in manu forti, & brachio excelso ad terram praefatam personaliter transfretare ad illatas Redemptori praedicto iniurias ulciscendas, dum idem praedecessor noster olim hujus vitae*

stadio

(1) Cajetano Ursinio, qui pluribus Legationibus functus anno 1339. decessit. Oldoinus *T. II. col.* 414.

(2) Valesio Rege Galliae renuntiato anno 1328.

stadio ad consumationem tenderet sui cursus, de fratrum suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio solepmniter super hoc adhibito indixit ad dictam terram passagium generale, certum ad id terminum statuendo, & etiam designando, ac eundem Regem ipsius passagii, ac totius exercitus Christiani, qui transfretabit in illo constituit Rectorem, & Capitaneum generalem, multaque alia salubriter, & utiliter de praefato consilio auctoritate Apostolica ordinavit in fulcimentum passagii praelibati, & inter illa videlicet contra eosdem Agarenos verbum Crucis cum certis gratiis, & indulgentiis consuetis cunctis Christi fidelibus praedicari, & prudenter attendens prosecutionem tanti negocii ejusdem passagii massimis subventionibus, auxiliis necessario indigere, omnium Ecclesiasticorum redditunm, & proventuum decimam per universas mundi partes ordinibus voluntaribus, & certis aliis personis exceptis duxit usque ad certi temporis spatium, sive terminum, & in dictae terrae subsidium, aliasque contra inimicos Catholicae fidei convertendam, & nonnulla alia ejusmodi negotium tangentia pie, ac salubriter ordinavit, prout in quibusdam praedecessoris ejusdem inde confectis litteris dilecto filio Johanni S. Theodori Diacono Cardinali tunc in illis partibus Apostolicae Sedis Legato, ac venerabilibus fratribus vestris universis Episcopis exemptis infra Legationis, quae tunc temporis durabat ejusdem Cardinalis constitutis terminos directis plenius continetur. Cum autem dictus Cardinalis nondum sibi praefatis litteris praesens fuerit, hujusmodi terminos ipsius Legationis egressus, & ad Curiam Romanam redierit, nos, quod super praedictis per eundem praedecessorem tam celebriter, & pie, quam laudabiliter, & meritorie actum est, prosequi favorabiliter, & effectualiter intendentes fraternitati tuae per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus forma dictarum li-

cterarum, prout explicatur in eis, quas tibi trasmictimus per praesentium portitorem exacta diligentia observata, tu prout per ipsum praedecessorem in ipsis litteris Cardinali mandabatur eidem, & dicti Episcopi super eis per dictas litteras ipsis etiam de mandatis, procedatis juxta continentiam earumdem, ita quod praeter eternae retributionis praemium tu, & iidem Episcopi apud nos, & eamdem sedem de obedientiae virtute commendari evidenter, & rationabiliter valeatis. Datum Avinione II. Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno primo.

Johannes Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni S. Theodori Diacono Cardinali Apostolicae Sedis Legato, & venerabilibus fratribus universis Episcopis exemptis infra Legationis ejusdem Legati terminos constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem. Pridem ad supplicem precum instantiam carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciae illustris ultramarinum generale passagium de consilio fratrum nostrorum indiximus, & illius, ac totius exercitus Christiani, qui transfretabit in eo Regem praefatum Rectorem constituimus, & Capitaneum generalem, & nihilominus verbum Crucis cum certis gratiis, & indulgentiis cunctis Christi fidelibus generaliter mandavimus praedicari, prout haec, & alia multa pro ejusdem passagii prosecutione felici per nos salubriter ordinata in nostris aliis inde confectis litteris seriosius continentur. Verum desiderantes intensè, quod cujusmodi negotium optatum sortiatur effectum, & ejusdem Regis, ac aliorum Christi fidelium pia devotio orationum adiuta suffragiis circa prosecutionem ipsius negotii efficacius roboretur, de dictorum fratrum consilio duximus ordinandum, ut in singulis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis, & Parrochialibus Ecclesiis qualibet hebdomada semel certa die pronuntianda populo, una Missa pro liberatione dictae terrae de manibus hostium perfidorum, praefata prosecutione duran-

durante, cum infrascriptis Orationibus solemniter celebretur. Ita quod in prima de Trinitate, in secunda de Cruce, & in tertia hebdomadis de Beata Maria Virgine, & sic deinceps Missae ejusmodi debeant celebrari, nisi forsan id festivitatis alicujus solemnitas impediret, quo casu post Orationes festi ordine suo semel in ebdomada dicantur Orationes ejusmodi, ut praefertur. Cunctis quoque fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui durante prosecutione dicti negotii pro ipsius consumatione felici devote preces ad Dominum effuderint, decem dies, videlicet singulis diebus, quibus oraverint, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Predictae autem Orationes sunt istae:

Deus, qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, ut terram, quam Unigenitus tuus proprio Sanguine consecravit, de manibus inimicorum Crucis eripias, & eam in Christiana religione tuo nomini servire concedas. Per eundem &c. &c.

Oratio secunda.

Sacrificium Domine, quod immolamus, intende, ac propugnatores tuos ab hostium malignitate custodias, & in tuæ protectionis securitate conserves.

Alia Oratio post Communionem.

Protector noster aspice Deus, & fideles tuos ab hostium defende periculis, ut ab omni perturbatione semoti libera tibi mente deserviant. Per Dominum &c.

Ad haec ut eujusmodi sanctum negotium piis fidelium eleemosinis promptius, & plenius adiuvetur, voluimus, & ordi-

ordinavimus, ut in singulis Cathedralibus, Collegiatis, Parrochialibus Ecclesiis singuli trunci concavi ponantur tribus clavibus consignati, prima videlicet penes Episcopum loci, secunda in qualibet Cathedrali Ecclesia penes eum, qui in illa majorem post Episcopum dignitatem habuerit, in aliis vero Ecclesiis penes cujuslibet earundem Praelatum, seu Rectorem, aut Sacerdotem, & tertia penes aliquem vitae probatae laicum conservandis, & in eis fideles Christi, juxta quod Dominus mentibus eorum inspiraverit, suas eleemosinas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur. Quocirca vobis, fratres Episcopi, per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris Civitatibus, & Dioecesibus ordinationes nostras cujusmodi diligenter servetis, & faciatis ab aliis observari. Pecuniam quoque in truncis reponendam praedictis illi, vel illis, qui ad id per sedem Apostolicam deputati extiterint, assignetis, seu faciatis fideliter, & integraliter assignari. Verum quia presentes litterae vestrum singulis, fratres Episcopi, nequirent propter viarum discrimina, vel alia impedimenta legiptima forsan commode praesentari, volumus, quod per te, fili Legate, dictarum litterarum transumptum manu publica scriptum, tuoque communitum sigillo vestrum singulis, fratres Episcopi, transmittatur, cui adhiberi per vos volumus velud originalibus plenam fidem. Datum Avinione VII. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno decimo septimo.

Tres alias Joannis litteras omittimus, siquidem earum una ab Ughellio publicata est; ceterae duae idem ferme continent.

Datum Pisis Archiepiscopali palatio die decima . . . anno verò Dominicae Incarnationis millesimo trecentesimo trigesimo sexto secundum cursum, & consuetudinem Pisanorum.

XIII.

XIII.

Jubet Simoni, ut litem decidat, quam Abbas Monasterii S. Bartholomaei de Fossato habebat cum Episcopo Sagonensi in Corsica.

Ex eodem Tomo num. 1567.

B*Enedictus Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii . . . Abbas, & Conventus Monasterii Sancti Bartholomaei de Fossato Ordinis Vallis Umbrosae Januensis Dioecesis petitione monstrarunt, quod licet Ecclesia Sancti Petri de Lumio de Dioecesi Aleriensi dumtaxat existeret, ipsique eamdem Sancti Petri, ac Sancti Chilici de Alcha, & Sancti Johannis de Calvi Parochiales Ecclesias Sagonensis Dioecesis in proprios usus canonice obtinerent, prout obtinent, & tam ipsi, quam praedecessores eorum Ecclesias ipsas in ejusmodi usus obtinuissent pacifice, & quiete, a tempore cujus contrarii memoria non existit, faciendo eisdem Ecclesiis deserviri per idoneos perpetuos Vicarios seculares curam gerentes Parrochianorum Ecclesiarum earumdem, tamen venerabilis Frater noster Episcopus* (1) *Sagonensis, qui praedictam Ecclesiam* Anno 1336.

(1) Jacobus, ut inferius in his Benedicti litteris. Hic erat de Ordine Fratrum Minorum, & Episcopus renuntiatus fuit anno 1331. octavo calendas Octobris, quemadmodum liquet ex diplomate Joannis XXII. apud Waddingum *T. VII. Annal. Minorum in Regesto Pontif. num.* 137. *pag.* 434. Ferdinandus Ughellius *T. III. col.* 518. non modo de Jacobo, verum etiam claris, apertisque monumentis innixus de decessoribus ejus, qui per 30. fere annos Ecclesiam Sagonensem gubernarunt, mentionem facit. Quocirca aqua mihi haeret in decernendo, ad quem annum referendus sit Vincentius memoratus in his, quas exhibeo, tabulis ex *T. VI. apographorum num.* 1525. „ In Jesu Christi nomine „ amen.

siam Sancti Petri de praedicta Sagonensi Dioecesi existere minus veraciter asserebat, praedictos Abbatem, & Conventum

„ amen. Ex hoc publico instrumento pateat universis, qualiter Reverendus in Christo pater, & dominus, dominus Frater Simon Dei, „ & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus, „ audita petitione Coscii filii Bindi Lotarii de Covinaria Plebatus Plebis de Rivuli Pisanae Dioecesis, qua continetur, quod ipse Coscius „ desiderans adscribi militiae Clericali, dicto domino Archiepiscopo „ tunc in remotis agente, se fecit a domino *Vincentio Episcopo Sagonense* tunc excommunicato, ac excommunicationis vinculo irretito, „ & hoc dicto Coscio tunc penitus ignorante, & jurante ad Sancta „ Dei Evangelia, se ignorasse tunc dictum Episcopum esse excommunicatum, ad primam Clericalem Tonsuram, & ad duos minores Ordines promoveri; unde cum ipse Coscius non possit absque dispensatione in sic susceptis Ordinibus ministrare, praefato domino Archiepiscopo ipse humiliter supplicavit, ut sibi super hoc de opportuno remedio provideret, Attendens igitur idem dominus Archiepiscopus simplicitatem, ac ignorantiam dicti Coscii, qui non ex malitia, sed ex simplicitate, & ignorantia praedicta commisit, ut est „ dictum, sua auctoritate ordinaria cum eodem Coscio in praemissis „ misericorditer dispensavit, quod non obstante defectu praedicto, videlicet quod ipse Coscius sine litteris commendatitiis dicti domini Archiepiscopi Dioecesani sui se fecit per non suum Episcopum, & etiam per Episcopum excommunicatum, quamvis ignoranter, *ad dictos* Ordines promoveri, non obstante aliquo jure, super *quo* idem „ dominus dispensare valeat. Actum Pisis in Palatio Archiepiscopali, „ & in curia suprascripti domini Archiepiscopi praesentibus Ser Petro „ condam Pinochii Notario Pisano Cive, Fratre Ilario Ordinis Praedicatorum, & Johannino condam Bonifatii de Mutina familiaribus „ praedicti domini Archiepiscopi ad haec vocatis, & rogatis testibus, „ Dominicae Incarnationis anno millesimo trecentesimo tricesimo quarto, Indic. secunda, die vigesimo primo mensis Martii secundum „ cursum Pisanorum. Et ego Andreas condam Johannis Marchidossi „ Clericus Viterbiensis Imperiali auctoritate Notarius publicus, & nunc „ ipsius domini Archiepiscopi Scriba dispensationi, ac omnibus supradictis, una cum testibus praenominatis interfui, eaque de mandato „ praefati domini scripsi, & in publicam formam redegi „. Ex monumento, quod est *Protocollo num. 1. litt. A. fol. 115.* liquet, Guilelmum Dulcinum Procuratorem generalem Ordinis Praedicatorum anno 1330. die 8. mensis Februarii potestate sibi a Summo Pontifice facta absolvisse Petrum Pisanum filium Bartholomaei de Sismundis ab excommunicatione, & aliis poenis, in quas inciderat, quoniam *tempore, quo Pisana Civitas erat supposita Ecclesiastico interdicto primam Clericalem Tonsuram, & quatuor minores Ordines ignoranter ab domino . . . . Episcopo Sagonensi acceperat*. Nullus dubito, quin Episcopus hic sit Vicentius superius laudatus, qui Pisis commorans postquam huc accesserat Ludovicus Bavarus, Sacram Ordinationem habuit.

tum eo praetextu indebite perturbabat, & molestabat, quominus Ecclesias ipsas possent in ejusmodi usus pacifice obtinere, & possidere, & eis per dictos Vicarios facere deserviri, etiam Parrochianos dictarum Ecclesiarum quia Abbatis, & Conventui praedictis in juribus Parrochialibus dictarum Ecclesiarum parebant, & intendebant generaliter excomunicando, & faciendo excomunicatos publice nunciari in ipsorum Abbatis, & Conventus praejudicium, & gravamen; praefati Abbas, & Conventus fecerunt eumdem Jacobum Episcopum eis super praemissis de justitia responsurum coram... Auditore Generali causarum Curiae venerabilis Fratris nostri Bertrandi Episcopi Ostiensis, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis Legati suae Legationis auctoritate ad judicium evocari. Sed quia praefatus Legatus, postquam aliquandiu coram dicto Auditore in ejusmodi causa inter dictas partes processum fecerat, fines fuerat suae Legationis egressus, causa hujusmodi alteri non commissa, & eadem causa remanserat indecisa in eorumdem Abbatis, & Conventus praejudicium, & gravamen; praefati Abbas, & Conventus felicis recordationis Johannis Papae XXII. praedecessoris nostri ad Plebanum Plebis de Aregno de Balagna dictae Aleriensis Dioecesis sub ea forma litteras impetrarunt, ut si esset ita legittime coram eodem Auditore in eujusmodi causa, habito servato processu, audiret causam, & quod justum foret, appellatione remota, decerneret auctoritate dicti praedecessoris firmiter observari, dictique Abbas, & Conventus fecerunt eumdem Episcopum Sagonensem auctoritate dictarum litterarum coram dicto Plebano ad judicium evocari. Verum quia idem Plebanus ex arrupto sine aliqua causae cognitione, sententialiter, perperam, & inique praefatas Ecclesias cum omnibus decimis, & juribus adjudicavit Episcopo Sagonensi praedicto, pro parte dictorum Abbatis, & Conventus sentientium exinde indebite se gravari ad Sedem praefatam extitit appellatum. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta

pta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerant evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod Canonicum fuerit, appellatione remota, decernas (1), faciens, quod decreveris

(1) Simon sententiam tulit pro Abbate Monasterii Sancti Bartholomaei, sed hanc, Joanne Scharlatti Ecclesiam Pisanam gubernante, anno circiter 1351. contempsit Bernardus Episcopus Sagonensis, ut manifestum ex his tabulis „ Laurentius de Bononia Plebanus Plebis Sancti Petri de „ Romena Fesulanae Dioecesis Reverendi in Christo patris, & domini „ Joannis Divina gratia Sanctae Pisanae Sedis Archiepiscopi Vica„ rius in spiritualibus generalis; venerabili in Christo Patri domino „ Bernardo Dei gratia Episcopo Sagonensi suprascriptae Pisanae Eccle„ siae suffraganeo, nec non venerabili viro . . . . Plebano Plebis de „ Vico Sagonensis Dioecesis Vicario suprascripti domini Episcopi, & „ cuilibet alii ejus Vicario, & vices gerenti salutem in Domino. Re„ colimus vobis domino Episcopo supradicto, & dicto Plebano Vicario „ vestro per alias nostras certi tenoris licteras scripsisse ad petitionem „ Ligi Notarii condam Baldi de Sancto Cassiano Sindici, & Procura„ toris venerabilis viri donni Fratris Mathaei Abbatis Monasterii San„ cti Bartholomaei de Fossato, Januensis Dioecesis Sindicatus, & procu„ ratorio nomine pro dicto Abbate, & vos monuisse gradatim sub „ poenis suspensionis, interdicti, & excomunicationis, & sub aliis poe„ nis, quod vos sententiam latam per Reverendum patrem, & do„ minum dominum Fratrem Simonem olim Pisanum Archiepiscopum „ tam auctoritate ordinaria, quam delegata, & arbitraria observare „ deberetis, nec contra ipsam deberetis aliquid atemptare in praeju„ ditium dicti Abbatis, vel Rectoris, sive Vicharii Ecclesiae Sancti „ Johannis de Calvi, & etiam Ecclesiarum Sanctorum Quilici de Alca „ Sagonensis Dioecesis, & Petri de Lumio Aleriensis Dioecesis, de qui„ bus Ecclesiis in praedicta sententia plenius continetur; vos vero „ non obstantibus licteris supradictis vobis praesentatis per suprascri„ ptum donnum Abbatem, & ejus Vicarium non cessastis, nec cessa„ tis in praedictis Ecclesiis, & earum decimis perturbare, propter „ quod dictus Ligius dicto nomine coram nobis comparuit, & de prae„ dictis querelam exposuit, petens, ut contra vos, qui contra prae„ dictam sententiam veneratis, procedere deberemus, & etiam quen„ dam libellum sindicatus, & procuratorio nomine pro dicto donno „ Abbate porrexit, & exibuit in haec verba: Coram vobis vene„ rabili viro domino Laurentio de Bononia Plebano Plebis Sancti Pe„ tri de Romena Fesulanae Dioecesis Vicario Reverendi in Christo „ patris, & domini domini Johannis Divina gratia Pisani Archiepis„ copi Ligus Notarius condam Baldi de Sancto Cassiano Vallis Arni „ Sindicus, & Procurator venerabilis viri donni Fratris Mathaei Ab„ batis Sancti Bartholomaei de Fossato Januensis Dioecesis Sindicatus, „ & procuratorio nomine proponit contra Reverendum patrem domi„ num Bernardum Episcopum Sagonensem Insulae Corsicae, suffraga„ neum dicti domini Pisani Archiepiscopi, & contra Plebanum Plebis „ de

veris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel timo-

„ de Vico Sagonensis Diocesis ejusdem domini Episcopi Sagonensis Vi-
„ carium quod cum inter ipsum Abbatem, & Conventum pro dicto
„ Monasterio suo ex parte una, & Reverendum patrem dominum Ja-
„ cobum olim Episcopum Sagonensem pro se ipso, & dicto Episco-
„ patu ex altera, quaestio verteretur, & exorta fuisset coram Reve-
„ rendo patre domino Fratre Symone Divina gratia olim Pisano Ar-
„ chiepiscopo Apostolicae Sedis Legato super Ecclesiis Sancti Petri de
„ Lumio Aleriensis Dioecesis, & Sancti Quilici de Alcha, & Sancti
„ Johannis de Calvi Parrocchialibus sitis in Dioecesi Sagonensi, & ea-
„ rum juribus, & pertinentiis, demum in dictum Reverendum patrem
„ dominum Symonem Archiepiscopum supradictum sub poena floreno-
„ rum centum auri boni, & justi ponderis per dictas partes extitit
„ compromissum, ut latius patet instrumento publico inde confecto manu
„ Bartholomei filii condam Angeli dicti Cagnassi Civis Pisani Impe-
„ riali auctoritate Notarii, & Pisanae Archiepiscopalis Curiae scribae;
„ qui Reverendus dominus Archiepiscopus de dicta quaestione cogno-
„ scens tam auctoritate ordinaria, quam delegata, quam vigore dicti
„ compromissi pronuntiavit, & mandavit dicto domino Fratri Jacobo
„ olim, & tunc Episcopo Sagonensi, ut de cetero per se, vel alium,
„ seu alios non turbaret, vel molestaret dictos Abbatem, & Conven-
„ tum in possessione suprascriptarum Ecclesiarum Sanctorum Petri,
„ Quilici, & Johannis, eorumque bonorum spiritualium, & tempora-
„ lium, ac jurium, actionum, & nominum, sed fineret ipsos Abba-
„ tem, & Conventum, ac Monasterium, eorum Vicarios, ipsas Ec-
„ clesias, bona, decimas, jura, actiones, & nomina habere, & te-
„ nere quiete, ac pacifice possidere, & si quam detemptationem, aut
„ possessionem inde haberet, ei restitueret, & in pace dimitteret, &
„ haec mandavit, sententiavit, pronuntiavit, sub pena in dicto com-
„ promisso contenta, ut haec latius patent publico instrumento di-
„ ctae sententiae inde confecto manu dicti Ser Bartholomaei, quam
„ quidem sententiam dictae partes acceptaverunt, & ratificaverunt
„ expresse, & licet sic dictus dominus Archiepiscopus pronunciaverit,
„ sententiaverit, & fuerit arbitratus, tamen dictus dominus Bernar-
„ dus contra dictam sententiam veniens, ipsam sententiam observare
„ contempsit, & contempnit, petendo a Parrocchianis dictae Eccle-
„ siae Sancti Johannis de Calvi sibi solvi, & dari decimas, & contra
„ eos procedendo ad excomunicationis sententiam, & alias contra for-
„ mam dictae sententiae arbitrariae predictae, & super praedictis, &
„ aliis juribus dicto Monasterio Sancti Bartholomaei de Fossato, & Ab-
„ bati ipsius Monasterii competentibus indebite molestando, & prae-
„ cipiendo, seu praecipi faciendo Sacerdotibus, & Parrocchianis di-
„ ctarum Ecclesiarum, quod deberent de decimis eidem domino Epis-
„ copo Sagonensi, & non alii respondere, quodque iidem Sacerdotes
„ pro dicto domino Episcopo Sagonensi praefatas Ecclesias tenuerunt
„ tamquam unitas mensae suae, & etiam quod abstulit Vicarius ejus-

„ dem

re subtraxerint per censuram Ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avi-

„ dem domini Episcopi Sagonensis, seu Nuntius suus Nuntiis dicti domni Abbatis decimas, quas idem Abbas recollegi fecerat per dictos suos Nuntios a Parrocchianis Ecclesiarum praedictarum, quae fuerunt minae tres grani. Quare dictus Ligus dicto nomine agendo contra dominum Bernardum Episcopum Insulae Corsicae, & contra Plebanum de Vico Sagonensis Dioecesis ejusdem dict. Episcopi Sagonensis Vicharium, & quamcumque aliam personam legiptimam pro ipso domino Episcopo, petit dicto nomine ipsos sibi dicto nomine condempnari ad dictam penam florenorum centum auri boni, & justi ponderis, in quam incidit dictus dominus Episcopus Sagonensis; & ultra a dictis decimis eidem Abbati, & suo Monasterio ablatas per Nuncios dicti domini Episcopi Sagonensis, & ultra quod mandetur Sacerdotibus dictarum Ecclesiarum, & Parrochianis earum, quod pareant, & parere debeant, & responderent dicto Abbati in recognitione dictarum Ecclesiarum, & decimarum, & ipsas Ecclesias teneant, & tenere debeant pro dicto Abbate, & Monasterio suo, predicta petit omni jure, modo, & forma, quibus melius potest, & protestatur de expensis factis, & faciendis, & petiit, ut vos citari faceremus coram nobis eidem dicto nomine super dicto libello, & comprehensis in eo de justitia responsuros, & eidem dicto nomine volentes nos facere justitiae complementum per nostras litteras datas Pisis in Archiepiscopali Palatio die septima Maii *quinctae* indictionis citari fecimus pro primo, secundo, & tertio, ac *perhentorio* termino, quatenus infra unius mensis spatium a die praesentationis dictarum litterarum vobis tunc proxime computandum coram nobis Pisis in Archiepiscopali Palatio comparere deberetis dicto Ligo dicto nomine super dicto libello, & comprehensis in eo de justitia responsuri; & ad omnes, & singulos actus in dicta causa successive processuri usque ad diffinitivam sententiam, alioquin contra vos, & vestrum quemlibet super predictis procederemus, ut postularet ordo juris, & ad diffinitivam sententiam, vestri absentia non obstante, & vobis ulterius non citatis, quod facere neglexistis, & negligitis, & quod pejus est ipsum donnum Abbatem in praedictis Ecclesiis, & earum decimis contra dictam sententiam venientes temere, & indebite molestatis, super quibus omnibus dictus Ligus dicto nomine petiit a nobis sibi dicto nomine de opportuno remedio provideri. Nos vero volentes dicto Ligo dicto nomine reddere, & exhibere justitiae complementum licet vos possemus de jure de vestra inobedientia, & contemptu punire, & contra vos acrius procedere, tamen volentes rigorem juris cum quodam temperamento misericordiae temperare, vos tenore presentium citamus, requirimus, & monemus pro primo, secundo, & tertio perhentorio termino, quatenus a die presentationis praesentium vobis factae per publicum instrumentum infra quadraginta dies coram nobis Pisis in Archiepiscopali Palatio super dicto libello, & comprehensis in eo per

„vos

Actinione III. nonas Decembris Pontificatus nostri anno secundo. H 2 *Cle-*

,, vos, vel responsalem ydoneum comparere curetis eidem Ligo dicto
,, nomine de justitia responsuri, & ad omnes, & singulos actus in di-
,, cta causa successive processuri usque ad diffinitivam sententiam in-
,, clusive, alioquin contra vos, & vestrum quemlibet super predictis
,, procedemus quantum de jure poterimus, & debebimus, vobis ulte-
,, rius non citatis, mandantes vobis sub penis suspensionis, excomu-
,, nicationis, & interdicti successive gradatim, ne ipsum donnum Ab-
,, batem, vel ejus Vicarium, seu Vicarios, sive ejus Monasterium in
,, vel . . . . praedictis Ecclesiis, vel earum aliqui, sive super
,, decimis earumdem molestare debeatis, sed ipsum donnum Abba-
,, tem, & ejus Monasterium quiete, & pacifice dictas Ecclesias, & ea-
,, rum decimas possidere permittatis juxta sententiam praelibatam, &
,, omnia adimplere curetis, quae in dicta sententia plenius continen-
,, tur; & si aliquid de praedictis Ecclesiis, vel earum decimis . . . . .
,, accepistis per vos, vel alium, vel aliquid est acceptum de eisdem
,, dicto donno Abbati, vel ejus Procuratori legiptimo restituere pro-
,, curetis, monitiones, & mandata nostra taliter adimplentes, quod
,, contra vos non habeamus materiam acrius procedendi; has autem
,, litteras sigilli nostrae curiae appensione munitas ad cautellam in a-
,, ctis nostrae curiae fecimus registrari, de quarum praesentatione vo-
,, bis facta per publicum instrumentum petitionem dicti donni Abba-
,, tis, & ejus Procuratoris, sive alterius personae pro eo dabimus ple-
,, nam fidem. Datum Pisis in Archiepiscopali Palatio Dominice Incar-
,, nationis anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, indictione
,, quinta die undecima septembris. Qui Frater Paulus nomine, quo
,, supra, dicti venerabilis viri donni Fratris Mathaei Abbatis Monasterii
,, praedicti facta dicta praesentatione dictarum litterarum dicto Reve-
,, rendo patri domino Bernardo Episcopo Sagonensi, & ipsis eidem le-
,, ctis, & vulgarizatis, ut supra, denuntiavit, & protestatus fuit ei-
,, dem domino Episcopo Sagonensi praesenti, & audienti observan-
,, tiam literarum praedictarum in omnibus, & per omnia, ut in ipsis
,, litteris plenius continetur, requirens dictus Frater Paulus dicto no-
,, mine, quo supra, a dicto domino Episcopo Sagonense restitutionem
,, dictarum minarum trium grani, de quibus in litteris praedictis fit
,, mentio, de quibus omnibus, & singulis supradictis dictus Frater Pau-
,, lus nomine, quo supra, dicti donni Fratris Mathei rogavit me No-
,, tarium infrascriptum, ut conficerem praesens publicum instrumen-
,, tum in testimonium praemissorum. Acta sunt hec omnia in Castro
,, Calvi Insulae Corsicae supra speronum portus in domo condam Ju-
,, liani de Calvi, in qua habitat dictus dominus Episcopus anno Do-
,, minice Nativitatis millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, in-
,, dictione quarta secundum cursum Januae, die vigesima secunda se-
,, ptembris in vesperis. Testes dominus Johannes de Mari de Monelia
,, Potestas Calvi, & Balagnae, Pertrutius de Verrono de Calvi, Christia-
,, nus de Verrono habitator Calvi, & Facinus de Jerdona familiaris dicti
,, domini Potestatis. Ego Stephanus Savius de Petrabiscario Sacri Imperii
,, Notarius rogatus scripsi ,,. *Exstant hae tabulae T. X. apograph. n. 2029.*

suae providae circumspectionis industriam, & providentiam circumspectam defendetur a noxiis, & preservabitur ab adversis, & in eisdem spiritualibus, & temporalibus, auctore Domino, proficiet incrementis. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem electum tamquam patrem, & Pastorem animarum vestrarum suscipientes devote, ac debita honorificentia prosequentes, ipsius monitis, & mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis. Datum Avinione nonis Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

XV.

Commendat Dino Archiepiscopo Pisano Bernardum de Ordine Fratrum Minorum Antistitem Sagonensem in Corsica.

Ex eodem Tom. num. 1771.

Anno 1345. *CLemens Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri ... Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuae cedit salutis, & famae, si personas Ecclesiasticas praesertim Pontificali dignitate praeditas divinae propitiationis intuitu opportuni praesidii, ac favoris gratia prosequaris. Olim siquidem intellecto relatibus minus veris, quod Ecclesia Sagonensis per obitum bonae memoriae Pagani Episcopi Sagonensis, qui in partibus illis tunc decessisse dicebatur, erat Pastoris solatio destituta, nos eisdem relatibus fidem credulam adhiben-*

bentes, de venerabili Fratre nostro Bernardo (1) *Episcopo Sagonense Ordinis Fratrum Minorum professore in Sacerdotio constituto, cui de Religionis zelo, litterarum scientia, vitae, ac morum honestate, aliisque multiplicium virtutum meritis perhibentur testimonia fide digna, eidem Ecclesiae Sagonensi de Fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque ei prefecimus in Episcopum, & Pastorem* (2), *curam, & administrationem ipsius sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, & subsequenter per venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem apud Sedem Apostolicam sibi fecimus consecrationis munus impendi; & deinde comperto, quod dictus Paganus tempore provisionis nostrae hujusmodi in humanis agebat, idem Bernardus Episcopus sine Ecclesia remansit. Nuper autem veridicis relatibus intellecto, quod praefata Sagonensis Ecclesia per obitum dicti Pagani, qui post praemissa in eisdem partibus diem clausit extremum, erat Pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius Sagonensis Ecclesiae, ne prolixe vacationis remaneret exposita detrimentis, solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hoc cum dictis Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad eumdem Bernardum Episcopum consideratis praemissarum virtutum suarum meritis direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius Bernardi Episcopi*

(1) Hunc, quem Ughellius in Episcopis Sagonensibus *de Montesio*, & Waddingus *loco mox citando* vocat *de Monteto*, Antonius a Terrinca *in additionibus ad Theatrum Genealogicum Provinciae Tusciae pag. 281.* natione Etruscum dicit, natum scilicet in oppido Monteaereo Dioecesis Volaterranae, ubi PP. Franciscani Conventuales nunc etiam Monasterium habent.

(2) Anno 1345. die 9. mensis Junii, ut liquet ex Clementis litteris, quae incipiunt: *Militanti Ecclesiae &c.* apud Waddingum *T. VII. Annalium Minorum in Reges. Pontificio num. 44. pag.* 523. Idem ipse Waddingus, & Ughellius, qui litteras a nobis publicatas non viderunt, perperam ad eum annum referunt & Pagani mortem, & initium regiminis Ecclesiae Sagonensis penes Bernardum nostrum.

ſcopi ipſi Eccleſiae Sagonenſi de praedictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica duximus providendum, ipſumque illi praefecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius ſibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus ſuos, praefata Sagonenſis Eccleſia per ſuae induſtriae, ac circumſpectionis fructuoſum ſtudium regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, auctore Domino, ſuſcipiet incrementa. Cum igitur ut idem Bernardus Epiſcopus in commiſſa ſibi Eccleſiae Sagonenſis praedictae cura facilius proficere valeat, tuus favor ſibi eſſe noſcatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attentè per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus Epiſcopum, & Eccleſiam Sagonenſem praedictos jure Metropolitico tibi ſubiectos habens pro noſtra, & ipſius ſedis reverentia propenſius commendatos, ipſum in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic tui favoris praeſidio proſequaris, quod ipſe tuo fultus auxilio in commiſſo ſibi Eccleſiae Sagonenſis praefate regimine ſe poſſit utilius exercere, tuque divinam miſericordiam, & benevolentiam dicte Sedis exinde uberius valeas promereri. Datum apud Villamnovam Avinionenſis Dioeceſis XII. calendas Julii Pontificatus noſtri anno quarto.

XVI.

XVI.

Dino Archiepiscopo defuncto Clemens VI. in ejus locum subrogat Joannem Scarlattum antea Coronensem Antistitem electum.

Tom. IX. n. 1933.

CLemens Episcopus &c. ut in litteris ejusdem Pontificis n. XIII. *Credite nobis dispensationis urgemur officio, ut qui dispositione Divina cunctis Ecclesiis potestatis plenitudine praesumus singularum utilitatibus, cum possumus, sic prospiciamus solicite, sic vigilanter, & salubriter intendamus, ut per nostrae operationis studium &c. Dudum siquidem, videlicet 16. calendas Martii Pontificatus nostri anno secundo ex certis rationabilibus causis provisiones omnium, & singularum Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum in Mediolanensi, Ravennati, Pisana, & Januensi Civitatibus, ac Provinciis consistentium tunc vacantium, & quae usque ad biennium ex tunc in antea computandum vacare contingeret, ordinationi, & dispositioni nostrae, ac Sedis Apostolicae duximus reservandas &c. Et deinde fine dicti biennii tunc instante, nos similibus causis inducti reservationem, & decretum praedicta usque ad aliud biennium ex tunc futurum, & subsequenter cum finis hujusmodi biennii tunc instaret, ad duos annos a fine dicti secundi biennii ex tunc in antea computandos auctoritate Apostolica modo, & forma praemissis duximus proroganda. Postmodum vero Ecclesia Pisana per obitum bonae memoriae Dini Archiepiscopi Pisani, qui in partibus illis infra tempus ultimae proroga-* Anno 1348.

tionis nostrae praedictae decessit, pastoris solatio &c. Demum ad dilectum filium Johannem nunc Pisanum, tunc Coronensem electum, consideratis &c. Intendentes igitur tam dictae Pisanae Ecclesiae, quam ejus gregi Dominico salubriter providere, eundem Johannem electum a vinculo, quo Coronensis Ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de eorumdem fratrum consilio, & Apostolicae potestatis plenitudine absolventes praefatum Johannem electum in Diaconatus Ordine constitutum ad dictam Pisanam Ecclesiam transtulimus, ipsumque illi praefecimus in Archiepiscopum, & pastorem, curam &c.

Datum Avinione V. calendas Julii Pontificatus nostri anno septimo.

XVII.

Leonardus Pontificis Pisani Vicarius illius nomine scribit ad Joannem Franciscanum, ut ab excommunicatione solutos declaret quosdam Presbyteros Dioecesis Sagonensis in Corsica. Joannes ipse mandata Leonardi faciens pessime tractatur a Bernardo ejusdem Dioecesis Episcopo.

Tom. X. num. 1991.

Anno 1353. *LEonardus de Casulis Rector Ecclesiae Sanctae Mariae Ughi de Florentia Reverendi in Christo patris, & domini domini Joannis Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae sedis Archiepiscopi totius Sardineae Primatis, & Apostolicae Sedis in ea Legati Vicarius in spiritua-*

ritualibus generalis religioso viro Fratri Johanni (1) *Ordinis Fratrum Minorum ipsorum Fratrum in Insula Corsicae Vicario generali salutem in domino. Noverit vestra prudentia, quod cum dudum Reverendus in Christo pater, & dominus noster Joannes Archiepiscopus suprascriptus a Presbytero Johanne Rectore Ecclesiae Sancti Johannis de Calvi, & Presbytero Nuto Rectore Ecclesiae Sancti Quilici de Alcha Sagonensis Dioecesis quaerimoniam receperit continentem, quod Reverendus in Christo pater dominus Frater Bernardus Dei gratia Sagonensis Episcopus, praedictos Presbyteros indebite inquietaret, & molestaret super decimis, quas dicti Presbyteri a suis Paroccbianis, & de suis Parocbiis elevabant, dicens dictas decimas sibi, & Ecclesiae Sanctae Mariae suae mensae unice debitas, quas quidem decimas praedicti Presbyteri Johannes, & Nutus ad se, & suas Ecclesias asserebant spectare de jure, & quod dictus dominus Episcopus praedictis Presbyteris Johanni, & Nuto comminaretur, quod si dictas decimas elevarent, contra eos excommunicationis sententiam promulgaret, & eorum Ecclesias Ecclesiastico supponeret interdicto: iidem Presbyteri Johannes, & Nutus praedicto Reverendo Patri, & domino domino nostro Archiepiscopo humiliter supplicaverunt per eum, & ejus curiam de opportuno remedio provideri. Quapropter Reverendus pater, & dominus dominus*

(1) De Joanne altissime silent Annales Waddingiani. Ex his tabulis compertum est medio seculo decimo quarto plura Franciscanorum Monasteria in Corsica extitisse. Quando hac in Insula habitare illi coeperint, non constat. Certum tamen est, id non accidisse ante annum 1331., ut ut contra asserat Lucas Waddingus *T. VII. ad eum annum n.* 21.; eo enim anno Joannes XXII. scribens (litterae apud Waddingum *T. cit. in Regesto Pontif. num* 138.) ad Praefectos Praedicatorum Franciscanorum, Augustinianorum, & Carmelitarum Ordinibus, ut viros idoneo in Corsicam mitterent ad instruendos fide Catholica ejus Insulae populos, quos idem ipse Summus Pontifex dicit *seminudos*, *rudes*, & *habetes, utpote minus sufficienter informatos in illa*; asserit nullum in eadem Insula tunc fuisse Monasterium praeter unum Dominicanorum in Castro Bonifacii.

Archiepiſcopus antedictus, ſupradicto domino Epiſcopo Sagonenſi dedit ſuis litteris in mandatis, quod contra dictos Presbyteros Joannem, & Nutum, ſeu eorum Parochianos occaſione dictarum decimarum ſine cauſae cognitione, & juris ordine non ſervato, & non cognito per dictum dominum Archiepiſcopum, vel ejus curiam de jure utriuſque partis nullam faceret novitatem. Nuper autem a praedicto presbytero Johanne querelam recepimus, quod ſupradictus dominus Bernardus Epiſcopus Sagonenſis ſpraetis, & contemptis litteris, & mandatis domini Archiepiſcopi antedicti, & juris ordine non ſervato, & contra omne debitum rationis occaſione decimarum praedictarum eidem domino Epiſcopo non ſolutarum in praedictos Presbyteros Johannem, & Nutum, & quamplures eorum Parochianos excommunicationis ſententiam, ſi ſic poteſt dici promulgavit, & eorum Eccleſias Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, ſuper quibus petiit a nobis eiſdem per opportuna remedia provideri, & eoſdem ad cautelam abſolvi ab excommunicationis vinculo ſupradictae, & tolli de facto, prout de ſupraſcripto proceſſit interdictum, de quo ſupra fit mentio, & eoſdem abſolutos denuntiari mandare, & ab eiſdem Eccleſiis ſublatum fuiſſe, & eſſe interdictum praedictum. Nos igitur ſupplicationibus Presbyteri Johannis tamquam juſtis ex noſtri Officii debito inclinati dictum Presbyterum Johannem ad cautelam abſolvimus ab excommunicatione praedicta, vobis tenore praeſentium auctoritate Vicariae, qua fungimur, committentes, quod ſi eſt ita, prout praedictum Presbyterum Johannem, & ut nobis ſuperius eſt expreſſum, eumdem Presbyterum Johannem ex noſtri parte abſolutum coram populo denuntiare curetis, & praedictum Presbyterum Nutum, & quoſcumque alios Parochianos eorundem a praedicta excommunicatione auctoritate noſtra abſolvere procuretis, & interdictum ab eiſdem Eccleſiis auctoritate relaxare praedicta. Volumus etiam, & vobis praeſentium teno-

tenore committimus, quod supradicto domino Episcopo Sagonensi quicquid per nos factum est, ut superius est expositum notificetis, & eumdem super praedictis declaretis nihilominus ex parte nostra, eumdem monendo & citando, quod si ex praedictis, vel aliquo praedictorum se senserit aggravari coram nobis infra quadraginta dies proximos a notificatione praesentium, & monitione, & citatione per vos eidem fiendis debeat legittime comparere, ostensurus de suo gravamine, & jure suo, si quod habeat in decimis praedictis & recepturus super eisdem a nobis justitiae complementum. Has autem litteras ad cautelam in actis nostrae curiae registratas sigilli nostrae curiae fecimus impressione muniri, de quarum litterarum notificatione, monitione, & citatione instrumento publico, vel duobus testibus dabimus plenam fidem. Datum Pisis in Arebiepiscopali Palatio die quartadecima Januarii sextae indictionis.

In nomine Domini amen. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, die sabbathi vigesimo septimo mensis Januarii. Cum Religiosus Frater Johannes Ordinis Fratrum Minorum ipsorum Fratrum in Insula Corsicae Vicarius generalis, habuerit in mandatis a Reverendissimo in Christo patre, & domino domino Johanne Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Sedis Archiepiscopo citandi, monendi, ac litteras praesentandi Reverendo in Christo patri domino, Fratri Bernardo Dei gratia Sagonensi Episcopo per eumdem dominum Archiepiscopum antedictum eidem Fratri Johanni commissas, vel per sapientem virum dominum Leonardum de Casulis Vicarium praedicti domini Arebiepiscopi, ut in praedictis litteris sigillatis cum duobus sigillis continebatur. Qui praedictus Frater Johannes ob reverentiam Sedis Apostolicae diligenter praedictas citationes, monitiones, seu litteras appresentavit die suprascripto personaliter praedicto domino Episcopo in Ecclesia S. Nicholai

Epi-

Episcopatus praedicti coram testibus infrascriptis. Qui praedictus Episcopus contumeliosè, & iniuriis, oprobriis, & gravaminibus, & minis praedictum Fratrem Johannem lacerare non dubitans, cum exacerbatuus, clamoribus, & inportabilibus respondit Episcopus antedictus litteras praedictas fore falsas, & de eisdem dominum Archiepiscopum praedictum nihil scire, & quod dominus Leonardus Vicarius antedictus quod sit Vicarius nihil ei constat, & quod interdictum dictarum litterarum auctoritate non est relaxatum, nec potuit relaxari etiam nec per dominum Archiepiscopum suprascriptum, & quod Presbyteri Johannes, & Nutus nequaquam sunt absoluti, nec absolvi potuerant per aliquem infra Papam, cum interdictum sit Papale per dominum Johannem Papam, & inferiorem eo non potuerit relaxari. Item rapuit litteram furiose de manibus mei Notarii infrascripti actu legentis, & publicantis, vel notificantis domini Archiepiscopi litteras memoratas, nec permisit quod legerentur ex eis septem lineae ad perfectum, praecipiendo exiret domo, vel de Ecclesia praedictus Frater Johannes praedictarum portitor litterarum, & quod ex tunc Fratres Minores in toto Episcopatu suo aliquam confessionem non audiant, nec etiam coram populo audeant proponere verbum Dei, quorum contrarium est sancitum in Apostolicis institutis, & reputat quod praedictus Frater Johannes est excommunicatus propter notificationem praedictarum litterarum pro eo, quod inventus est favorabilis occupantibus decimas Episcopatus praedicti. Addidit insuper, quod propter litteras praedictas interdictum non tollitur, & quod vult, quod servetur, & quod tam Fratres Minores, quam praedicti Presbyteri interdictum auctoritate domini Archiepiscopi antedicti non servantes excommunicati sunt ipso facto tamquam qui in canonem inciderunt, & graviora respondit. Idcirco monitus, & citatus praedictus Episcopus antedictus auctoritate praedicta

cta

cta ab iniuriis incipiens, & iniuriis perseverans, non illas audiens, sed ultro proferens plurima, quae non sunt digna relatu. Actum, & datum in Corsica anno, & die, & Indictione praedicta in Episcopali Palatio, scilicet in Ecclesia S. Nicholai Episcopatus praedicti coram domino Plebano de Vico, & Presbytero Benatto Plebano de Armitto, & Chiappa de Calvi, & Francisco de Pistorio omnibus praesentibus ad praemissa specialiter vocatis.

Et ego Georgius condam domini Thomae de Campo Auri auctoritate Apostolica, & Imperiali Notarius his omnibus interfui, & istud publicum Instrumentum tradidi, & registravi, ac praedictas litteras praedicti domini Archiepiscopi vidi, & legi, ac signo meo consueto signavi rogatus.

XVIII.

Jubet Archiepiscopo Pisano, ut in Fraticellos haereticos in Dioecesi, & Provincia Pisana commorantes animadvertat.

Tom. cit. num. 2069.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Multa, nec immerito, mentem nostram amaritudo perfundit cum audimus esse in populo Domini perditionis filios, & iniquitatis alumpnos, qui a Christianae Religionis observantia deviantes, & volentes potius errore perire, quam in veritate profitere, in tenebris ambulant, & obcaecati lumine rationis alios secum in- Anno 1354.

rui-

ruinam trahere moliuntur. Sane rumor infestus nostrum noviter turbavit auditum, quod in tuis Civitate, & Dioecesi, atque Provincia nonnulli superstitiosi viri Fraticelli vulgariter nuncupati, & etiam alii per planam viam, & justitiae nescientes dirigere gressus suos, nec instituta canonica observare curantes, sed lupinam rapacitatem ferentes interius, ut alios per indirecta, & invia in damnationis praecipitium secum trahant, in ovium veniunt vestimentis, temeritate propria officium sibi praedicationis usurpant, & contra ipsius Catholicae fidei veritatem sectas novas inducunt, variosque errores damnabiliter seminant, edocent, & observant, per quod multos simplices, simulate humilitatis habitu, fictisque sermonibus decipiunt, & seducunt, aliaque plura animarum pericula parientia sub quodam velamine sanctitatis faciunt, & committunt in Divinae Majestatis offensam, praefatae fidei, & Apostolicae Sedis contemptum, & scandalum plurimorum. Hi sunt siquidem Pseudofratres, seu Profetae a quibus veritas ipsa praecipit attendendum. Hi sunt quos Doctor gentium cautè vitandos admonuit, dicens: Nemo vos seducat inanibus verbis. Hi sunt qui juxta Psalmistae vaticinium, nescierunt, neque intellexerunt, & ambulantes in tenebris erraverunt. Cum autem, sicut accepimus, tu velut diligens Christianae fidei zelator, & custos quamplures ex ipsis viris nefariis propter hujusmodi eorum detestandos excessus capi feceris, & tuis habeas detentos carceribus, nos, prout ex debito tenemur pastoralis officii, huic morbo pestifero salubribus occurri remediis cupientes, tuamque in hoc diligentiam, & solicitudinem in domino plurimum commendantes, tuumque etiam jam in his inchoatum officium nichilominus excitantes, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad hujusmodi pestilentem nequitiam, quae serpit ut coluber, de dictis Civitate, & Diocesi, ac Provincia penitus extirpandam

in

in caritate Dei te diligenter exercens contra ipsos viros nepharios tam per te detentos, quam alios nostra etiam auctoritate suffultus secundum indulgentias, & privilegia officio Inquisitionis hereticae pravitatis concessa simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii inquiras efficaciter, & procedas, eosque corrigas, & punias juxta canonicas sanctiones, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo non obstantibus si aliquibus communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Per hoc autem Suffraganeis tuis, ac Inquisitoribus (1) *ipsius haereticae pravitatis in ipsius Civitate, & Dioecesi, ac Provincia auctoritate Apostolica deputatis, quominus etiam ipsi Inquisitionis officium super labe praedicta contra praedictos, & alios, prout eaedem volunt canonicae sanctiones, valeant exercere, nullum volumus praejudicium generari. Datum Avinione decimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno secundo* (2).

(1) De Ordine Fratrum Minorum, quos in tota Tuscia instituerat anno 1254. die 30. Maji Innocentius IV.; ex ejus litteris *T. I. Bullarii Franciscani num.* 558, *pag.* 742.

(2) Harum Innocentii litterarum meminit Raynaldus *ad ann.* 1354. *n.* 31.

XIX.

Patres Olivetani in unum congregati statuerunt possessionem inire Monasterii S. Hieronymi, quod in oppidulo Agnani quinque milliariis ab Urbe Pisis distante aedificaverat Joannes Archiepiscopus.

Ex Tabulario Monasterii Pisani S. Petri n. 93., quod spectat ad Patres Olivetanos.

Anno 1360. *IN Dei nomine amen. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo, Indictione decima tertia, domino Innocentio Papa sexto in Romana Ecclesia residente, die quarto mensis Maji. Convocato, & congregato Capitulo Generali Monasterii S. Mariae de Monte Oliveti in Accona (1) Ordinis Sancti Benedicti Dioecesis Aretinae (2), Comitatus Senarum, nec non & aliorum locorum, & grantiarum dicto principali Monasterio immediate subjectorum, de mandato venerabilis in Christo patris domini Salvii Boni (3) de Florentia Abbatis dicti Monasterii ad sonum Campanae, ut moris est in Ecclesia dicti Monasterii ubi tale Capitulum solitum est congregare. In quo quidem Capitulo interfuerunt infrascripti Fratres, & Mo-*

(1) De hoc Monasterio in Monte Acconensi, qui quindecim millia passuum ab Urbe Senis distat, anno circiter 1320. a B. Bernardo Ptolomaeio PP. Olivetanorum Institutore aedificato fusè agit Secundus Lancellottus *Lib.* 1. *Historiae Olivetanae pag.* 4., & 14.

(2) Olim in Dioecesi Aretinae erat. Postquam vero anno 1462. oppidum Corsinianum ab Pio II. Episcopum obtinuit, & Pientia dictum fuit, Dioecesi Pientinae assignatum est idem Monasterium.

(3) Qui in Abbatem generalem primò electus est anno 1357., ut scribit Lancellottus *lib. cit. pag.* 25.

& Monaci praedicti Monasterii, & aliorum locorum, & granciarum dicto principali Monasterio subiectorum, asserentes se esse duas partes, & ultrà Fratrum, & Monacorum Capitali praelibati, & qui sunt, & faciunt generale Capitulum Monasterii supradicti, suorumque subditorum, locorum, granciarum, & totius Religionis, & Congregationis ipsius ad Capitulum Generale in tali infrascripto numero Fratrum, & Monacorum, vel circa singulis annis in dicto Monasterio, & dicta die pro disponendis, & ordinandis rebus utilibus necessariis dicti Monasterii, & totius dictae Congregationis secundum formam eorum Constitutionum debet, & est solitum congregari colloquioque, & narratione habita inter eos, ut moris est, quod Reverendus in Christo pater, & dominus Johannes miseratione Divina Pisanus Archiepiscopus, Sardiniae Primas, & Apostolicae Sedis natus Legatus, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & gloriosae Virginis Mariae, Beatique Jeronimi Doctoris Ecclesiae, & totius Curiae coelestis, disposuerit, decreverit, & ordinaverit erigere, & de novo a solo construere, hedificare quoddam Monasterium cum Ecclesia, & aliis Officinis opportunis, & debitis, in primis, quod Monasterium dotare, & fulcire, tam de bonis immobilibus, redditibus, & proventibus, quam mobilibus, supellectilibus, & utensilibus necessariis, & opportunis, ita quod ibidem ...... Monaci cum uno Priore, & aliis Conversis commensalibus, & familia, Divinis Officiis mancipati sub Monacali observantia debentes commorari, & degere liberè, & quiete possint perpetuo Christo Altissimo famulari, dictumque Monasterium, jam erexit, & fundaverit (1) *in villa de Agnano Pisanae Dioecesis sub vocabulo Beati Jeronimi Doctoris Sanctae Ecclesiae, ubi*

(1) In tabulis anno 1359. die 8. mensis Aprilis scriptis, ac in archivo super ius laudato servatis *n.* 95. legitur: hoc Monasterium *quotidie erigitur*, *& fundatur*.

jam Ecclesia, cum Sacrestia, & parte Dormitorii constructa sunt; & sic prospere, & sollicite alia aedificia construuntur: cui Monasterio assignavit, dedit, & concessit pro parte dotis perpetuae ipsius Monasterii certa praedia, possessiones, & bona in Monasterio tali assignatis plenarie declarata. Et quod subsequenter dictus Reverendus pater dominus Johannes Archiepiscopus devotionis totaliter .... ad dictum Ordinem, & Religionem Sanctae Mariae Montis Oliveti, quae tanquam novella plantatio floret, & germinat, virtutibusque, & Sancta regulari observantia suavitatem odoris emanat, disposuerit, & ordinaverit, quod dictum Monasterium regatur, & gubernetur per Abbatem, & Fratres, & Monacos dicti Monasterii, & Religionis Sanctae Mariae Montis Oliveti, & per dictum Abbatem, qui pro tempore fuerit ponantur Monaci, cum uno Priore Religionis praedictae, qui perpetuo in dicto Monasterio debeant commorari, & Altissimo famulari, imprimisque Monasterium sit membrum immediate subiectum dicto principali Monasterio Sanctae Mariae Montis Oliveti, dictus venerabilis pater dominus Salvi Abbas de consensu, & voluntate dictorum infrascriptorum Monacorum, & Fratrum, & dicti infrascripti Monaci, & Fratres de dicti Abbatis licentia, & consensu, & voluntate, omnes simul nomine, & vice dicti Capituli sponte, & scienter, & consulte, omni via, jure, & modo, quibus melius potuerunt post colloquium productum, & tractatum habitum inter eos, fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt Fratres Jeronimum Ser Sozzi de Senis, & Fratrem Antonium Petri de Aretio, Fratres, & Monacos dictae Religionis, eorum, & dicti Capituli, Sindicos, & Procuratores, Actores, Factores, Nuncios speciales, & quemlibet eorum in solidum, & in totum, ita quod conditio occupantis melior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat, & finire; ad infrascripta, omnia, &

pro-

singula peragenda, usque ad comparendum coram paternitate dicti Reverendi in Christo patris, & domini, domini Archiepiscopi, & ab eo ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Gloriosae Virginis Mariae, Beati Benedicti, & Beati Jeronimi, & totius Curiae Coelestis, recipiendum locum saepedictum Sancti Jeronimi de Villa Agnani Pisanae Dioecesis erectum, ut supra dictum est, cum Ecclesia, & domibus, & officinis constructis, & construendis pro eorum domibus, praediis, & bonis concessis, & assignatis, & concedendis, & assignandis, nec non omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, & juribus loci praedicti, & ad stipulandam dictam concessionem loci, cum juribus suis. Ita quod dictum Monasterium, seu locus S. Jeronimi sit perpetuo membrum immediate subiectum dicti Monasterii S. Mariae Montis Oliveti, & per Abbatem dicti Monasterii, qui pro tempore fuerit regatur, & gubernetur. Et per ipsum Abbatem ponantur Fratres, & Monaci Conventuales, & Prior, prout sibi videbitur bonum esse secundum formam constitutionis dicti principalis Monasterii, qui Prior, & Fratres, & Monachi ibidem degentes sint sub observantia Regulae Beati Benedicti & Constitutionis dicti Monasterii, & Religionis. In quo Monasterio, seu loco perpetuo resideant, & esse, & commorari debeant Monaci cum uno Priore dictae Religionis per dictum Abbatem pro tempore residentem ponendi nisi alio legittimo impedimento, seu causa obsistente impediretur, debite, & de jure. Item ad recipiendum corporalem possessionem dicti loci S. Hieronimi, suorumque bonorum praedictorum, & possessionum, & retinendum nomine, & vice Capituli, & Religionis praedictae & generaliter ad omnia, & singula procurandum, & exercendum, & faciendum in praedictis & circa praedicta infrascripta dependentia, vel annexa, quae dictis Procuratoribus, Sindicis, vel alteri eorum videbuntur agenda, etiamsi mandatum speciale exigeretur, & quae dictum Capitu-

pitulum si adesset facere posset, & quae dictis Sindicis, & cuilibet eorum in praedictorum, & quolibet praedictorum videbitur, & placebit. Dantes, & concedentes dictis eorum Sindicis, & Procuratoribus, & cuilibet eorum plenum, liberum, & generale mandatum cum plena, libera, & generali administratione agendi, & procurandi in praedictis, & quolibet praedictorum, se ratum, & gratum habere promittentes, & firmum quodquod, & totum per dictos Procuratores, vel alterum eorum factum, gestum, & procuratum fuerit in praedictis, & quolibet praedictorum, sub obligatione bonorum dicti Monasterii, & totius Religionis praedictae de quibus supra dictis omnibus, ut prout decet, fieri faciant infrascripta debita, & opportuna, constituti sunt hii, videlicet.

Venerabilis pater in Christo dominus Salvi Boni de Florentia Abbas praedictus.

Frater Jacobus Taddei de Aretio.
Frater Jeronimus de Sozzis de Senis.
Frater Matthaeus Landini de Prato.
Frater Franciscinus Guiducci de Aretio.
Frater Michael Joannis de Prato.
Frater Gregorius Guidonis de Senis.
Frater Angelus Gratiae de Forentia.
Frater Bartholomeus Petri de Senis.
Frater Martinus Martini de Senis.
Frater Laurentius Cionis de Aretio.
Frater Rainerius Simonis de Senis.
Frater Petrus Pauli de Urbe.
Frater Petrus Donati de Aretio.
Frater Ugo Johannis de Alvernia.
Frater Pierothus Martelli de Florentia.
Frater Andreas Conis de Corzano.
Frater Franciscus Amichi de Senis.

Fra-

Frater Johannes Amichi de Senis.
Frater Jacobus Ghezzi de Senis.
Frater Johannes Petri de Senis.
Frater Donatus de Salimbenis de Vulterris.
Frater Johannes Magistri Nerii de Senis.
Frater Baldus Loli de Limuri.
Frater Antonius Petri de Aretio.
Frater Blaxius Ricci de Aretio.
Frater Johverus Cechi de Ulmo.
Frater Andreas Petri de Vulterris.
Frater Jacobus Viniae de Senis.
Frater Andreaccius Ser Viniae de Senis.
Frater Hieronimus Cennini de Senis.
Frater Lucas Vannucci de Eugubio.
Frater Martinus Olivieri de Sancto Venantio.
Frater Petrus Santurori de Eugubio.
Frater Philippus Johannis de Senis.
Frater Jacobus Rondinelli de Florentia.
Frater Cresta Massoli de Fulgineo.
Frater Johannes Ser Jacobi de Florentia.
Frater Michael de Senis.
Frater Angelus Gilii de Aretio.
Frater Johannes Francisci de Florentia.
Frater Paulus Ugonis de Florentia.
Frater Simon de Lucignano.
Frater Donatus Petri de Florentia.
Frater Franciscus Pauli de Senis.
Frater Jacobus Vannis de Vulterris.
Frater Petriolus Coluccii de Fulgineo.
Frater Johannes Thomasi de Urbe.
Frater Maurus de Cicilia.
Frater Lodovicus Ser Andreae de Senis.
Frater Landus Fei de Aretio.
Frater Ventura Daini de Aretio.

Actum

Actum in Ecclesia Monasterii S. Mariae Montis Oliveti supradictis, praesentibus Angelo Cecchi de Civitate Castelli, Dominico Martini de Aretio, Cola Vannis de Asina Longa, & Ciuccio Andreae de Sabina testibus ad haec vocatis, habitis &c. & est ita subscripta, videlicet.

Ego Frater Landus, quondam Fei Accursi de Aretio Frater dicti Monasterii S. Mariae Montis Oliveti Imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius constitutus, & factus ante ingressum dicti Monasterii, & Ordinis, praedictis omnibus interfui, & ea rogatus, & de mandato dicti Abbatis scripsi, & publicavi.

XX.

Frater Raynerius Prior *Conventus Agnanensis Sancti Hieronymi licentiam obtinet cernendae haereditatis, quam Joannes Archiepiscopus moriens eidem Conventui tradiderat.*

Ex eodem tabulario n. 97.

Anno 1362. *IN nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo, Pontificatus Domini Innocentii Papae sexti, Indictione quinta decima, mensis Februarii die vigesima septima; congregato, & convocato Capitulo Monacorum, & Fratrum Monasterii S. Mariae de Monte Oliveto in Accona Aretinae Dioecesis ad sonum campanellae de mandato venerabilis in Christo patris domini Salvi Boni de Florentia Abbatis dicti Monasterii,*

in

in Ecclesia videlicet dicti Monasterii ubi tale Capitulum solitum est congregari, in quo Capitulo interfuerunt infrascripti Fratres, & Monachi Monasterii antedicti, asserentes se esse duas partes, & ultra Monacorum, & Fratrum dicti Capituli, & qui faciunt, & representant Capitulum supradictum. Dictus dominus Salvi Abbas de voluntate, & consensu dictorum infrascriptorum Fratrum, & Monacorum, & infrascripti Fratres, & Monachi de licentia, & voluntate, & consensu dicti Abbatis habito prius inter eos diligenti tractatu, & colloquio, ut moris est, super eo, quod Reverendae memoriae in Christo pater, & dominus, dominus Johannes Scarlatti olim Pisanus Archiepiscopus nuper defunctus in suo testamento suos haeredes universales instituit, & reliquit Monasterium, & Conventum Sancti Jeronimi de Agnano (1) *Pisanae Dioecesis, decernentes, quod cederent in honorem*

(1) Scribit Lancellottus *lib. 2. op. cit. pag.* 138. Sixtum IV. anno 1475. S. Hieronymi Monasterio *adiunxisse Monasterium, seu Eremum titulo S. Michaelis de Anianello.* Huic Monasterio, seu Eremo Thommasa uxor Benedicti Gambacurtae anno 1391. die 19. mensis Augusti quamdam pecuniae summam testamento reliquit; sic enim in eo (*Tom. XII. apographorum n.* 2440.) illa ait: *Item judico Monasterio, & Ecclesiae S. Michaelis de Agnano pro subsidio aedificationis, & ornamenti ipsius Ecclesiae libras quinquaginta.* Adiunctum item fuit Monasterio S. Hieronymi superius laudato Coenobium S. Petri *in Vinculis* ab Innocentio VIII. anno 1488., ut apparet ex inscriptione, quae est in lapide posito, antequam paucis ab hinc annis Coenobium illud instauraretur, in ejusdem angulo; quamque mihi humanissime communicavit eruditissimus Johannes Calvus in Pisana Academia publicus Medicinae Professor.

CVNCTA FVNDITVS AD CVLMEN
COENOBIO D. HIERONYMI DE AGNANO
AB INNOCENTIO VIII. MCDLXXXVIII.
ANNEXA FVERE. QVOD IN FVTVR.
VT PATEAT HIC INSIGNIA
AFFIXIMVS ƆIIↃXC.
AB D.° AVG.° LENT. CEL.° D. RAPAL.° SAC.°

Dei, & in utilitatem, & comodum dicti Monasterii Montis Oliveti, necnon praefati Monasterii S. Jeronimi de Agnano Pisanae Dioecesis, & membri immediate subiecti dicto eorum Monasterio Montis Oliveti sponte, scienter, & consulto, nomine, & vice dicti Capituli omni modo, & jure, quibus melius potuerint de communi concordia, & voluntate dederunt, & concesserunt licentiam, consensum, & auctoritatem Religioso viro Fratri Raynerio Simonis de Senis Priori dicti Monasterii, & loci S. Jeronimi, & omnibus, & singulis Fratribus, & Monachis Capituli, & Conventus dicti S. Jeronimi licet absentibus, & mihi Notario infrascripto ut personae publicae stipulanti pro eis, & pro omnibus, quorum interesse possit aderendum, & aprendendum per Priorem Monasterii nomine, & vice dicti Monasterii S. Jeronimi dictam haereditatem Reverendae memoriae dicti domini Johannis Archiepiscopi ex testamento delatam, & taliter se immiscendi in ea, ita ut possint tanquam haeredes respondere, & haereditaria bona petere, & possidere, & voluntas dicti Testatoris possit in singulis effectui demandari. Item quod possit dictus Prior Fratres constituere unum, & plures Sindicos, & procuratores ad petendum, exigendum, & recipiendum bona haereditatis praedictae, & solvendum, & liberandum quoscunque obligatos eidem haereditati, & ad omnes lites, causas tam in agendo, quam in defendendo in quacumque Curia Ecclesiastica, vel Seculari, Civili, vel Criminali, & ad omnes Actus tam Civiles, quam Criminales, & generaliter ad omnes alios contractos faciendos, & fieri faciendos, qui necessarii fuerint, & opportuni contemplatione dictae haereditatis, & qui eis videbuntur faciendi compromissionibus, obligationibus, & poenis, & aliis clausulis solemnitatibus necessariis, & opportunis, committentes, atque dantes eisdem Priori, & Fratribus, & Monachis Conventus loci praedicti, & mihi Notario recipienti pro eis omni-

omnino licentiam, & auctoritatem, & facultatem agendi, & contrahendi, & se obligandi in praedictis, & circa praedicta infrascripta dependentia, vel connexa rogantes me Notarium, ut de praedictis publicum conficerem Instrumentum. Nomina Monacorum, & Fratrum supradicti Monasterii Sanctae Mariae Montis Oliveti sunt haec, qui interfuerunt ad publicum praefati Instrumenti. Imprimis venerabilis in Christo pater dominus Salvi Boni de Florentia Abbas supra nominatus, Frater Michael Joannis de Prato, Frater Petrus Pauli de Urbe, Frater Andreas Conis de Corzano, Frater Ventura Lapini de Florentia, Frater Jacobus Gratiae de Civitate Castelli, Frater Joannes Magistri Nerii de Senis, Frater Sancti de Aretio, Frater Donatus Salimbenis de Vulterris, Frater Angelus Ser Francisci de Asciano, Frater Benedictus Ser Putetti de Fulgineo, Frater Ninus Berongbi de Senis, Frater Marcus Nadii de Florentia, Frater Ugo Joannis de Alvernia, Frater Alexius Andreae de Senis, Frater Petrus Tartari de Urbe, Frater Nicolaus Vannis de Eugubio. Actum in Ecclesia dicti Monasterii Sanctae Mariae Montis Oliveti praesentibus Petro Gorii, Memmo Cini, Angelo Petri, Johanne Nardi de Chiusurio comitatus Senarum testibus ad praemissa vocatis, atque rogatis.

Et ego Johannes Loctini de Sermineto publicus Imperiali auctoritate Notarius praedictis omnibus, & singulis interfui, scripsi, & publicavi rogatus, & signum meum apposui consuetum.

XXI.

Franciſcus Puccius Pontifex Piſanus renuntiatur ab Innocentio hujus nominis VI.

Tom. III. apographorum num. 806.

Anno 1362. *INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Clero Civitatis, & Dioeceſis Piſanae ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quam ſit onuſta periculis, quam plena diſpendiis, quantaque pericula ſecum trahat Eccleſiarum vacatio diuturna ſolicitae conderationis indagine perſcrutantes, libenter operarias manus apponimus, & ſtudium efficax impertimur, ut viduatis Eccleſiis paſtores accedant idonei, & rectores providi deputentur, quorum fulſde praeſidiis, & favoribus communitatae malignorum inſultus non metuant, & pravorum non vereantur incurſus, quinimo auctore Domino fidelibus proficiant incrementis. Dudum ſiquidem bonae memoriae Johanne Archiepiſcopo Piſano regimini Piſanae Eccleſiae praeſidente, nos &c. Poſtmodum verò praefata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis, qui extra Romanam Curiam debitum naturae &c. Demum ad dilectum filium Franciſcum Puccii electum Piſanum tunc Canonicum ejuſdem Eccleſiae in majoribus duntaxat ordinibus conſtitutum, litterarum ſcientia &c., pro quo etiam dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiae per eorum patentes litteras nobis ſuper hoc humiliter ſupplicarunt, convertimus oculos noſtrae mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona ipſius Franciſci ipſi Piſanae Eccleſiae de dictorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum, ipſumque illi praefecimus*

cimus in Archiepiscopum, & pastorem, curam &c. Datum Avinione decimo septimo calendas Junii Pontificatus nostri anno decimo (1).

XXII.

Indulget Patribus Carthusianis, ut Monasterium in Dioecesi Pisana aedificare queant ex reditibus Petri Mirantis.

Ex Tabulario Carthusiae Pisanae.

F*Ranciscus miseratione Divina Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Sardiniae Primas, & Apostolicae Sedis in ea Legatus, venerabilibus, & Religiosis viris donnis Francischo Priori domus S. Mariae de Maggiano prope Senas, & Johanni Priori domus Sancti Spiritus prope Lucam Ordinis Carthusiensis salutem in Domino sempiternam. Quoniam secundum Sanctorum Patrum instituta bonae rei praestare auxilium, & consensum, & praesentis vite habetur subsidium, & aeternae remunerationis expectare decernitur praemium. Cum igitur prò parte vestra nobis fuerit devotè, & humiliter supplicatum quatenus* Anno 1366.

cum

(1) Qui chartas tabularii Archiepiscopii ordinavit, arbitratus est, has litteras esse Innocentii IV. Verum hic Pontifex anno decimo sui Pontificatus mense Majo non Avenione, sed Assisii in Umbria commorabatur, ut liquet tum ex ejus litteris apud Bremondium *Tom. I. Bullarii Ord. Praedicat. num.* 301. *pag.* 233., & Sbaraleam *Tom. I. Bullarii Franciscani pag.* 658., *ac seq.*; tum ex Nicolao de Carbio eorum temporum auctore *in vita Innocentii n.* 32. *Tom. III. Script. R. Ital. pag.* 592., ubi de Innocentio sic ait „ recedens postmodum de Perusio „ Papa supra Dominica die octavarum Resurrectionis Domini anno „ Domini MCCLIII. Pontificatus sui anno X. venit Assisium „; nec inde discessit nisi post initium mensis Octobris, ut narrat idem ipse Nicolaus *num.* 34. Avenione autem semper fuit Innocentius VI., ad quem revera hae litterae spectant.

cum olim Ser Pierus Mirantis olim Civis Pisanus in ultimis vitae suae testamentum de bonis suis fecerit (1), *& haeredem sibi instituerit Praesbiterum Ninum Pucci de Spassavento pro quodam Monasterio vestri Ordinis de novo fundando in Pisana Dioecesi. Cumque ipse Praesbyter Ninus, haeres jam dictus, vobis pro vestro Ordine recipientibus, & acceptantibus donationem de dicta haereditate prò dicto Monasterio construendo in dicta Dioecesi, ac ejus dote jam fecerit, de quibus testamento, & donatione fuit, & est nobis facta plenaria fides, & in Capitulo Generali vestri Ordinis celebrato in loco majori Ordinis Cartusiensis in Comitatu Sabaudiae ordinatum fuerit, ac etiam stabilitum, quod si noster assensus accederet per vos, dicti defuncti, nec non & Presbyteri Nini praefati desideria implerentur. Vobis ad Omnipotentis Dei laudem, sub vocabulo Beatae Mariae semper Virginis, & Beati Joannis Evangelistae, de bonis praedictis fundandi, & aedificandi Ecclesiam, & Monasterium, quae, & quod regatur, & gubernetur, & offitietur secundum mores, & instituta Cartusiensis Ordinis per Priorem, & Fratres in Monasterio ipso ponendos, & deputandos pro tempore per Majorem Ordinis praelibati, vel per eos, ad quos per ipsius Ordinis statuta spectaret, impartiri licentiam dignaremur; Nos visis literis dicti vestri Generalis Capituli, per quas vobis dicta licentia concedebatur, consideratis testamento, & donatione antedictis, ac etiam promissionibus a quampluribus Civibus, ut asseritis vobis factis, nec non affectionibus Pisanorum Civium affectantium plurimum in nostra Pisana Dioecesi fore unum Monasterium vestri Ordinis, per quod sperari verisimiliter potest eleemosinas plurimas ad construendum ipsum Monasterium perventuras, vestris supplicationibus inclinati, sperantes ex hoc vitae prae-*

(1) Die 16. mensis Martii anno 1366. Idem testamentum est in Archivo Carthusiae Pisanae.

praesentis subsidium, & aeterne praemium promereri, ac exemplo Sanctae vitae Fratrum vestri Ordinis, populum vobis commissum a vitiis retrahi, ac virtutibus conformari, auctoritate nostra Ordinaria vobis, & vestro Ordini fundandi, & aedificandi in nostra Pisana Dioecesi in Valle de Calci, in loco dicto olim Valle Buja, nunc vero Vallis Gratiosa in, & super possessionibus emptis, seu emendis, vel forte ab aliquibus vobis dandis Ecclesiam, & Monasterium sub praefato vocabulo ad laudem Omnipotentis Dei, & B. M. Virginis Matris ejus, ac Beatorum Martyrum Patronorum nostrae Pisanae Ecclesiae Ephysi, & Potiti, quae, & quod regatur, & gubernetur, & offitietur secundum vestri Ordinis instituta, concedimus facultatem, jure tamen nostro, nostrique Archiepiscopatus vestraeque exemptionis, ac etiam alieno in omnibus semper salvo; in cujus rei testimonium praesentes literas, sive publicam instrumentum per Notarium nostrum infrascriptum in actis nostrae Curiae faciemus registrari, & nostri Pontificalis sigilli appensione muniri. Datum, & actum Pisis in nostro Pisano Archiepiscopali Palatio praesentibus venerabili viro domino Rainerio de Ripa Fratta Priore Sancti Sisti, domino Piero domini Albisi de Vico Legum Doctore, & Ser Piero Joannis Notario de Luciana Pisanis Civibus testibus ad haec vocatis, & rogatis Dominicae Incarnationis anno millesimo trecentesimo sessagesimo septimo die trigesima Maji, quarta Indictione.

Ego Joannes quondam Martini Notarii de Covinaria Pisanus Civis Imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius, & Archiepiscopali Pisanae Curiae Scriba publicus, praedictis omnibus, ut supra dicitur per Reverendum patrem dominum Pisanum Archiepiscopum supradictum, una cum praenominatis testibus dum agerentur interfui, & ea omnia de mandato ipsius Archiepiscopi scripsi, & publicavi, meis signo, & nomine appositis consuetis in testimonium praemissorum.

XXIII.

XXIII.

Gregorius XI. licentiam elargitur Archiepiscopo Pisano petendi cum duodecim sociis in Palaestinam.

Ex Tabulario Archiepiscopii T. XI. n. 2307.

Anno 1371. *GRegorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Francisco Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Tuae devotionis sinceritas promeretur, ut votis tuis libenter annuamus, & petitiones tuas, in hiis, quae honeste postulas, quantum cum Deo possumus ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque sicut oblatae nobis nuper petitionis tuae series continebat, tu zelo devotionis accensus Sepulcrum Dominicum, & alia Oratoria Terrae Sanctae cum decenti comitiva desideres personaliter visitare, nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quod Sepulcrum, & alia Oratoria supradicta cum duodecim personis catholicis, quas ad hoc duxeris eligendos, quibuscumque prohibitionibus, constitutionibus, & processibus Sedis Apostolicae in contrarium factis, habitis, seu etiam promulgatis poenas, & sententias spirituales, & temporales continentibus nequaquam obstantibus ex causa praedicta valeas visitare, illaque nihilominus deferre, ac etiam exhibere, sine quibus peregrinationem hujusmodi commode adimplere non posses, dummodo tu, & dictae personae ad partes illas nulla alia deferatis, vel deferri faciatis, quae in profectum, vel favorem hostium fidei Christianae redundare valeant, tibi, & eisdem personis auctoritate prae-*

sen-

sentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Avinione quintodecimo calendas Novembris Pontificatus nostri anno primo.

XXIV.

Lottus Gambacurta ab Urbano VI. Antistes Pisanus renuntiatur.

Tom. citato num. 2385.

URbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Lotto de Gambacurtis electo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut solicitudinis debitum, ad quod universis orbis Ecclesiis nos Apostolicae servitutis necessitas obligat, earum singulis prout nobis ex alto conceditur exolvamus in eo potissimè, ut illarum regimina, quae propriis sunt destitutae pastoribus personis talibus committantur, per quarum solertiam circumspectam, & solertem circumspectionem Ecclesiae ipsae in spiritualibus, & temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem bonae memoriae Barnabone Archiepiscopo Pisano regimini Pisanae Ecclesiae praesidente, nos &c. Postmodum verò praefata Ecclesia per obitum ejusdem Barnabonis Archiepiscopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum pastoris solatio destituta, nos &c. Demum ad te Canonicum Pisanum Notarium nostrum in minoribus dumtaxat Ordinibus (1) constitutum, cui de litterarum scientia, vitae Anno 1381.

(1) Ne quis in minoribus Ordinibus constitutus ad Episcopatum promoveretur, vetitum erat ab Innocentio III. *cap.* A multis *lib.* 1. *Decretal. de*

munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perbibeantur, pro quo etiam dilecti filii Capitulum praedictae Ecclesiae, & Clerus Pisanus nobis super hoc per ipsorum patentes litteras humiliter supplicarunt, direximus oculos &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum septimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno tertio.

XXIV.

de aetate, qualit., & ordine praeficiend. Nemo item Episcopus consecrari poterat, qui trigesimum aetatis suae annum non explevisset, *ex cap.* Cum in cunctis *lib. cit. de electione, & electi potest.*. Itaque cum Lottus minoribus tantum Ordinibus exornatus, & 22. annis duntaxat natus esset, ab utraque lege solutus est, ut liquet ex his Urbani litteris *T. cit. n.* 2384. ,, Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Magistro Locto de Gambacurtis Canonico Pisano, Notario ,, nostro salutem, & Apostolicam benedictionem. Divina supereminens ,, largitas nonnunquam sic in quibusdam gratiae suae dona diffundit, ,, quod etiam in annis minoribus constituti per litterarum scientiam, ,, & aliarum virtutum suarum merita defectum supplentes aetatis ad dignitatum merentur culmine promoveri. Cum itaque nos Ecclesiae ,, Pisanae pastoris ad praesens solatio destitutae de persona tua propter ,, grandia dona virtutum, quibus personam ipsam prout testimoniis fidei dignis accepimus, Altissimus insignivit, intendamus hodie providere, tuque patiaris in aetate defectum . . . . . in vigesimo secundo ,, aetatis tuae anno constitutus existas, nos sperantes, quod tu per hujusmodi tua merita, quibus . . . . . . existis, & alia tibi affutura ,, suffragia eis eidem Ecclesiae Pisanae auctore Domino multipliciter ,, fructuosus tecum . . . . . festum praemisso, ac Lateranensis Concilii, ,, & quibuscumque aliis constitutionibus Apostolicis, ac Statutis, & ,, consuetudinibus dictae Ecclesiae contrariis nequaquam obstantibus curam, regimen, & administrationem ejusdem Ecclesiae libere recipere, ,, illaque in spiritualibus, & temporalibus gerere, & exercere licite valeas auctoritate Apostolica tenore praesentium dispensamus. Nulli ,, ergo &c.

,, Datum Romae apud Sanctum Petrum septimo Kalendas Februarii ,, Pontificatus nostri anno tertio. ,,

XXV.

Ab Ecclesia Aretina ad Pisanam regendam transit Petrus Riccius mandante Joanne XXIII.

Tom. XII. num. 2507.

JOannes Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis populo Civitatis, & Dioecesis Pisanae salutem & Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis, quem &c. Dudum siquidem Ecclesia Pisana ex eo pastoris solatio destituta, quod nos dilectum filium nostrum Alamannum tituli S. Eusebii Presbyterum Cardinalem licet absentem a vinculo, quo eidem Ecclesiae Pisanae, cui tunc praerat, tenebatur de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum, ut nobiscum onera universalis Ecclesiae partiretur ad Cardinalatus honorem duximus assumendum. Nos ad provisionem ipsius Pisanae Ecclesiae &c. Demum ad venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum olim Aretinum in Archiepiscopum Pisanum electum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam suam illarum largitor Deus insignivit, & quod ipse Petrus electus, qui regimini Aretinae Ecclesiae hactenus laudabiliter praefuit, eandem Pisanam Ecclesiam sciet, & poterit, auctore Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare, convertimus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur &c. Anno 1411.

Datum Romae apud Sanctum Petrum septimo idus Octobris Pontificatus nostri anno secundo.

XXVI.

Canonici Pisani Julianum Riccium cunctis suffragiis eligunt in Archiepiscopum. Martinus V. electionem ab iis factam confirmat.

Ex Archivo Capituli apud Octavium Angelum Abrahamium Tom. III. op. MS. cui titulus : *Pisanae Primatialis dignitatum, ac Praebendarum omnium descriptio &c.* cap. 2. pag. 18.

Anno 1418. *Martinus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Pisanae salutem, & Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini praesidemus, utiliter exequi, coadiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur, & solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui commissum sibi gregem Dominicum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum siquidem Ecclesia vestra, cui bonae memoriae Petrus Archiepiscopus Pisanus dum viveret praesidebat per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta erat; vos pro celebranda electione futuri Archiepiscopi Pisani convocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum dilectum filium Julianum electum*

ctum Pisanum, tunc Canonicum Florentinum in Praesbyteratus Ordine constitutum in Archiepiscopum Pisanum concorditer elegistis, ipseque Julianus electus electioni hujusmodi, sibi praesentato decreto, consensit, ac demum electionis hujusmodi negotium proponi fecit in Consistorio coram nobis, qui interim ad Summi Apostolatus apicem fueramus assumpti (1), *ipsam electionem petiit Apostolica auctoritate confirmari in iis omnibus statutis a jure temporibus observatis. Nos igitur electionem ipsam, ipsiusque electi personae idoneitatem, & merita per dilectum filium nostrum Thomam* (2) *tituli Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyterum Cardinalem examinari fecimus diligenter; & quia facta nobis per ipsum Cardinalem super hoc relatione primaria, & fideli electionem ipsam invenimus de persona praefati electi, cui de litterarum scientia vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, fore canonice celebratam, electionem ipsam de fratrum nostrorum consilio, etiamsi provisio dictae Ecclesiae fuisset dispositioni Apostolicae reservata, auctoritate praedicta confirmamus praeficiendo eundem electum dictae Ecclesiae vestrae in Archiepiscopum, & pastorem, curam, & administrationem &c.*

Datum Constantiae septimo Kalendas Martii Pontificatus nostri anno primo.

XXVII.

(1) Anno scilicet 1417. die 11. Mensis Novembris.
(2) Ex familia Brancacia Neapolitana Joannis XXIII. sororis filium, qui juxta Oldoinum obiit Romae anno 1427. die 8. mensis Septembris.

XXVII.

Julianus optime noscens infelicem statum, quo erant Monasteria Sancti Donnini prope Pisas, & S. Mariae, ac Gorgonii in Insula Gorgonensi constituit, ut priori Asceterio alteri coniuncto Patres Gorgonenses imposterum habitarent Sancti Donnini Monasterium.

Ex Archivo publico Archiepiscopii in libro MS., cui titulus: *Collationes, Confirmationes, ab anno* 1377. *ad* 1437. num. 5. litt. E. fol. 214. & seq.

Anno 1424. *JUlianus Dei, & Apostolicae Sedis gratia Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Sardiniae, & Corsicae Primas, & dictae Sedis Legatus venerabilibus in Christo filiis dilectis nostris Jacobo* (1) *Dei gratia Abbati* (2) *Monasteriorum Sanctorum Donnini extra muros Pisanos, Ma-*

(1) In tabulis Pisanis Jacobus dicitur filius Lupi de Sancto Justo vico prope Pisas inter solis ortum, & meridiem. Obiit anno 1419., ac in ejus locum suffectus est Ignatius Ferruccius, de quo paullo post differam.

(2) Anno 1384. die 13. Augusti Urbanus VI. rogante imprimis Francisco Moricotto S. R. E. Cardinali, statuit, ut Praefectus Monasterio Sancti Donnini, Sanctaeque Mariae *ad Martyres* imposterum Abbas diceretur, quemadmodum constat ex inscriptione posita in fronte Ecclesiae PP. Cappucinorum, quam praeter Troncium refert Placidus Puccinellius *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag.* 36. Jacobus, qui anno superius laudato *Prior* ejusdem Monasterii erat *munus benedictionis, & insignia Abbatialia pastoralis, mitriae, & annuli* accepit in oppido Luceriae Dioecesis Salernitanae a Matthaeo Episcopo Comaclensi coram Francisco antea memorato, Pino de Contris Antistite Paphensi, aliisque. Confer tabulas in archivo Archiepiscopii *To. XII. num.* 2417.

Mariae ad Martyres, & Salvatoris, & Quirici ad Mox de Collinis ad invicem unitorum (1) *Ordinis Sancti Benedicti Pisanae Dioecesis, ac Fratri Bartholomaeo* (2) *Priori*.

(1) De duobus his Monasteriis fit mentio in charta (exstat in archivo Archiepiscopii *T. I. apographorum num.* 99.) scripta *regnante domino nostro Corrado gratia Dei Imperator Augusto anno imperii ejus in Italia septimo quartodecimo calendas Gennarii Indictione secunda* mutata mense Septembri juxta consuetudinem Pisanorum, ideoque anno communi 1033. Ex hac ipsa charta liquet, horum Monasteriorum secundum dictum fuisse *Sanctae Mariae, Sancti Quirici, & Sancti Turpis*, idest Torpetis Martyris Pisani, ei praefuisse Bonum Abbatem, ac extitisse in loco *Moxxi in Collinis*, qui non longe distabat ab oppido Sancti Quirici, quod olim moenibus cinctum erat, nunc vero ab imis fundamentis eversum est. In collibus Pisanis exstabat etiam Sancti Salvatoris Monasterium. Peculiarem illorum locum determinare non ausim, sed quantum ex antiquis monumentis colligo, utrumque in ditione oppidi Rasignani continebatur. Monasterium Sancti Quirici *Protocollo n.* 8. *fol.* 60. positum asseritur *in confinibus, & partibus Rasignani, & Castellinae Pisanae Dioecesis*. Tabulae autem anni 1327. *T. VI. num.* 1404. memorant *curiam duarum Abbatiarum de Rasignano*, Sancti Salvatoris nimirum, & Sancti Quirici. Anno 1330. die 23. Maii, quo Simon Archiepiscopus Pisanus assignavit (*Protocollo num.* 1. *litt. A. fol.* 119.) Laurentio Pontifici Civitatensi in Sardinia *viginti florenos boni, & puri auri, & justi ponderis de fructibus, & redditibus Monasterii Sancti Quirici de Collinis superioribus*, Monasterium hoc etsi Monachis vacuum disjunctum erat ab Asceterio Sancti Salvatoris. Anno item 1371. proprias possessiones distinctas a possessionibus ejusdem Sancti Salvatoris Monasterii habebat, ut apparet ex veteri catalogo Ecclesiarum Dioecesis Pisanae *T. I. hujus Historiae pag.* 98. Ab uno tamen, eodemque Abbate utrumque Monasterium tunc regebatur; ad annum enim 1364. die 6. mensis Maii (*Extraordin. ab anno* 1365. *ad* 66. *num.* 24. *fol.* 30.) vivebat *donnus Angelus Abbas Monasteriorum duarum Abbatiarum de collinis*. Angelo in his Monasteriis gubernandis successit proculdubio Augustinus, cujus meminit Urbanus VI., quo defuncto idem ipse Summus Pontifex anno 1384. die 13. mensis Augusti cum Monasterio Sancti Donnini conjunxit laudata duo Monasteria, *in quibus*, ita Urbanus, *propter eorum paupertatem, ac etiam propter ruinam, & desolationem Monasteriorum ipsorum a sexaginta annis nullus Monachus extitit, nec aliquis de praesenti existit, quorumque fructus, redditus, & proventus centum florenos auri secundum dictam extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt*. Vide Urbani litteras in tabulario Archiepiscopii *T. XII. num.* 2417.

(2) Gorgonensi Monasterio concesso Patribus Cartusiensibus a Gregorio XI. ut postea narrabo, Bartholomaeus Seraphinilis Ravennas Cartusiae Genuensis *Prior*, quem non diligebat solum, verum etiam amabat Sancta

Priori, & Fratribus Sanctae Mariae, & Sancti Gorgonii de Insula Gorgonae Carthusiensis Ordinis (1) *per Priorem soliti gubernari salutem in eo, qui est omnium vera salus. Humillibus supplicantium votis, illis praesertim, per quae Divinus cultus valeat adaugeri libenter annuimus, eaque semper prosequimur favoribus opportunis. Exhibi-*

cta Catharina Senensis (Burlamacchius apud Mannium *Osservazioni sopra i Sigilli antichi T. IV. Sigillo* 8.) missus est a P. Generali suo ad possessionem ejusdem Monasterii ineundam (*monumenta Cartusiae Pisanae*), in quo etiam plures annos munus *Prioris* gessit, ut constat ex litteris Urbani VI. apud Mannium *loco cit.*, & ex tabulis anni 1381. apud Annalistas Camaldulenses *T. VI. in Append. num.* 30. *col.* 544. Nemo tamen credat, Bartholomaeum Seraphinium unum, & eundem esse ac Bartholomaeum, cujus mentio fit in his tabulis, siquidem ille, teste Hieronymo Fabro *Esfemeride Sacra di Ravenna ad diem 6. Octobris*, calendis Maii anno 1413. Ticini e vita migravit. Itaque arbitror, hunc esse P. Bartholomaeum Viterbiensem, qui anno 1437. in Pisano Monasterio Cartusiensi manebat, quemadmodum liquet ex charta in archivio superius citato *T. indic. num.* 2560.

(1) Monasterium Gorgonae brevis Insulae Italiae inter oram Thusciae, & Corsicam datum fuit Monachis Carthusiensibus a Gregorio XI. anno 1374. die 19. mensis Februarii. Inter vetera monumenta, quibus abundat Pisani eorum Monasterii tabularium, quaeque humanissime mecum communicavit P. Josephus Alphonsus Maggius vigilantissimus ejusdem *Prior*, sunt ipsius Summi Pontificis litterae scriptae *Avinioni XI. calendas Martii Pontificatus anno tertio*, in quibus hic ita illos alloquitur, „ volentes igitur dictum Monasterium de Gorgona, quod, ut asseri„ tur, magnae devotionis olim extitit, & in quo magnus fuit nume„ rus Monachorum, & viguit observantia regularis, & in quo nul„ lus Monachorum moderno tempore commoratur; per Fratres vestri „ Ordinis Cartusiensis, quos numero, & meritis largitor bonorum om„ nium adauxit in Ecclesia Sancta Dei, reformari, & reduci ad ob„ servantiam regularem; ipsum Monasterium de Gorgona cum omni„ bus juribus, & pertinentiis suis, cum omnibus praedictis bonis, & „ juribus, quae dudum fuerunt praefati Monasterii Sancti Viti vobis, „ & Ordini vestro auctoritate Apostolica tenore praesentium liberali„ ter concedimus, & donamus, ita quod ex nunc liceat vobis posses„ sionem corporalem dicti Monasterii de Gorgona, ac bonorum, ju„ riumque, & pertinentium auctoritate propria libere aprehendere, „ & licite possidere &c., volentes, & auctoritate praedicta tenore prae„ sentium statuentes, quod de cetero ipsum Monasterium de Gorgona „ non Sancti Benedicti, sed Cartusiensis Ordinis nuncupetur, & sit, „ & per Fratres dicti vestri Ordinis teneatur, regatur, & etiam gu„ bernetur, non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus

„ ve-

bibita nuper pro parte vestra coram nobis petitio continebat, quod licet praefatus dominus Jacobus Abbas Monasteriorum praedictorum Sanctae Mariae ad Martyres, Domini, & Salvatoris, ac Quirici ad Mox de Collinis ad invicem unitorum fere sexaginta per annos Monasterium ipsum rexerit, & gubernaverit sub regula Sancti Benedi-

„ vestri, & Sancti Benedicti Ordinum praedictorum contrariis &c. „. Antiquissimum hoc Monasterium, cujus praeter Sanctum Augustinum, & Rutilium Numatianum Scriptorem Ethnicum, meminit Sanctus Gregorius Magnus *lib.* 1. *epist.* 50. *T. II. opp. col.* 420. *edit. Gussanvillaei*, a Beato Bono Asceterii Pisani Sancti Michaelis *in Burgo* fundatori gubernatum, & cadente seculo undecimo PP. Camaldulensium institutum amplexatum fuisse narrat celeberrimus Mabillonius *T. IV. Annal. Benedictinorum lib.* 58. *ad annum* 1040., & *lib.* 60. *ad annum* 1051., quem sequuntur Grandius, Mittarellius, & Costadonius. Tametsi certis monumentis probatum id non video, nec hocce Monasterium inter ea refertur, quae anno 1113. possidebant Camaldulenses in ditione Pisana (vide litteras Paschalis II. *T. III. eorum Annal. in Append. n.* 167.) in controversiam tamen vocare nolo. Beatum Bonum e vita migrasse anno 1070. produnt iidem ipsi Mittarellius, & Costadonius; quamobrem huic, si Bonus Abbas Gorgonensis, ad quem anno 1051. scribit Leo IX. est idem ac Bonus Camaldulensis, successit Adam, ad quem Alexander II. anno modo citato die 16. mensis Augusti has misit litteras in archivo Cartusiae Pisanae servatas „ Alexander Episco-
„ pus servus servorum Dei Adae venerabili Abbati Monasterii San-
„ ctae Mariae Gorgonae, cunctaeque Congregationi ejusdem Mo-
„ nasterii, eorumque successoribus regulariter promovendis, &
„ victuris in perpetuum. Quotiens ea a nobis petuntur, quae a ra-
„ tione non discrepant, libenter debemus annuere, & favoris nostri
„ gratanter impartiri suffragium, quatinus servi Dei, qui se Domi-
„ no devoverunt liberius dignum eo valeant explere suae cursum mi-
„ litiae. Quapropter dilectissimi inclinati precibus, & devotis roga-
„ tionibus vestris vos, ac praefatum Monasterium sub munimine, &
„ tutela Apostolicae protectionis suscipimus, & confirmamus praefato
„ Monasterio quidquid nunc juste habet, vel deinceps juste acquisi-
„ turum est tam in terris, quam in vineis, mobilibus, vel immobi-
„ libus, seu quibuslibet possessionibus, specialiter autem Ecclesiam,
„ quae est aedificata prope Pisam, loco, qui dicitur *ad Burgum* juxta
„ Ecclesiam Sancti Viti, ita ut non liceat cuiquam Archiepiscopo,
„ Episcopo, Duci, sive Marchioni, seu cuilibet magnae, parvaeque
„ personae praefatum locum inquietare, vel quid ab ejus jure in
„ alienum transferre, specialiter autem non liceat cuiquam Archiepi-
„ scopo, Episcopo, Duci, Marchioni, seu cuiquam magnae, parvae-
„ que personae, nec etiam ipsi Abbati praefatam Ecclesiam, quae

cti, Divinisque obsequiis vacaverit una cum Monacis dicti Monasterii, & in eodem exhibuerit perpetuò Domino famulatum ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Sanctorum Domini, Salvatoris, ac Quirici praedictorum, tamen

„ est consecranda in honorem Sanctorum Melciadis, & Gorgonii ordinare eo modo, ut Monasterium sit, aut Canonica, sed sit Capella in subiectione Abbatis, & Congregationis praenominati Monasterii, & sit semper in hospicium illis, & omnimodis semper maneat in dispositione eorum; ita ut nec etiam ibi Officialis ordinetur, nisi per manus Abbatis cum consilio Monachorum salvo in omnibus Romanae Ecclesiae privilegio & matricis Ecclesiae, ac proprii Episcopi jure. Si quis autem hujus nostrae sanctionis privilegium infregerit temerario ausu, noverit se Apostolicae excommunicationis, ac anathematis vinculo innodandum nisi satisfecerit; at vero qui pro intuitu custos, & observator extiterit perpetuae benedictionis habundantia repleatur. „

„ Datum Lucae septimo decimo Kalendas Septembris per manus Petri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Presbyteri, ac Bibliothecarii anno nono Pontificatus domini Alexandri secundi Papae Incarnationis vero Dominicae millesimo septuagesimo, Indictione octava. „

Ex his Alexandri litteris intelligimus, locum ubi est Ecclesia, & vestigia antiqui Monasterii Sancti Viti, qui ad initium saltem duodecimi seculi extra Urbem erat (tunc enim Urbs occasum versus ad Ecclesiam usque Sancti Nicolai protendebatur, ut erudimur ex *tabulis* Comitis Mathildis apud Florentinium *in ejus vita pag* 191. *in Append. monument.*, & apud Troncium *Annali Pisani pag.* 38.) vocatum fuisse *ad Burgum*, quia nimirum frequentes domus ibidem exstabant non secus ac aliis in partibus circum Pisas. Intelligimus etiam, laudatum Monasterium anno 1070. constructum nondum fuisse. Paullo post tamen aedificari coeptum esse videtur, siquidem memoratur in tabulis anni communis 1077. relatis a doctissimo Grandio *in Append. ad Epistol. de Pandectis num.* 8. *pag.* 155. Eaedem tabulae produnt citato Monasterio praefuisse Adamum, quem non esse diversum ab Adamo Abbate Monasterii Gorgonensis existimo, cum Monasterium Sancti Viti ab hoc omnino penderet, & ab eodem Abbate regeretur. Multo seculo decimo quarto Monachi Gorgonenses, ut vim Saracenorum effugerent, Insula paullatim relicta omnes in S. Viti Asceterium se receperunt; cumque bellis, pestilentia, aliisque causis ita diminutus esset illorum numerus, ut anno 1366. tres tantum Monachi in eo commorarentur, nimirum donnus Antonius Abbas, Benedictus, & Augustinus, vix, ac ne vix quidem Monasticum institutum sectari poterant, idcirco Gregorius XI. anno 1374. die 19. Februarii S. Viti Coenobium suppressit, ejusque bona dedit Monasterio Insulae Gorgonae, quod eodem die Patribus Cartusianis concessum est, ut superius narravi. Patent haec omnia ex monumentis in archivo Cartusiae Pisanae

tamen malitiis temporum obſtantibus, & guerrarum diſpendiis, quae in partibus obvenerunt turbata quiete tam Abbatis, quam Monacorum praedicti Monaſterii dictum Monaſterium Sancti Dopnini tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus collapſum exiſtit in tantum, quod ſolus Abbas cum Monaco in praedictis Monaſteriis remanſerunt; & ſicut eadem petitio ſubjungebat dictis guerris cauſantibus

ſanae latentibus, quorum praeſertim auctoritate innixus nonnullos Abbates hic memorabo, qui utrumque Monaſterium gubernarunt. Itaque anno 1093., & 1098. erat Abbas Piſanus, cui ſucceſſiſſe arbitror Petrum illum, quem Annalium Camaldulenſium Auctores *T. III. lib.* 22. *ad annum* 1094. cenſent deceſſorem Lanfranchi, cujus ad annum 1112. meminit, ut illi ajunt, clariſſimus Lamius *Deliciis Eruditor. anni* 1737. *pag.* 91. Sed revera Lamius eo in loco ne verbum quidem habet de Lanfranchio. Anno 1117. vivebat Placidus, qui tamen hoc ipſo anno deceſſit, vel ad aliud Monaſterium tranſiit; nam poſtremis ejuſdem anni menſibus gubernabat Sigiſmundus. Hic Abbas erat anno etiam conſequenti, menſe Octobri, quo a Petro Cardinali, & Apoſtolicae Sedis Legato in Corſica litteras accepit, quas ex autographo in tabulario antea citato extante hic publicandas eſſe exiſtimamus „ Petrus Cardinalis, & Legatus Romane Eccleſie Sigiſmundo „ dilecto Abbati Gorgonenſis Eccleſie. Juſtitie & rationis ordo per„ ſuadet, ut religioſe, & ſecundum Deum viventes, interpoſita no„ ſtra auctoritate fulciantur, & defendantur. Quapropter ego Petrus „ Cardinalis, & Legatus Romane Eccleſie de gratia domini Pape pre„ ſumentes pie Gorgonenſis Abbatis petitioni caritatis intuitu conde„ ſcendimus, quatenus Fratres, qui in illa Inſula relicto ſeculo com„ morari noſcuntur Deo devote ſine aliqua moleſtia valeant deſer„ vire. Confirmamus itaque predicto Monaſterio Gorgonenſi tam ex „ auctoritate domini Pape, quam ex noſtra omnes Eccleſias, & ter„ ras, tam cultas, quam & incultas, vineas, prata, paſcua, olive„ ta, ſilvas, cum omnibus bonis ſuis, mobilibus, & immobilibus, „ que modo in Inſula Corſice habere noſcuntur, vel in antea Deo „ adjuvante erunt habituri, ſcilicet Sanctam Reparatam, Sanctam „ Luciam, Plebem Sancte Marie del capo, & Sanctum Nicholaum „ de Timino cum omnibus, quae ad eaſdem Eccleſias videntur perti„ nere. Firmamus etiam, ut quicumque Laycus vel Clericus Spiritu „ Dei afflatus ad obedientiam ſupradicti Monaſterii venire voluerit, „ licenter veſtiendi habeat poteſtatem, ſimiliter quicumque in eorum „ Eccleſiis ſe ſepelire voluerit habeat poteſtatem. Decimas autem, „ quas modo habent, vel quas in antea juxte poterunt acquirere in „ uſu Monaſterii abſque ulla contradictione retineantur. Precipimus „ itaque, & precipiendo mandamus, ut nullus Epiſcopus, ſive Cle-

bus de dicto Monasterio Sancti Dopnini, quod extra Civitatem Pisanam situatum est pro tuitione tam Abbatis, quam Monacorum oportet eos ad Civitatem Pisanam saepe saepius, & aliquando confugere, & propterea incommoda, & dapna multa pati paulatim dicti Abbatis, & Monacorum turbata quiete, nec non dicti Monasterii statu represso, in eodem Divinus cultus negligitur, nec Divina obsequia debitis temporibus celebrantur, in tantum, quod dictum Monasterium Sancti Dopnini verisimiliter speratur, imo manifeste concernitur, obeunte Abbate, qui fexus est senio, tradi in manibus Laicorum: Et praeterea nobis exposito pro parte Prioris, & Fratrum de Gorgona, quod licèt propter malam dispositionem patiuntur multa mala,

„ ricus, nullus Marchio, vel Comes, nullus Vicecomes, nullus Castaldio, nullus miles, nulla magna, parvave persona contra hoc „ nostrum rescriptum venire audeat aliqua praesumptione, vel in aliquo laedere. Quod si aliquis praedictorum hoc infringere temptaverit, si Clericus fuerit periculo sui officii subjacebit, si Laycus anathematis, atque excommunicationis periculum sustinebit, quia & hoc idem Sanctae Matris nostrae Romanae Ecclesiae *scripta* confirmant, & domini nostri Pontifices Romani hoc idem tibi stabilire videntur.

† Ego Petrus S. R. E. Cardinalis Presbit. de titulo S. Susannae Legatus manu mea ss.
† Ego Petrus Archiepiscopus Pisanae Ecclesiae manu mea ss.
† Ego Baro Subdiaconus Romanae Ecclesiae ss.
† Ego Landolfus Episcopus Aleriensis manu mea ss.
† Ego Tedaldus Episcopus Maranensis manu mea ss.
† Ego Guillelmus Episcopus Nebiensis manu mea ss.
† Ego Ugo Presbiter Pisanae Ecclesiae ss.
† Ego Gerardus Diaconus Pisanae Ecclesiae ss.
† Ego Martinus Presbiter & Canonicus S. Mariae Pisanae Ecclesiae ss.

„ Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo decimo octavo, „ Indictione duodecima anno domini Gelasii Papae II. primo ordinationis suae „. Anno circiter 1151. Gorgonense, & Sancti Viti Monasterium regebatur a Johanne. Obertus Cancellarius *lib.* 2. *Annalium Genuensium* apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital. col.* 322. narrat, Abbatem Insulae Gorgonae anno 1168. concessisse Genuam, Civesque ad pacem ineundam hortatum esse. Sed quo vocabulo appellaretur nec Obertus ipse scribit, nec ex aliis monumentis mihi innotescit. Rollandus praeerat anno 1189., & anno 1234. utrumque Monasterium regebat Uguccio.

mala, Prior, & Fratres de Gorgona sint perpessi tum a Piratis dictum Monasterium invadentibus, tum a perfidis Saracenis, qui a tribus annis citrà pluries (1) *dictam Insulam invaderunt, omniaque, quae extra Arcem erant posita, videlicet Ecclesiam cum Altaribus, & alia edificia, molendina, & barcas totaliter destruxerunt, animalia pro Salinis occiderunt, & omnia, quae ad manus eorum pervenerunt, absportaverunt; Et quod dolendum est, & quidem vehementius*

(1) Monachi Cartusienses Gorgonae a barbaris prima aggressione occupati sunt Petro Riccio Ecclesiam Pisanam gubernante, ideoque ante diem postremum mensis Novembris anni 1417., quo ille obiit. Constat hoc vero ex litteris Martini V. scriptis ad eosdem Monachos, qui cum anno 1423. a barbaris ipsis quamplura damna accepissent, rogarunt Summum Pontificem de immunitate a solvenda decima *Camerae* Apostolicae. En earum litterarum verba „ merita vestrae Religionis exposcunt, ut vos, & Monasterium vestrum paterna benevolentia prosequentes illam vobis libenter gratiam impendamus, quam vestris comoditatibus fore conspicimus opportunam. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod olim bonae memoriae Petrus Archiepiscopus Pisanus considerans, quod alias in ipso Monasterio quadraginta Fratres, & Conversi esse consueverant, & propter diversas calamitates, quas passi fuerant, & domorum in Civitate Pisarum existentium destructionem, & eversionem, de quibus multa comoda eisdem Fratribus hactenus provenire solebant, atque Saracenorum, & barbarorum, qui plures ex dictis Fratribus inhumaniter capientes ad infidelium partes, & terras captivos deduxerunt, quorum duo adhuc detinentur captivi; nec non aliorum infidelium, & piratarum incursus ad numerum decem, seu duodecim Fratrum erant reducti, & propter inopiam, & paupertatem, ac miseriam, quas patiebantur, non solum decimam triennalem solvere, verum etiam vix vivere poterant &c. „ Non semel etiam idem Monasterium invasum a barbaris est quo tempore Patres Benedictini illud incolebant. Exstant in tabulario Cartusiae Pisanae eorum litterae, quibus anno 1339. supplicant *Antianis* Pisanis, *ut provideant de aliqua provisione in Castro Insulae Gorgonae, ita quod Monachi, & familiares Monasterii praefati possint reservare seipsos, & res ipsius Monasterii ne derobentur a Saracenis, & Castellanus eos recipere debeat in Castro quotiescumque opus fuerit.* Sed quamvis iidem *Antiani* praefecto arcis id mandassent, illeque recipere Monachos paratus esset, tamen cum ipsi ob improvisam, atque inopinatam Saracenorum aggressionem nequiissent sese in arcem conferre, multum detrimenti a barbaris passi sunt. Quare ut incolumitati suae consulerent ad Monasterium Pisanum Sancti Viti confugerunt, ut antea narravimus.

tius Priores, & Fratres exquocunt (sic) *unum ex Monacis in Sacerdotio constitutum, & duos Conversos, & unum oblatum, & duos famulos dicti Monasterii, in duabus vicibus coeperunt, & ad partes infidelium deduxerunt, ipsos sub crudeli, ac miserabili servitute adhuc detinent captivatos, pro quorum redemptione tantà est inopia Prioris, & Fratrum Monasterii praedicti, quod nullo modo facultates suppetunt; Et insuper sicut pro parte vestra fuit expositum, praefati Saraceni venientes ad dictam Insulam conantur, & nituntur cum balistis, aliisque machinis bellicis dictam arcem capere, propter quod praedicti Prior, & Fratres hujusmodi terrore pavefacti, oportet Insulam, & arcem derelinquere, cum ipsorum intersit jejuniis, vigiliis, & Orationibus insistere, & non armis, ne deterius inde eis contingat, Insulam ipsam & arcem relinquere proposuerunt, & pro statu, & quiete ipsorum Prioris, & Fratrum in Civitate Pisana, vel extra locum quaerere, in quo Divino mancipati obsequio devotis Orationibus insistant secundum regulam antedictam. Ea propter communi consensu, & deliberatione habita tam Abbatis, quam Prioris locorum praedictorum coram nobis supplicari fecistis, quod cum Reverendus pater donnus Jacopus Abbas Sanctae Mariae ad Martires, & Sancti Dompnini extra muros, & Sanctorum Quirici ad mox de Collinis Monasteriorum ad invicem unitorum Ordinis Sancti Benedicti, in quibus unus solus Monacus existit, ipseque Abbas fere sexaginta per annos rexerit, & gubernaverit, cupiat, quod Prior, & Fratres de Gorgona a tantis tribulationibus, & periculis liberentur, & ad dicta unita Monasteria se transferant, ut semota infelicitate, quam patiuntur in dicta Insula, praefata Monasteria sub regulari observantia reformentur, proponatque Abbas regimini, & administrationi bonorum dictorum Monasteriorum cedere ad finem, quod dicta Monasteria unian-*

tur

tur (1) *perpetuo praedicto Monasterio Insulae de Gorgona, & quod Prior, & Fratres ad eadem veniant, & in eis sub regulari observantia Ordinis Cartusiensis Altissimo perpetuo famulentur; Et quod de fructibus, redditibus, & obventionibus, ac proventibus universis dictorum Monasteriorum praedicti Abbatis, & Monacorum juxta ipsorum decentiam, & pro eorumdem Abbatis, & Monacorum substentatione congruae pentiones, per dictos Priorem, & Fratres, quamdiu Abbas*

(1) In margine harum tabularum haec scripta sunt eodem prorsus caractere: *nota quod praefata unio non fuit sortita effectum, & re integra evanuit*. Certe quidem PP. Benedictini Monasterium Sancti Donnini possederunt post mortem etiam Jacobi Abbatis; hoc enim defuncto renuntiatus est Abbas anno 1429. die 14. mensis Octobris Ignatius Ferruccius, ut liquet ex Martini V. litteris in tabulario Archiepiscopii *T. XII. apograph. num.* 2540., eratque Ignatius insignis *Abbatiae* Florentinae alumnus. Placidius Puccinellius *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag.* 36. haec habet: *ad instanza de Pisani* (Gometius Abbas xxx.) *spedì a rinverdire l' osservanza nel Monastero di San Donnino Don Ignazio di Ferruccio, o Ferrucci con altri nostri Monaci.* Ignatio successit anno 1433. Guillelmus Pignolius filius Laurentii natione Occitanus, & Monachus Asceterii Patavini Sanctae Justinae (chartae *T. cit. n.* 2548. & 2571.). Idem Monasterium gubernabat anno quoque 1442. initio mensis Octobris (charta *num.* 2574.), in cujus locum suffectus postea est Joannes, qui Abbas erat anno 1446. mense Novembri (charta *n.* 2583.). Julianus Riccius Antistes Pisanus contendens, Joannem, ejusque Monasterium quamdam pecuniae summam sibi debere, eundem Joannem id negantem multum vexavit excommunicatione etiam in ipsum intorta, ut constat ex litteris (in tabulario citato *decade* 260. *num.* 2584.), quibus Nicolaus V. anno 1447. calendis Decembris jubet Abbati Sancti Michaelis *in Burgo*, ut litem inter eos componat. Anno consequenti mense Septembri idem ipse Nicolaus scribit ad Sanctum Antoninum Archiepiscopum Florentinum, ut Joannem Abbatem ab Ecclesiastica censura absolvat; qui cum per seipsum facere id nequiret, vices suas commisit Abbati Monasterii Sancti Savini prope Pisas (tabulae *decade cit. num.* 2585.). In monumentis tabularii Archiepiscopii Pisani nullus alter Abbas mihi occurrit. Quare arbitror, Joannem postremo gubernasse Sancti Donnini Monasterium, quod fortasse illo defuncto in *commendam* redactum est, quo in statu certe erat anno 1481., quemadmodum constat ex tabulis in archivo laudato *n.* 2679. Monasterium vero Gorgonense Cartusiae Pisanae unitum est, non quidem ab Urbano V., ut perperam scribit clarissimus Grandius *Epistola de Pandectis pag.* 157., sed a Martino V. anno 1426., ut alibi fusius narrabo.

bas, & Monaci nunc existentes vixerint, assignentur. Nos igitur Julianus Archiepiscopus praefatus pio affectu compatientes, ac vestris benignis supplicationibus inclinati, quibus libenter animo consensimus de statu utriusque Monasterii diligenter certificati; Et quod exposita per vos veritate nituntur, & quod ex dictis causis in dicto Monasterio regularis observantia non tenetur, & debitum collegium, & jura dicti Monasterii esse subtracta, cumque ad praesens in eodem Monasterio Sancti Dopnini observantia regularis nulla vigeat, nec Collegium, quinimo nisi solus Abbas cum Monaco ibidem degat, advertentes ad yminentem necessitatem utriusque Monasterii, audita fama laudabili Prioris, & Fratrum de Gorgona, quorum merita, & virtutes apud nos totaliter illuxerunt, ut eis ad impendendas gratias, & favores necessario provocamur, certificati, quod Priores, & Fratres S. Mariae de Gorgona tam laudabiliter, tam virtuose se gesserint in eorum Monasterio, quod pro eorum industria, & sollicitudine, de quo manum excreverunt, & de inutile utile factum appareat eorum Monasterium antedictum; Ea omnia, & singula digna meditatione pensantes ipsi Monasterio, & Fratribus antedictis pro salute, & statu Monasteriorum praedictorum omni meliori via, jure, forma, & auctoritate, quibus melius possumus cum praesentia, & consensu infrascriptorum dominorum Canonicorum, & Capituli Pisanae Ecclesiae, videlicet domini Antonii Zimbordi, domini Johannis de Vico, domini Barthali de Caprona, domini Talani Johannis Canonicorum Pisanae Ecclesiae in nostri praesentia capitulariter, & collegialiter congregatorum, & qui sunt major, & sanior pars dictorum Canonicorum, & Capituli ad praesens personaliter residentium, & Capitulum facientium in eadem, in infrascriptis consensum praestantium omnibus, & singulis more solito tenore dicta Monasteria Sanctorum Mariae ad Martyres, ac Salvatoris ad Mox de Col-

Collinis ad Monasterium Sanctorum Mariae, & Gorgonis de Gorgona unimus, adnectimus, & incorporamus, & unita, adnexa, & incorporata auctoritate ordinaria decernimus, & pronuntiamus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis perpetuo cum infrascripta modificatione, & reservatione, inferius descriptis, & non aliter, vel alio modo. Quod Monasterium Sanctorum Mariae ad Martyres, ac Sanctorum Salvatoris, & Quirici ad Mox de Collinis ad invicem unita praefata praesidens administrator bonorum dictorum Monasteriorum, seu Benefitia eidem Monasterio connexa solvant, contribuant, & subeant, & subire, contribuere, & solvere teneantur, & debeant cum Clero, & Clericis non exemptis in Civitate, & Dioecesi Pisana omnia, & singula onera, impositiones, & factiones, muros, & finitiones, & alia quaecumque gravamina ipsis Monasterio, & Monasteriis eidem connexis imposita, & in futurum quacumque auctoritate imponenda eidem Monasterio debita, vel debenda secundum formam Extimi dicti Cleri, vel Clericorum, vel aliter, vel per alium modum, prout, & quemadmodum dictum Monasterium, & alia sibi adnexa modo subeunt, & supportant, etiam si contigerit Extimum mutari, corrigi, vel emendari, nec reddant se difficile, vel impossibile ad hujusmodi supportanda onera cum suprascriptis Clero, & Clericis non exemptis, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, immunitatibus gratiis Fratribus de Gorgona, & Ordini de Cartusia concessis in genere, vel in specie sub quavis expressione verborum, etiamsi mentio specialis de illis fieri oporteret; & retineant, & retinere debeant Monasterium Sanctae Mariae ad Martyres, Salvatoris, & Quirici ad Mox de Collinis, & seu Prioratus nuncupatus quoad praedicta onera, & gravamina, quae sibi per tempora imposita fuerint, ut supra dictum est, privilegia sua, ac prout, & quemadmodum si dicta unio facta non esset quantum ad praedicta onera solvenda; Et pro praedictis oneribus, con-

tributionibus, gravedinibus subeundis, & solvendis dumtaxat Monasterium Sancti Dopnini, Mariae ad Martyres, Salvatoris, & Quirici ad Mox de Collinis, & seu Prioratus nuncupatus, sive Administrator bonorum suprascriptorum Prioratus, & Monasterii sit, & esse intelligatur subiectum, & subiecta praefato domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatui Pisano, prout nunc est, ita quod justitia Canonica, & compulsio pro praedictis oneribus solvendis, & subeundis sit in omnibus, & per omnia reservata, non obstantibus omnibus privilegiis, exemptionibus, ut supra, dictis Fratribus Monasterii de Gorgona, aut Ordini Cartusiae concessis, quibus quantum ad hoc nullatenus suffragentur, & praedicta intelligantur quantum ad bona praedictorum Monasteriorum Sancti Dopnini, & Salvatoris, quae modo sunt, tenentur, & possidentur per dictum Abbatem, Monasterium, & Capitulum, & Conventum, & non quantum ad bona, quae in futurum acquirerentur, vel quocumque modo illa venirent ad dictos Fratres, Capitulum, & Conventum post factam praesentem unionem, & non quantum ad cobertionem, & districtionem personarum Fratrum Ordinis de Cartusia; Et quod bona immobilia dicti Monasterii Sancti Dopnini, ut supra, Salvatoris, & Quirici ad invicem unitorum nullo modo possint, vel debeant alienari, obligari, permutari, vel alio quovis titulo in alium transferri per Monasterium, Fratres, & Conventum, vel Administratorem dicti Monasterii de Gorgona secundum expressam licentiam domini Pisani Archiepiscopi, & ejus Vicarii qui nunc est, vel pro tempore fuerit, & sine urgenti causa, & suadente utilitate dicti Monasterii, proviso tamen, & tenore praesentium nobis reservantes, quod de fructibus, redditibus, proventibus, & obventionibus universis dictorum Monasteriorum pro dicti Abbatis, & Monacorum juxta ipsius decentiam, & pro ejusdem Monaci, & Abbatis substentatione congruas pensiones assignare possimus, quamdiu vi-

vixerint, quarum declarationem nobis pro eorum decentia reservamus. Et insuper decernimus, volumus, & mandamus, quod Prior, & Fratres Monasterii, & Conventus de Gorgona perpetuis temporibus Archiepiscopatui Pisano, vel legiptimae personae pro eo recipienti annis singulis in Festo Sanctae Mariae mensis Augusti cujusque anni solvant pro recognitione dicti Monasterii sic uniti Cereum unum ponderis librarum trium. In omnibus vero aliis Monasterium Sanctae Mariae de Gorgona, Fratres, Administrator, aut Praesidens administrationi gaudeant, & utantur privilegiis, gratiis, exemptionibus, ac libertatibus Monasterio, & Ordini Cartusiae concessis, quibus per praesentes quantum ad praedicta non intendimus derogasse, aut derogari in aliquo, firmis, & ratis omnibus suprascriptis. Et praedicta omnia, & singula dicimus, pronuntiamus, adnectimus, & incorporamus, & unimus perpetuo omni jure, via, modo, forma, auctoritate, quibus melius possumus. Et mandamus tibi Tomaso de Campilia Notario nostro, quatenus de praedictis pubblicum conficias Instrumentum sigillo Archiepiscopalis Curiae nostrae appensionis munimine munitum. Datum, & actum Pisis in Palatio Pisani Archiepiscopatus in audientia superiori, praesentibus venerabilibus in Christo patribus domino Johanne Dei gratia Abbate Sancti Pauli ad Ripam Arni, domino Augustino de Scacceriis Decretorum Doctore Vicario domini Pisani Archiepiscopi, & domino Gilio quondam Ser Johannis de Aretio Camerario domini Archiepiscopi, & aliis testibus ad haec rogatis, & vocatis, Dominicae Incarnationis anno millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, Indictione secunda, die ultimo Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Martini Divina Providentia Papae quinti anno septimo.

XXVIII.

Ob magnos sumptus a Francisco Salviato pro ineunda Archiepiscopatus Pisani possessione, quam Laurentius Medices imprimis impedire illi conabatur, factos, Sixtus IV. facultatem eidem concedit semel exigendorum a Clero vectigalium.

Ex archiwo Archiepiscopii decade 268. num. 1667.

Anno 1477. *Sixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Francisco Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Exigit tuae devotionis affectus, quo nos, & Romanam Ecclesiam revereris, ut petitiones tuas quantum cum Deo possumus ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, te multa onera expensarum pro adipiscenda possessione regiminis, & administrationis bonorum tuae Pisanae Ecclesiae, & aliis tibi incumbentibus negotiis subire oportuerit, nos attendentes, quod divisa in partes onera levius perferuntur, ac aequum reputantes, & congruum, ut personae Ecclesiasticae tuarum Civitatis, & Dioecesis tecum hujusmodi onera partiantur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut ab omnibus personis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus non exemptis, ac etiam exemptis, quae caritativum subsidium Archiepiscopo Pisano pro tempore existenti solvere consueverunt, Beneficia Ecclesiastica, pro quibus decima persolvitur in eis-*

eisdem Civitate, & Dioecesi obtinentibus, a quibus nullum subsidium hactenus habuisti juxta Constitutionem felicis recordationis Benedicti Papae XII. praedecessoris nostri, ac juxta Beneficiorum ipsorum exigentiam facultatum petere, & recipere auctoritate nostra semel dumtaxat libere valeas caritativum subsidium pro hujusmodi oneribus facilius supportandis. Non obstantibus statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis, ac privilegiis, & indulgentiis, nec non litteris Apostolicis generalibus, vel spetialibus quorumcunque tenorum existant eis, vel eorum aliquibus communiter, vel divisim sub quacumque forma, & expressione verborum concessis, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio spetialis tenore praesentium de spetiali gratia indulgemus Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis &c.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXVII sexto calendas Septembris Pontificatus nostri anno septimo.

XXIX.

Raphael Riarius S. R. E. Diaconus Cardinalis ad Archiepiscopatum Pisanum promovetur.

Ex eodem archivo decade 169. n. 2675.

Sixtus Episcopus servus Servorum Dei dilectis filiis universis Vasallis Ecclesiae Pisanae salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiae Pisanae tunc per Anno 1479.

obi-

obitum bonae memoriae Francisci Archiepiscopi Pisani extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii nostri Raphaelis Sancti Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalis duximus auctoritate Apostolica providendum praeficiendo eum eidem Ecclesiae in Archiepiscopum, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem dictae Ecclesiae Pisanae sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Raphaelem Cardinalem tanquam patrem, & pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam, nec non consueta servitia, & jura a vobis sibi debita exhibere integre studeatis, alioquin sententiam, sive poenam quam eidem Raphael Cardinalis rite tulerit, seu statuerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo nono quintodecimo calendas Octobris Pontificatus nostri anno nono.

XXX.

Julius III. comendat Onuphrio Bartholino Pontifici Pisano Petrum Franciscum Pallavicinum Coadiutorem Episcopi Aleriensis.

Ex tabulario publico Archiepiscopii in lib. inscripto *Collationes, & Confirm. Benefic. &c.* ab an. 1544. ad 57. f. 52.

Anno 1550. *JUlius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictio-*

ctionem. Ad cumulum tuae cedit salutis, & famae si personas Ecclesiasticas praesertim Pontificali dignitate praedictas Divinae propiciationis intuitu opportuni praesidii, ac favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem dilectum filium Petrum Franciscum Pallavicinum Canonicum Albinganensem, militem Sancti Petri, utriusque Juris Doctorem, familiarem nostrum in vigesimo quarto suae aetatis anno constitutum venerabili fratri nostro Francisco (1) *Episcopo Aleriensi Coadiutorem in regimine, & administratione Ecclesiae Aleriensis quamdiu Franciscus Episcopus illi praeesset, & deinde eo cadente, vel decedente, seu eidem Ecclesiae alias quomodolibet praeesse desinente, & illa quovis modo vacante etiam apud Sedem Apostolicam ex tunc prout ex eadem die, & e contra, donec vigesimum septimum dictae aetatis annum attingeret Administratorem in spiritualibus, & temporalibus de fratrum nostrorum consilio constituimus, & deputavimus, & deinde postquam dictum vigesimum septimum annum attingeret de persona sua eidem Ecclesiae providimus praeficiendo ipsum illi in Episcopum, & Pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Petrus Franciscus Coadiutor, & futurus Administrator, & electus Aleriensis in commissa praedictae Ecclesiae cura sibi faci-*

(1) Petri Francisci patruo, qui Episcopus renuntiatus est anno 1520. die 19. mensis Decembris. V. Ughellius *Tom. III. col.* 505. Hic avorum suorum tumulum, qui est Pisis inter portas Ecclesiae, & Monasterii Sanctae Catharinae restaurandum curavit, quod haec inscriptio nos docet.

CLARISS. GULIELMO PROAVO
EJUSQ. UXORI. BAPTISTAE PATRI
AC MARIETAE SORORI PALAVICINIS
SEPULC. HOC VETUSTATE CONSUMP.
FRANCISCUS PALAVICINUS EPISCOPUS
ALERIENSIS PIO AFFECTU INSTAURAN.
CURAVIT AN. D. MDXLII.
IDIBUS JUNII.

facilius proficere valeat tuus favor ei forte noscitur plurimum opportunus, fraternitatem tuam hortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes, quatenus praefatum Petrum Franciscum Coadiutorem, & futurum Administratorem, & electum, & commissam sibi Ecclesiam Suffraganeam tuam habeas quo nostra, & Apostolicae Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis, & conservandis juribus suis etiam in his, quae ad Coadiutoris officium pertinent, sic eos tui favoris praesidio prosequaris, quod ipse Petrus Franciscus Coadiutor, & futurus Administrator (1), & electus tuo fauctus auxilio in commisso sibi praefatae Ecclesiae regimine se possit utiliter exercere, tuque Divinam misericordiam, ac nostram, & dictae Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius valeas promereri. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDL. tertio Kalendas Junii Pontificatus nostri anno primo.

XXXI.

Describitur apparatus, atque solemnitas, qua Joannes Medices Card., & Antistes Pisanus Urbem, Ecclesiamque suam primo ingressus est.

Ex libro inscripto *Extraordinaria* ab anno 1561. ad 74. num. 10. fol. 17. & seq.

Ann. 1561. *IN aeterni Dei nomine amen. Ad certitudinem praesentium, & memoriam futurorum cunctis pateat evidenter, qualiter Illustrissimus, & Reverendissimus dominus domi-*

(1) Vixit in Episcopatu ad annum usque 1571., habuitque successorem Beatum Alexandrum Saulium, de quo in hac etiam Dioecesi Pisana Officium sub ritu duplici recitatur.

dominus Joannes Medices miseratione Divina tituli S. Mariae in Donnica Diaconus Cardinalis Pisani Archiepiscopatus perpetuus Administrator, Corsicae, & Sardiniae Primas, & Sedis Apostolicae in eis Legatus natus, qui solemniter, & legitime mediante suo Procuratore sub die 30. Aprilis proxime praeteriti accepit possessionem dicti sui Archiepiscopatus veniens ab Urbe Romae, & a Summo Pontifice una cum Illustrissimis, & Excellentissimis suis parentibus per viam Senarum perveniens cum ipsis ad Castrum Liburni, volensque ad ejus Pisanum Archiepiscopatum se transferre, Pisanamque ejus Ecclesiam personaliter visitare, de dicto Castro Liburni discessit ipse cum ejus Curia, ac cum majori parte magnae Curiae Illustrissimorum & Excellentissimorum ejus parentum in dicto Castro Liburni tunc relictorum: & cum esset ad Abbatiam Sancti Domnini sitam prope Civitatem Pisarum fuit obviam ei in dicto loco multitudo copiosa nobilium civium Florentinorum, & Pisanorum, omnesque Magnati, Rectores, & Officiales Civitatis Pisarum, ac Magnifici Rectores, Doctores, & Studentes almi Studii, & Collegii Pisani, & etiam multitudo magna populi dictae Civitatis Pisanae, burgorumque & suburgorum, & pro majori parte super equos omnes existentes. Et nobiles viri Gulielmus olim Joannis Baptistae quondam Gulielmi Joannis de Lanfranchis, & dominus Capitaneus Camillus olim Bartholomei quondam Gulielmi Joannis de Lanfranchis patritii Pisani tenebant ambo manus ad staffas mulae dicti Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis de Medicis, super quam ipse erat dum veniebat in Pisanam Civitatem a dicta Abbatia; & Antonius, & Carolus fratres germani dicti domini Capitanei Camilli, ac filii olim dicti Bartholomaei de Lanfranchis tenebant manus ad redines dictae mulae, & Joannes Baptista, & Scipio fratres, & filii dicti Gulielmi Joannis Baptistae, ac etiam Joannes olim Bindi quondam Thomei etiam

de Lanfranchis pro se, & Michaele Angelo ejus fratre germano stabant ad clunem, sive groppam dictae mulae, & sic ipsi praenominati de nobili familia, & domo Lanfranchiorum patritii Pisani ipsum Illustrissimum, & Reverendissimum dominum Cardinalem adestrabant, & associabant inter alios tanquam negotium ad eosdem nobiles de Lanfranchis ex successione eorum antiquorum spectante; & cum ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis esset prope portam Sancti Marci dictae Civitatis Pisanae fuerunt ei obviam Reverendissimus dominus Jeronymus Vechianus (1) *Pisanus Episcopus Vulturariensis dicti Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis Suffraganeus in Pontificali apparatu cum mitria una cum Reverendo, & Excellentissimo Juris utriusque Doctore domino Antonio de Pretis de Consilice Canonico Ravennatense Vicario generali praefati Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis, & Pisani Archiepiscopi, ac Reverendis domino Archipresbytero, Decano, & Canonicis infrascriptis, omnibusque venerabilibus Cappellanis, & Clericis Pisanae majoris Ecclesiae, & aliis Presbyteris Ecclesiarum Parocchialium Pisanae Civitatis, omnibusque Regulis Fratrum, & Monachorum more solito dictae Pisanae Civitatis processionaliter cum Cruce solita dictae Pisanae Ecclesiae, & cum pulcherrimo Baldachino novo siriceo portato a magnificis patribus Prioribus Pisani Comunis euntibus ante dictum Baldachinum ordine praefatorum magnificorum Priorum duodecim pueris albis vestibus siriceis indutis portantibus ramos olivarum in manibus laetitiam facientibus. Et sic processionaliter sub dicto Baldachino intravit Civitatem Pisanam per dictam portam solemniter apparatam, & deauratam partim antecedente, & partim subsequente multitudine nobilium, & magnatorum praedictorum eundo per viam, & carrariam Sancti Martini Kinsicae*

(1) De quo disserui *in hac historia T. II. pag. 181. & seq.*

ficae transivi super pontem vetus, ubi ab utraque parte, & in aliis locis ante, & post erant multa pulcherrima ornamenta, & archi triumphales, sequendo secus Arnum per viam Sanctae Mariae majoris pervenit ad jannam majorem dictae suae Pisanae Ecclesiae, & descenso de mula auxilio dictorum nobilium de Lanfranchis ipsum sequentium modo praedicto usque ad dictam Ecclesiam Pisanam, intravit dictam suam Pisanam majorem Ecclesiam, & ivit ad Altare majus tenentes etiam in dicto loco dicti de Lanfranchis lembas vestis dicti Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis, dum in dicto loco per suprascriptum Reverendissimum dominum Suffraganeum orationes convenientes legebat, quibus completis ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis sedit super sedem Archiepiscopalem ibidem prope existentem, & cum parum requievisset de ea descendit, & ivit suis pedibus, & sine Baldachino cum magna comitiva in ejus Palatio Archiepiscopali solemniter apparato, & praedicti de Lanfranchis semper secuti sunt eum usque in salam magnam ornatam; in quo loco ea, qua decuit reverentia petierunt licentiam, & ea habita recesserunt, & idem fecerunt multi alii. Et ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis ivit in thalamum ibidem contiguum solemnissime paratum cum magistro domus suae, & aliis ipsum servientibus, prout solitum est. Quae quidem omnia, & singula suprascripta fideliter, breviter, & succinte scripsi, & notavi ad laudem, & gloriam Sanctissimae Trinitatis, & perpetuum, ac felicem statum praefati Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis, & Illustrissimorum, ac Excellentissimorum ejus parentum ego Joannes Guarnerius Notarius, & Cancellarius dicti Pisani Archiepiscopatus ad hoc ut res gesta semper appareat. Acta, facta, & gesta fuerunt, & sunt praedicta omnia in dictis locis respective, ut supra dictum est, & licet praedicta omnia non indigeant

tamquam notoria, & publica particulari testimonio, tamen ad omnem abundantem cautelam testes particulariter nomino Reverendum dominum Franciscum olim Nicolai de Medicis Canonicum Florentinum magistrum domus praefati Illustrissimi, ac Reverendissimi domini Cardinalis, Reverendum dominum Cosmum de Bertolis de Florentia magistrum caerimoniarum dicti Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis, ac Excellentissimum Juris utriusque Doctorem dominum Cosmum Cupers de Plebe ad Sanctum Stephanum procuratorem generalem praelibati Illustrissimi, & Reverendissimi domini Cardinalis: qui omnes una cum multis aliis praedictis omnibus semper interfuerunt &c. Dominicae Incarnationis anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Indictione quarta, die vero Dominico, & nona mensis Martii post Vesperas stilo Pisano Pontificatus Sanctissimi domini nostri Papae Pii quarti anno secundo.

Nomina vero domini Archipresbyteri, Decani, & Canonicorum, de quibus supra dicitur, sunt ista, videlicet:

Reverendi dominus Alexander Bonannius Pisanus Archipresbyter dictae Pisanae majoris Ecclesiae.

D. Matthaeus de Galeottis Piscicensis Decanus dictae Pisanae majoris Ecclesiae.

D. Antonius Catignanus Pisanus.

D. Franciscus Pitta J. U. D. Pisanus.

D. Franciscus Murcius J. U. D. Pisanus.

D. Simon Petrus Pitta J. U. D. Pisanus.

D. Franciscus Seta Pisanus.

D. Petrus Roncionus Pisanus.

D. Franciscus Perignanus (1) *J. U. D. Pisanus.*

D. Pe-

(1) Hic factus est anno 1572. die 3. mensis Martii Episcopus Cortonensis, ut notat Ughellius *T. I. Ital. Sac. col.* 630., a quo tamen perperam cognominatur *Praegnanus*. In libro MS. tabularii Archiepiscopii superius laudato *fol.* 214. exstant hae litterae Cardinalis Hieronymi Rusticuccii ad Antonium Laurentinum Antistitem Caesareensem, & *Suffraganeum* Archiepiscopi Pisani „ Molto Reverendo Signore come „ fra-

D. Petrus de Vaglientibus Florentinus.
D. Jacobus Vanni Pisanus.
D. Jacobus Philippi del Setajolo Pisanus.
D. Joseph Ciampolus Pisanus.
D. Donatus Malegonella J. U. D. Florentinus.
D. Hanibal Lanfranchus Pisanus.

D. Ber-

" fratello. Perchè N. S. disegna sopra la persona di Messer Francesco " Perignano Pisano per proveder lo di una Chiesa, vostra Signoria do- " verà pigliar diligente informazione della vita, et costumi suoi, del- " la età, e dottrina, et de natali riducendo tutto in processo conforme " alle costituzioni de Sacri Canoni, facendoli fare sopra tutto la pro- " fessione della fede, et quanto prima potrà mandare in mia mano ogni " cosa in forma autentica, che questo è ordine espresso di N. S. Intan- " to stii sana. Di Roma alli 29. di Settembre 1571.
" Di V. S. molto Rever. come fratello il Cardinale Rusticucci ".

Testes, qui fidem fecerunt de iis, quae Cardinalis Rusticuccius nomine Pii V. exigebat, multi fuere, sed ego quid de Francisco nostro asseruerit Petrus de Vaglientibus Canonicus, & *Primicerius* Ecclesiae Pisanae in medium tantum afferam. Is ergo testatus est, *Reverendum dominum Franciscum Perignanum Canonicum Pisanum, & Ecclesiae Sancti Stephani Papae Equitum degnissimum Priorem, ac J. U. D. fuisse, & esse natum de legittimo matrimonio, videlicet ex patre Nicolao, & ex matre domina Chaterina coniugibus, quos cognovit ut maritus, & uxor in Civitate Pisarum in Cappella Sancti Martini Kinsicae: qui Franciscus est aetatis annorum circa quinquaginta octo, & quem cognovit ab annis quadraginta incirca citra Clericum, & Presbiterum, pariter & Canonicum Ecclesiae Pisanae, & postremo Priorem Ecclesiae Sancti Stephani Papae. Qui in quacunque aetate, loco, & gradu honorificè semper se gessit, vitam laudabilem, & honestam ducendo, honaestae conversationis, bonae famae, bonisque praeditus christianis moribus, & in Sacerdotio constitutus. Quem saepe numero vidit celebrare ut simplex Sacerdos, postremo vero in Pontificalibus existens pluries in dicta Ecclesia Pisana celebrare Missam: & quod est J. U. D., & interfuit in ejus Doctoratu* (anno 1555. ut asserit Petrus Calcfatus unus ex testibus, qui Francisco nostro doctrinae insignia tradidit) *& dum probatus fuit publice in almo Pisano Gymnasio. Jam sunt plures anni quo tempore ipse dominus Franciscus Perignanus erat Vicarius Archiepiscopi Pisani, & substituit hic Reverendum dominum Alexandrum de Lanfranchis J. U. D. ad dictum actum sui Doctoratus conficiendum. Et quod tale de se dedit exemplum tum in agenda cura animarum, in gubernandis Monasteriis Monialium, in exercendo Vicariatus officium tam in Pisana, quam in Cortonensi Civitate, & postremo in offitio Prioratus praedictae Ecclesiae, ut existimet, & affirmet, eum pollere multa scientia, ipsaque munera quaecunque, tam spiritualia, quam secularia possint sibi tutò iniungi, & quibus abundè satisfacere poterit etiam quod electus esset ad Episcopatum, cum aptus sit docere verbo, & exemplo, ut decet bonum Episcopum.*

D. Benedictus Lanfranchus Pisanus, omnes Canonici dictae Pisanae majoris Ecclesiae, qui etiam praedictis interfuerunt, absentibus dominis Canonicis residentibus domino Caesare Corbino Pisano, & domino Alexandro Lanfrancho J. U. D., & Canonicis dictae Pisanae Ecclesiae majoris, qui ob eorum malam corporis dispositionem personaliter praedictis non valuerunt interesse &c. die suprascritta.

Item qualiter die Dominico decima sexta die mensis Martii suprascritti dicti anni 1561. stilo Pisano Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis de Medicis suprascrittus audita Missa Spiritus Sancti in dicta ejus Pisana Ecclesia Pontificaliter celebrata per suprascrittum Reverendissimum dominum Episcopum Vulturariensem ejus Suffraganeum ivit ad ejus Palatium Archiepiscopale cum magna comitiva, ubi parare fecerat magnum, & solemne prandium ciborum quadragesimalium prout conveniens erat, quia erat Quadragesima, & antequam intraret ad prandium nobilis dominus Petrus Joannes olim Berti Petri Joannis Baptistae de Vernagallis Civis Pisanus, unus ex successoribus quoad hoc domus Gallorum Civium Pisanorum absente domino Baptista olim Petri Joannis Baptistae de Vernagallis commorante in Civitate Venetiarum ejusdem Petri Joannis Berti patruo ejus communi successor dictae domus Gallorum; data eidem Illustrissimo, ac Reverendissimo domino Cardinali aqua ad manus, porrexit illi salvettam pulcherrimam ad extergendum manus; & dicta debita Oratione per magistrum caerimoniarum, ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis sedit ad prandium, & omnes invitati cum eo etiam sederunt ad prandium; videlicet Reverendissimus dominus Episcopus Vulturariensis suprascrittus, Reverendissimus dominus Martius (1) Episcopus Marsichanus, Reverendus dominus Anto-

(1) Vir eruditissimus ex familia Florentina de Martiis Medicis Pontifex Marsicanus in Lucania sub Archiepiscopo Salernitano, electus anno 1541. die

Antonius de Pretis Vicarius praedictus, & omnes suprascipti Reverendi dominus Archipresbyter, dominus Decanus, & domini Canonici, qui dictae processioni interfuerunt, & insuper in dicto introitu ipsum Illustrissimum, & Reverendissimum dominum Cardinalem associaverunt. Et cum ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis peteret bibere, suprascrittus nobilis Gulielmus Chiculi de Lanfranchis tanquam senior ex domo de Lanfranchis porrexit illi bibere in cuppa argentea, & sequendo prandium suprascrittus dominus Capitaneus Camillus de Lanfranchis dedit postea eidem bibere durante prandio; quo finito stantibus ibidem reverenter dictis Capitaneo Camillo, Gulielmo, Antonio, Carolo, Joanne Baptista, & Scipione de Lanfranchis, ipse Illustrissimus, & Reverendissimus dominus Cardinalis donavit eisdem de dicta domo Chiculorum de Lanfranchis dictammet cuppam argenteam deauratam ipsam porrigendo dicto Gulielmo tamquam seniori, qui ipsam accepit reverenter, & dicto Petro Joanni de Vernagallis donavit unum flabellum, sive rostam pulcherrimè contestam pennis Pavonorum, & dictam salvettam, & scutum unum auri L. conii Ducalis, & facta debita reverentia per dictum Petrum Joannem, & petita per eum, & domum de Lanfranchis licentia fuerunt invitati omnes ad prandium secundo loco ordinatum: dominus Petrus Joannes recusans recessit laetanter cum dictis rebus sibi donatis, & dicti de Lanfranchis steterunt ad prandium, quo finito cum dicta cuppa ipsam extolli faciendo cum magna laetitia, cum tamburis, & comitiva eorum affinium aliquorum recesserunt de dicto Palatio Archiepiscopali. De quibus omnibus sic insuper peractis in dicto loco, ego idem Joannes Guarnerius Notarius &c. notam praesentem etiam fe-

ci &c.

die 11. Februarii, ac defunctus Venetiis anno 1571. die 11. Decembris cum ibidem Oratoris munere pro Cosmo I. Magno Etruriae Duce fungeretur. Confer Ughellium *T. VII. col. 520.*

ei, ut appareat &c. praesentibus suprascrittis domino Francisco de Medicis, domino Cosmo Cupers, domino Cosmo de Bertolis, domino Francisco Bellotti, & aliis quampluri-mis testibus &c. dicta die XVI. mensis suprascritti.

XXXII.

Archiepiscopus Pisanus creatur Angelus Nicolinius a Pio IV.

Ex libro MS. antea citato fol. 83.

Anno 1564. *PIus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Angelo de Nicolinis electo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Divina disponente clementia, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa in Apostolicae dignitatis specula meritis licet imparibus constituti ad universas orbis Ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, & pro earum statu salubriter dirigendo Apostolici favoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius cogitatio nos conterit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis juxta cor nostrum viri praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam, providentiamque circumspectam salubriter dirigant, & informent, ac bona ipsarum Ecclesiarum non solum gubernent, sed multimodis etiam efferant incrementis. Sane Ecclesia Pisana, quam bonae memoriae Joannes Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus Cardinalis de Medicis nuncupatus ex concessione, & dispensatione Apostolica in administrationem, dum viveret obtinebat, administratione hujusmodi per obitum ejusdem Joannis Cardinalis, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, & ultimum ejusdem Ecclesiae Pisanae vacationis mo-*

modum, etiamsi ex illo quaevis generalis resignatio etiam in corpore juris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes, & ad provisionem ejusdem Ecclesiae celerem, & felicem, ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incomodis, paternis, & sollicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem, & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Presbiterum Florentinum de nobili genere natum, J. U. D. apud nos de vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibent, direximus oculos nostrae mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis, & ipsis fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta praefatae Ecclesiae Pisanae de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica providemus, teque illi in Archiepiscopum praefecimus, & pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiae &c.

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDLXIV. pridie idus Julii Pontificatus nostri anno quinto [1].

S. Grolleti.

(1) Sunt in libro laudato quatuor aliae Pii litterae de Angeli electione, quarum prima inscripta est *Capitulo Ecclesiae Pisanae*; secunda *Populo Civitatis, & Dioecesis Pisanae*; tertia *Clero Civitatis, & Dioecesis Pisanae*; quarta *universis vassallis Ecclesiae Pisanae*.

XXXIII.

Pius V. Summus Pontifex in locum Angeli Nicolinii defuncti sufficit Joannem Riccium S. R. E. Presbyterum Cardinalem.

Ex eodem libro fol. 142.

Anno 1567. *DIlecto filio nostro Joanni tituli Sanctae Mariae in Transtyberim Presbytero Cardinali de Montepolitiano nuncupato Pius Papa V. Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum nos hodie Ecclesiae Pisanae certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis, & Apostolicae Sedi, cujus honorabile membrum existis, accepta de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providerimus, teque illi in Archiepiscopum praefecerimus, & pastorem, seu te dictae Ecclesiae quoad vixeris Administratorem perpetuum deputaverimus curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiae tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris desuper propediem sub plumbo conficiendis litteris latius explicabitur: Nos ne interim dum litterae hujusmodi expediuntur, Ecclesia ipsa in eisdem spiritualibus, & temporalibus detrimenta substineat providere, & tuis comoditatibus opportune consulere volentes, tibi, ut etiam litteris praedictis non expeditis vigore praesentium per te, vel alium, seu alios possessionem, seu quasi regiminis, & administrationis, ac bonorum dictae Ecclesiae apprehendere, & illius mensae Archiepiscopalis fructus, redditus, & proventus percipere, & servare, ac in tuos usus, & utilitatem convertere, ceteraque omnia, & singu-*

singula facere, & exequi libere, & licite valeas in omnibus, & per omnia perinde ac si super eisdem provisione, & professione litterae Apostolicae expeditae fuissent, auctoritate praedicta tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Mandantes dictae Ecclesiae Suffraganeis, ut tibi tamquam Metropolitano suo reverentiam, & obedientiam solitas, & debitas praestare: nec non Capitulo, & Clero Ecclesiae, Civitatis, & Dioecesis Pisanae, illiusque vassallis ut te tanquam patrem, & pastorem animarum suarum humiliter recipientes tua salubria monita, & mandata suscipere, illaque efficaciter adimplere: vassalli vero etiam consueta servitia, ac jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, ac faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit Injunctae &c., *& quibusvis aliis constitutionibus Apostolicis, ac dictae Ecclesiae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quovis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod infra sex menses a datarum praesentium computatione litteras praedictas sub plumbo expedire tenearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die tertia Septembris MDLXVII. Pontificatus nostri anno secundo.*

XXXIV.

Cum Ecclesiae Adiacensi in Corsica nuntium remisisset Joannes Baptista, Episcopus repuntiatur Chrystophorus, & commendatur Matthaeo Renuccinio Pontifici Pisano.

Extraord. num. 14. ab anno 1577. ad 1583.

Anno 1578. *GRegorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuae cedit salutis, & famae si personas Ecclesiasticas praesertim Pontificali dignitate praeditas divinae propitiationis intuitu opportuni praesidii, & favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem Ecclesia Ajacensis tunc ex eo quod venerabilis frater noster Joannes Baptista [1] Episcopus Ajacensis regimini, & administrationi dictae Ecclesiae, cui tunc praeerat, & hodie in manibus nostris sponte, & libere cesserat, nosque cessionem hujusmodi duxeramus admittendam, Pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Chrystophori [2] electi Ajacensis nobis, & fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi in Episcopum praefecimus, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur &c.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXXVIII. pridie idus Maii Pontificatus nostri anno sexto. IN-

(1) Cognomento *de Bernardis* Lucensis electus anno 1548. die 22. Martii ex Ughellio *T. III. col.* 497.

(2) Patria item Lucensis ex familia Guidicciona, qui post quadriennium obiit.

INDEX

Cronologicus Monumentorum.

1335.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus, cui littera A. praecedit, indicat paginam in Appendice monumentorum.

A

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus, cui littera A. *praecedit, indicat paginam in Appendice monumentorum.*

A

B

C

D

E

Fran-

F

G

Gre-

H

J

L

M

N

O

P

Q

Con-

R

S

T

Theo-

U

Z

FINIS.

			ERRATA	CORRIGE
Pag. 2.	lin. 6.	*in not.*	Monasteriarum	Monastriarum
3.	l.	5.	Praelatis	Praesulibus
8.	l.	7.	Pisanis	Pisani
27.	l.	14.	habebatur	habetur
31.	l.	4.	quo	pro
32.	l.	6.	mensae	mense
41.	l.	12.	nostris	nostis
51.	l.	19.	Amato	Amiato
54.	l.	17.	1301.	1300.
59.	l.	5.	1313.	1312.
85.	l.	19.	incoasset	inchoasset
127.	l.	28.	desposito	deposito
142.	l.	5.	memorando	memorato
147.	l.	10.	Insessura	Infissura
154.	l.	17.	Initio	Inito
		34.	judicandis	indicandis
161.	l.	16.	orto	octo
178.	l.	20.	*grandissima*	*gravissima*.
182.	l.	15.	Item	Idem
289.	l.	1.	de Guidii	de Guidis
200.	l.	10.	insigniis	insignibus
212.			Adnotatio, quae ibi legitur, ponatur pagina praecedenti	
214.	l.	23.	Angelus	Angelius
220.	l.	9.	Madritii	Madriti
233.	l.	20.	Buonauta	Buonajuta
235.	l.	5.	PIETATES	PIETAS
247.	l.	23.	Suburbium	Suburbiorum
A. 36.	l.	13.	*seu*	*se*
42.	l.	17.	Cusinensi	Casinensi
81.	l.	36.	CIↃXC	CIↃIↃXC.
103.	l.	16.	Pl[illegible]dius	Placidus